6
16-b
9

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

18-c-9

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Amstelodami, Apud Johannem Janssonium à Waesberge et Viduam Elizæi Weyerstraet. 1667.

Digitized by Google

Digitized by Google

PHÆDRI,
AUGUSTI CÆSARIS
LIBERTI,
FABULARUM
ÆSOPIARUM
LIBRI QUINQUE;

Notis perpetuis illustrati, & cum integris Aliorum

OBSERVATIONIBUS

In lucem editi

à

JOHANNE LAURENTIO JC^to^.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AMSTELODAMI,

Apud JOHANNEM JANSSONIUM à WAESBERGE, & Viduam ELIZEI WEYERSTRAET,

ANNO M. D. C. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Viro Conſultiſſimo

D. WIBRANDO LAURENTIO

JURIS-CONSULTO,

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Et in Curia Amſtelodamenſi Advocato
Patri ſuo,

JOHANNES LAURENTIUS

S.

CUm ſæculis aliquot latuiſſet elegantiſſimus Fabularum libellus à *Phædro*, Auguſti Cæſaris Liberto, ſolus fere latino ſermone, Verſibus Jambicis conſcriptus à *P. Pithœo*, Clariſſimo Galliæ luminecirca annum nonageſimum ſextum ſuperioris ſæculi primum in lucem prolatus eſt; ſtatimque Viris inter eruditos optimis adeo arriſit, ut illorum manibus non tantum diligentius tritus, ſed etiam notis ex intimis tàm Latinæ Antiquitatis receſſibus, quàm Doctiſſimorum Virorum penu depromptis illuſtratus ſit, quas omnes cum eodem Volumine digeſtas, renovatâ editione publicare decreveram, ne totum de alieno largiri vider,

Digitized by Google

meas etiam notas & obſervationes ſucciſivo temporis emolumento ad eaſdem Fabulas proprio uſui, & mihi ſoli conſcriptas, addere & gratum fore, & *Phædri* negotia utiliter me geſturum judicavi, ſi plurima in ejus Fabulis paſſim obvia oſtenderem, quæ ex Juris-conſultorum reſponſis, & antiqua Juris cognitione explicari neceſſe haberent, ipſiq; *Phædro* ex hac Ara, ab Artis æqui, & boni Sacerdotibus adornata, lucernam poſſe accendi apertum facerem. Quem autem voti mei ſucceſſum hæ meæ lucubrationes promittant, aliorum judicium eſto. Tibi vero, Pater chariſſime, eas ſacras, tuoque nomini in qualecunque gratitudinis indicium dicatas volui, ut hi ſtudiorum fructus, eorumque primitiæ Veſtram liberalitatem agnoſcant, à quo tanquam fonte derivatæ ſunt; nam quod Alexander Magnus ille Macedoniæ Rex, & Philippo Patri, & Ariſtoteli Præceptori ſe debere profeſſus eſt, Veſtro amori & beneficio utrumque debeo, verum

——— *Grates perſolvere dignas*
Non opis eſt noſtræ. ———

Quare unicum eſt quod ab eodem, quo me

Digitized by Google

in hunc uſque diem pietatis affectu complexus es, rogo, ut quicquid ſit hoc muneris, & remunerationis loco, non ingrati animi ſymbolum, ſerena quemadmodum offertur, fronte acceptum ſiet, &, quod amplius poſſum, ut

Serus in Cœlum redeas, diuque
Lætus interſis, ——

Patriæ, Urbi, Familiæ, ex animo voveo, & Deum ter Optimum Maximum ardentiſſime precor. Scriptum *Hagæ-Comitum Ipſis Kalendis Ianuarii* M.DCLXVII.

Lectori Candido

JOHANNES LAURENTIUS S. P. D.

PHædri, Imperatorii Liberti, Fabulas iteratâ editione, nitidiore formâ, & uberiore quàm hactenus Notarum, & Observationum adaucta dote in lucem daturus, actum agam si post *Pithœi*, *Rigaltii*, *Rittershusii* præfationes & epistolas, huic nostræ editioni præfixas, vel Fabularum scribendi rationem, vel etiam ipsius *Phædri* institutum pluribus extollam, dicam tantum sed paucis quo pacto post tot Viros eruditissimos quibus idem hic Auctor etiam alias curæ fuit, illum denuo publici juris facere conatus sim. Cum ante sexcennium & amplius primis studiorum rudimentis, fundum juris cognitioni & studio, etiam in Literarum, & Antiquitatum Scriptorum monumentis quærerem, inter alios etiam *Phædrum* mihi præceptorem, & familiarem elegi, ejusque frequens & sedula Fabularum lectio cùm ob ipsam materiæ elegantiam, tùm ob latinitatis nitidissimum stylum non minus placuit, quam literis humanioribus operam impendenti profuit; Nam præter acutissimas, & utilissimas moralis significationis Satyras, etiam purissimi sermonis nitore refertas, & concinnatas, experiundo discet, qui lepidissimis hisce argumentis & exemplis qualecunque tempus, vel otium destinare, & cum liberto nec insuaviter, nec inutiliter fabulari dignabitur: aderit sane qui narrando tempora fallat, & à mole-

moleſtioribus ſtudiis, vel negotiis requiem animo indulgeat; nec grave ſit quod Libertum otii comitem habeas, cum ipſi olim Athenienſes, & Romani Rerum Domini, Saturnalibus veluti precariam ſervis ſuis indulgere libertatem, unà cum iis ludere, nugari, epulari, imperantibus quoque gratioſè parere conſueverint. Notæ quoque quibus Viri eruditiſſimi haſce Fabulas illuſtrarunt, haud parum momenti Antiquitatis & literarum ſtudioſo adferunt. Quare cum ſubciſivo tempore frequentius à *Phædro* diſtractus quædam ad oram libri notaſſem, & de renovanda ejus editione cogitaſſem, totum negotium ab ovo repetens collectaneas obſervationes addidi, Integras verò *Rigaltii*, *Rittershuſii*, *Schoppii*, *Meurſii*, *Fabri*, *Schefferi* notas ſuo loco inſertas, & ordine digeſtas in unum quaſi volumen redegi, ut ita omnes in *Phædrum* notæ eadem editione bono publico vulgarentur. Singulorum verò Adnotationes proprio adjecto nomine diſtinxi, & quod à noſtra manu adſcriptum eſt *L.* Litera notavi. Plurima enim ex Veterum Juriſconſultorum ſcriptis, Pandectarum, & Codicis Voluminibus comprehenſis, tanquam ex liquidiſſimo Latinitatis fonte exhauſta, hiſce meis Obſervationibus interpoſui: arctiſſimum enim ſtudii Juridici cum Literaria Antiquitate vinculum eſt & affinitas, adeo ut ex noſtro quod evolvimus Juris Corpore ipſam etiam Latinitatem poſſe reſtitui, jure merito jam olim judicatum ſit; quare etiam nec Literarum ſtudioſum Juris reſponſorum, nec Juri operam dantem Antiquitatum ignarum eſſe oportere inter omnes conſtat, & vel ex *Phædro*, vel in eum Commen-

tariis manifestum fiet. Libellum Variarum lectionum ex allegatis observationibus collectum addidi, in quo multa loca suo ordini restituta, ex Scriptis Nobilissimi *Heinsii* & Epistolis Eruditissimi *Gronovii* à *Fabro* & *Scheffero* observata, aliorumque emendationes reperies: Nam in ipso Fabularum contextu ipsissimam *Rittershusii* editionem secutus, lectorem ad Varias illas Variorum Lectiones remitto. Postremò Indicem alterum singulorum vocabulorum quæ in ipsis Fabulis reperiuntur, alterum Rerum & Verborum quæ in notis præcipuè occurrunt, concinnavi, in quibus verò disponendis subinde & pro re nata non tam literarum vel syllabarum seriem, quam vocabulorum & temporum derivationem, ac ordinem observatum videbis. Quæ omnia cum privatis usibus destinata, ex singulari erga Rempublicam Literariam affectu publicari passus sim, tu, *Lector*, huic nostro labori æqui bonique consulas, ut ad ulteriora properanti vestra etiam benignitas & benevolentia calcar addat.

Dabam Hagæ-Comitum ipsis Kalendis Januarii M. DC LXVII.

In Doctissimum Opus

D. JOANNIS LAURENTII J. C.

& Literatoris eximii, quo suis & Aliorum Notis Phædri Fabulas egregiè ornavit.

HActenus ante forum satis est dixisse paternum
Causas, & Themidi *sacra tulisse sacræ.*
Debetur tibi major honos hinc lege ministrâ
Quæris Apollineum Palladiumque *decus.*
Facundam Linguam mirari desinat Aula,
Mirari Phædrus *dum potiora jubet.*
Singula doctorum dum quique negotia curant:
Tu duo persequeris, perficis atque duo.
Sic Themis *hinc certat: sic illinc certat* Apollo,
Teque ait à sacris quilibet esse suis.
Sed cum quæ Themidis *sunt exigis ore diserto,*
Perdoctaque manu Palladis *exequeris,*
Cum tam succinctè permisces utile dulci
Omne feres punctum, Laureaque *ora teget.*
Æsopum, Phædrumque *tibi debere nitorem,*
Ac purum sensum doctior orbis ait.
Sic tu vive diu sospes Divoque Deæque,
Et Linguâ, & calamo perge juvare bonos.

Dilectissimo Cognato lubens
meritoque eccini

LAURENS LAURENTIUS,

Ecclesiast. Amstelod.

Cla-

Clariſſimo & Conſultiſſimo Viro

D. JOHANNI LAURENTIO JC^o.

Cum ſuas in PHÆDRUM AUGUSTI *Libertum Obſervationes publicaret.*

CUm ver tenellæ curreret quondam mihi
Ætatis, ingens me cupido ceperat
Amœniores aucupandi literas,
Latiæque Linguæ colligendi floſculos.
Quare legebam ſedulus veterum libros,
Quos erudita protulere ſecula.
Hos inter omnes principem tenuit locum
Pater Latinæ TULLIUS eloquentiæ.
Inter Poëtas FLACCUS ac TERENTIUS,
Aliique plures, priſca quos ætas tulit,
Æternitati conſecrata Nomina
Os imbuerunt eleganti nectare.
Etiam placebat plurimum PHÆDRUS mihi,
Libertus ille clarus AUGUSTI Patris,
Muſæ voluptas & decus, qui verſibus,
Sermone plenis undique diſertiſſimo,
Nobis reliquit expolitas Fabulas,
Phryx ille ſervus quas iocoſe condidit,
Sententiarum luce commendabiles.
Pridem fuerunt literarum gloria
Totum per orbem maxime clari, ſuis
PHÆDRI libellos edidere qui notis
Illuſtriores; arbitror præ cæteris
Tres eminere: primus eſt RIGALTIUS,
Alter PITHOEUS, addo RITTERSHUSIUM.

Acce-

Accedit illis ultimo LAURENTIUS,
Juris Sacerdos, explicans doctiſſimè
Senſum ſub umbra Fabularum conditum.
Non indecenter hunc laborem ſuſcipit
Severioris cultor artis, quæ docet
Rectè tueri juſti & æqui regulas,
Quæ continentur in peramplo Codice
JUSTINIANI. Sed Poëtarum quoque
His ſcripta abundant, fabuloſis vocibus
Qui ſæpe miſcent utiles ſententias.
Has applicare rite qui factis poteſt,
Vitæque curſum temperanter hac duce
Formare, laude dignus æſtimabitur.
Quas ergo grates poſteri debent tibi,
Amice, curas publicanti nunc tuas?
Superator ævi lætus extollis caput
In ſecla vivens inclitus perennia.
Tuam coronat ipſe Phœbus laurea
Frontem; triumphum Cæſar AVGVSTVS tibi
Decernit amplum, reddidiſti quod ſuum
Ornatiorem veſte Libertum nova.

Ex animo gratulans amicitiæ
teſſeram conſecravit

JOHANNES CHRISTENIUS,

Anteceſſor Amſtelodamenſis.

Car-

Carmen Laudibus

Conſultiſſimi & Literatiſſimi

Dⁿⁱ. J. LAURENTII J. U. D.

Et Advocati meritiſſimi, in Phædri Fabulas commentantis ſcriptum,

Ab A. de GRAU Prof.

LAuriger *Auguſtum liber excurſure per orbem,*
Dum præfers Dominum, *cultior inde venis.*
Sic totidem raſus caſtigatuſque Magiſtris
Caſtalidûm, *cœtus* Palladiumque *ſubis.*
Laurenti, Muſis & *cedro digna locutus*
Dignum etiam celebras nunc Helicona *foro.*
Cecropiis Latiiſque *ſacris, quæ ſtruxerat olim*
Muſa *duplex, æqua tu quoque mente colis.*
Nec ſatis eſt Themidi (*quæ multis unica ridet*)
Se dare, ſplendentes unde petantur opes.
Nec ſic ingenium novit vaſtumque, ſagaxque
Stare, cui Phœbus *limina aperta dedit.*
Sed ſibi cognatas quærit redimitque Sorores,
Quæ famam Magnis exhibuere Viris.
Seria nunc miſces, & delectantia rebus,
Pro quibus heic poſſes vendere verba reo.
Et juvat hic gratis, quæ Fabula ludit, amare
Quæque docent animos uberiore ſtylo.
Sic perge: ut nobis memori celebreris honore
Sicque tibi currat penna tenore pari.
Hæcce, cothurnati quamvis minor arte Maronis,
Vendere non volui; ſolvere ſed volui.

Miſſum Franequera Friſiorum ipſis Kalendis Decembris M. D. C. LXVII.

Ad

Ad hujus Libri

LECTOREM.

QUiſquis ad ingratæ trepidas fera fulmina Stoæ,
Nec pateris rigida jus tibi fronte dari,
Ad ſacra Parnaſſi, & Vatum figmenta recurre,
Carminaque afflati cælitus oris ama.
Invenies docto quæ per mendacia flexu
Inſtillent animo ſemina ſancta tuo.
Invenies noſtræ depicta imitamina vitæ,
Quæ tibi quid fugias, quidve ſequare notent.
Naſcitur expenſis ſolers prudentia vitæ
Caſibus, & virtus vix niſi viſa placet.
Multa quidem multis inſpirat Muſa Poëtis,
At Monitum *Phædri* dulcius ore ſonat.
Excultus nitor, & cum pondere Fabula clamant,
A nullo melius ſeria mixta jocis.
Has igitur tibi carpe dapes. Sed forte legentis
Invenies ſubitum quæ remorentur iter.
Dat tenebris nitidam lampas *Laurentia* lucem,
Permiſcens radiis jura ſacrata ſuis.
Antiſtes Themidos, præſens tutela clientum,
Dat *Phædro* querulis tempora rapta reis.
Felices animæ, quæ, quanquam *Bartolus* urget,
Dignantur ſtudiis, Phœbe, vacare tuis.
Erectæ ignoſcat regina pecuniæ menti,
Eſt etiam, lucri quo ſuperetur amor.
Dulce rudes ſupra caput exeruiſſe Patronos;
Pulchrior & Muſis eſt comitata Themis.
Eſt aliquid lætæ monumenta perennia famæ
Condere, & ingenii pignora certa ſui.

O quo-

O quoties prono fugientibus æthere ſtellis,
Viſus ſcribendis invigilare notis.
O quoties calamum veniens Aurora repreſſit,
Cum ſtreperet multo plena cliente domus.
Ipſa Themis gnavo eſt veniam oratura Patrono,
Si quædam vacuo ſint polienda ſtylo.
At ſi quæ ratio eſt, & conjectura futuri,
Pagina cenſoris nulla notanda manu eſt.

S. Coeman, JC.

Viro

Viro Consultissimo

D. JOHANNI LAURENTIO,

Cum elegantissimas in Phædri Fabulas
Notas ederet.

SI laude dignum jura fasque dicere;
Et hactenus recondita,
Quæ sunt Themis Polymniæque mystica,
Ex Fabulis ostendere;
Et, quo ligatæ vinculo sint invicem,
Docere: non injuria
Apollo Laurum *dedicat* Laurentio,
Dat nomen indelebile.

Sic amicè accinuit

J. BRIEMEN;

J. V. D. & Rector Scholæ Hornanæ.

In

In Phædri Fabulas,

à

D. JOANNE LAURENTIO JC^o.

Eruditiſſimis notis illuſtratas.

HÆc ſunt Amſtelii, cives, dictata cerebri
Aurea, quæ nullo nomine digna mori.
Talia venturo tribuit LAVRENTIVS ævo,
Qui calamo celebrem præpete ſpirat Avum.
PHÆDRE! ferè ſoli cui fabula ſcripta Latinè eſt,
Hactenus interpres par tibi nemo fuit.
Cum ſubciſivis ita tempus fallitur horis,
De ſolidâ ſtudii quid ratione loquar?
Quæ patrio det jura foro, juſtiſque, reiſque,
Id ſciat in Batavûm finibus aula loqui.
Me duce cum jaceret primordia rara ſtudendo,
Serius (id loquitur fabula) ludus erat.
O pueri! ludum cum ſeria tanta ſequantur,
Ludite ſic! nunquam ludere crimen erit.

SOLIDE.

Amſtelædami, XVIII Kal. Jan.
M. D.C.LXVII.

In

In Doctiſſimas

D. JOH. LAURENTII, JCti.

In Phædrum Notas.

QUærere Phœbeos **Laurentius** *ardet honores,*
Et decus hoc titulis accumulare ſuis.
Non illi ſanctæ veneranda volumina Divæ,
Nec regnum Batavi ſat tenuiſſe fori.
Hinc, ubi defeſſæ vanis clamoribus aures,
A ſtudio requiem liberiore petit.
Tranſit ad antiquæ monumenta perennia Romæ,
Nec cupit à ſola nomen habere toga.
Illum liventes ad ſe rapuere Camœnæ
Nomine ne tanto gaudeat una Themis.
Ergo, dum nitidi volvetur pagina Phædri,
Hunc quoque, Poſteritas, læta, memorque coles.

PETRUS FRANCIUS.

P. PITHOEUS FRANCISCO FRATRI.

REddo tibi, Frater, pro novellis conſtitutionibus Imperatoris, veteres fabellas Imperatorii liberti, & quantum quidem conjicio Tiberii, atque adeo ſtatim poſt Sejanum damnatum. nam quis iſtos deinceps laudavit unquam? Ejus ſcriptoris qui meminerit ex veteribus nullum dum reperi præter *Martialem* & *Avienum*, quem etiam *Virgilii* fabulas jambis ſcripſiſſe tradunt. Thracem ſe fuiſſe ipſe innuit & Græciæ vicinum: ut nec ii libelli *Senecæ* fidem elevent teſtantis Æſopos logos intentatum Romanis ingeniis opus. Senem admodum ſcripſiſſe præter ſeniles de ætate querellas, vel illa arguunt quod ſe *D. Auguſtum* jus dicentem audiiſſe, & Cilnii Mæcenatis Bathyllum ſaltantem vidiſſe ſignificat. Cuicui vero ille alapas & libertatem debuerit, tibi certe, Frater, jam vitam debet, quam temporum injuria penè ſepulto exemplaris à te reperti beneficio reſtituere conatus ſum. Ita tu patronus *Phædro*, ego adſertor ac vindex, vel non idoneus, ſine ſatisdatione tamen venio, & *Auguſti* libertum vel potius libertinum, privatus hac etiam parte teſtabilem publicique juris facio: tu illi adſis ac faveas modo, qui & poëticis voluptatibus aures à forenſi aſperitate reſpirare non ignoras, & hoc figmenti genus à veri profeſſoribus non eſſe alienum, uſque adeo ut à *Socrate* ipſo *Æſopi λόγοις* verſibus redditos

ditos *Cebes* apud *Platonem* in os laudaverit. Have, mi frater, & inter istam publicam luem salve ac vale.

Tricassib. x. Kal. *Septembres, reb. prolatis,*
Anno cIↃ. IↃ. xcvii.

NICOLAUS RIGALTIUS
LECTORI.

PArum cordati mihi videntur, Lector, *qui fabularum audito nomine ſtatim faſtidiunt*; &, *Tales*, *ajunt*, *nobis pueris nutrix aut avia cum crepitaculis in aurem obgannire ſolebat. adeo illi bis pueri necdum ſenes meram puerilem ſtultitiam nauſeant.*

Non ſemper ea ſunt, quæ videntur, decipit
Frons prima multos; rara mens intelligit,
Quod inferiore condidit cura angulo.

Nimirum in Phædro *tot Satyræ ſunt, quot Fabellæ; quibus aut ſecretioris Philoſophiæ utiliſſima capita jucundè tractantur, aut Tiberii & quorundam aliorum difficillima tempora figuratè notantur: quas ad animum ſi retuleris, moralis ac civilis ſcientiæ dogmata eſſe deprehendes. Sed heu fatum optimi Poëtæ, Diu latuit ignobilis fœdæ mancipatus incuriæ; abjectus inter purgamenta negligenter; ac demum, quod ipſe præſenſiſſe videtur, margaritum in ſterquilinio jacuit. Reperit vero illud Gallus ac Minervius pullus, tantique pretii cupidus, diligentiſſime deterſum ſplendori publico reddidit. Et verbo dicam, perierat* Phædrus *niſi periiſſet. Notus quidem antiquis, at noſtris antehac prorſus incognitus, niſi perpaucis. Nam affirmare auſim Ioachimum Camerarium multas hinc fabulas, adeoque ipſiſſima verba expreſſiſſe. Faernum quoque, virum eruditum, ſi quis inſpiciat, in eo* Phædri *verſus integros obſervabit. Item in fabulatore quodam qui Venetiis editus eſt anno* M. CD. XCI. *notavi mihi nonnullas ex iſtis fabulis, verborum etiam non pauca veluti fragmenta, &, ſi pretium operæ ſit,* Petronii *narrationem*

nem de matrona virum in conditorio lugente. An integrum habuerint illi codicem, & an Phædri *nomen uſpiam legerint, cur diſſimulaverint, neſcio. Prima igitur hujus auctoris editio accurata bono publico fuit ab clariſſimis* Pithœis *ſummis antiquitatis vindicibus. De ſecunda ſilere melius puto. Quid jam tertia hac noſtra præſtitum ſit, tute vide & Vale. Fabulas aliquot cum* V. CL. P. Danielis *chartula calamo exarata collatas habui. Cætera quæ è libris MSS. reparari potuiſſent, aut hominum, aut temporum invidit injuria.*

NON QUI RIGAT,
SED QUI DAT INCREMENTUM DEUS.

Ad CL. V.

D. JOACHIMUM CAMERARIUM

Reip. Noriberg. Medicum celeberrimum,

CUNRADI RITTERSHUSII I. C.

Epiſtola Præliminaris,

De renovanda editione Fabularum PHÆDRI nuper à P. Pithœo ropertarum:

In qua ſimul & de uſu Fabularum breviter diſſeritur.

EABULIS idem qui & Comœdiæ, atque Tragœdiæ, & Satyris, ac Mimis, imò (ut paucis abſolvam) univerſæ Poëſi, ſcopus propoſitus eſt, quod tu Clariſſime & eruditiſſime CAMERARI, non ignoras: emendare videlicet corruptos hominum mores, atque ad honeſtatis ac virtutis ſtudium à vitiorum obſcœnitate traducere. Quam in ſententiam hic ipſe, cui præfamur, *Phædrus*, ſcribit in Prologo lib. 1. *Libelli* (inquit) *mos eſt, quod prudentis vitam conſilio monet.* Et lib. 2, *Nec aliud quicquam per fabellas quæritur, Quàm corrigatur error ut mortalium, Acuátque ſeſe diligens induſtria.* Vide eundem & in *Prologo lib.* 3. Quanquam enim hoc ipſum Philoſophia quoque illa virtutis indagatrix, vitiorúmque expultrix perficere meditatur: hæc tamen apud multos mortales locum, quem debebat non invenit, nec ſcopum ſuum aſſequitur: quod non ipſius ſed hominum vitio fit. Amara enim ſunt vitioſis, ac malè viventibus præcepta juſtitiæ, aliarúm-

rúmque virtutum : quibus, ut *D. Hieronymi* verbis utar, aſperam & inſuavem virtutis viam fecit nimia vitiorum conſuetudo. Hi igitur ab illis abhorrent : ac ut ventriculus corruptus ſalubres cibos, ita ipſi ſalutaria præcepta reſpuunt, & continere nullo modo poſſunt, ſi nudè & directè ſinéque involucro aut circuitione ipſis tradita fuerint. Quò reſpiciens & *Chryſoſtomus Homilia* 22. ad Epheſ. veriſſimè dixit, ὅτι αὐτὴ καθ' ἑαυτὴν τῆς ἀρετῆς ἡ παραίνεσις πολὺ τὸ σκυθρωπὸν ἔχει: rectéque hoc fecit *Agathias Scholaſticus*, is qui & hiſtoriam ſcripſit, in ſuo de Æſopo Epigrammate: φευκτὸν δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις. id eſt, Aſpera & præfracta correctio atque admonitio res ejuſmodi eſt, quam omnes fugiunt & averſantur. Eruditè quoque *Iulius Pollux*, *cap.* 1. *Onomaſtici ſui* in eandem ſententiam ſcripſit : ἐπεὶ τὸ διδασκαλικὸν εἶδος αὐχμηρόν ἐστι καὶ προσκορες, οὐδὲν ἄν τι κωλύοι προσθεῖναι καὶ μύθου γλυκύτητα εἰς ψυχαγωγίαν. Quia (inquit) nuda illa docendi præcipiendíque ratio moleſtiam hominibus & ſatietatem adfert, nihil prohibet fortaſſe, quò minus ad perſuadendos ducendoſque hominum animos etiam fabulæ dulcedinem adhibeamus: Hac re animadverſa, jam olim extiterunt ſummâ viri prudentiâ & eruditione præditi, qui amaritudinem illam, quantumvis ſalutarem, ſed quam non omnes ægroti ferre poſſent, variis condimentis, & ἡδύσμασι velut emendare, aut certè diſſimulare ac tegere niterentur, & mordax illud verum, quo teneriores animi facilè offenduntur, quaſi quodam temperamento dulcedinis miſcerent ac diluerent : quo ſcilicet gratiora ſubirent animos hominum præce-

pta virtutis, à quibus, ſi velut meraca propinarentur, multi propter vitioſitatem infirmitatémque ſuam abhorrerent. Non aliter quàm vos medici ſoletis, cum amarum aliquod pharmacum imperantibus veſtris propinatis. Circumlinitis enim pocula melle aut ſaccharo, ut amara remedia ab imprudentibus ſine offenſione educantur, dum illiciens prima dulcedo acerbitatem ſaporis aſperi ſub prætextu ſuavitatis occultat: quam rem ſuaviloquenti carmine Pierio expoſuit *Lucretius lib.* 1. & 4. Bis enim coſdem verſus, ut & aliâs fecii, repoſuit. Sic autem ait:

——Veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavóque liquore,
Ut puerorum ætas improvida ludificetur
Labrorum tenus: interea perpotet amarum
Abſinthi laticem, deceptáque non capiatur,
Sed potius tali facto recreata valeſcat:
Si ego nunc. Quo nomine *Agellius, lib. 2. c. pen.* Æſopum laudat, qui feſtivos delectabiléſque Apologos commentus, res ſalubriter ac perſpicienter animadverſas in mentes animóſque hominum cum audiendi quadam illecebra induerit; non ſeverè neque imperiosè, ut Philoſophis mos eſt, præceperit, & cenſuerit, quæ utilia monitu ſuaſúque erant. Ad eandem igitur (ut dixi) metam contendunt Poëtæ & Fabularum inventores cum Philoſophis; ſed aliis itineribus proficiſcuntur. Hi ſine involucris apertè & abſque circuitione rem agunt; illi ἐν αἰνιγμοῖς & velut per cuniculos: Hi directò; illi obliquè: hi denique præceptis maximè; illi exemplis, quibus

pluri-

plurimum homines plebeji moventur, ut ait etiam *Macrobius*, & quidem exemplis fictis potiùs quàm veris. Hæc enim historicorum sunt. Unde rectè ac verè hoc scripsit *Plutarchus in lib. De audiendis Poëtis*: τὸ τῶν ποιητῶν μυθῶδες οὐκ ἀφιλόσοφόν ἐστιν. Et *Philo Iudæus*: παίδευταί εἰσιν οἱ ποιηταὶ τοῦ σύμπαντος καθάπερ ἰδίᾳ γονεῖς παιδὸς, καὶ οὗτοι τὰς πόλεις δημοσίᾳ σωφρονίζουσι. *Aristophanes* quoque in *Ranis* ait: δεξιότητος καὶ νουθεσίας ἕνεκα χρὴ θαυμάζειν ἄνδρα ποιητὴν, ὅτι βελτίους ποιεῖ τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσι. Quæ ego de Poësi idcirco pluribus adscripsi, quod & hujus principium ac velut anima sit Fabula, secundum *Aristotelem*.

Præterea Fabularum utilitas etiam ex his quæ subjiciam, æstimari poterit. Omnes homines semetipsos nescio quomodo tàm perversè & præposterè amant, ut etiam vitiis suis faveant, & blandiantur, sibíque in peccatis facilè ignoscant, imò ea ne quidem agnoscant; reprehendi verò se & argui ab aliis ægrè ferant: magísque aliorum errata quàm sua delicta observent, animadvertant, ac rimentur, in propriis talpæ, in alienis Lyncei & Argi. Verissimè *Symmachus* (*lib.* 1. *epist.* 72.) *Fit sæpè ut judicis severitatem frangat affectio, & amicorum facta dictáque eâ indulgentia censeamus, quâ plerumque singuli etiam vitia nostra diligimus*. Cúmque alii ob facta & sequiora reprehenduntur, summa id cum voluptate audiunt, etiamsi ad ipsos quoque fortasse multo justius illa reprehensio posset accommodari. Quò pertinet fabella hujus ipsius auctoris, de duabus peris seu manticis, cuique ab Jove attributis: quarum in alteram posticam, à tergo suspensam, nostra vitia; in alteram, anti-

anticam, quæquam conſpectui noſtro ſemper ſit expoſita, recondamus aliena. Eodem & Lamiarum Fabula ſpectat: quæ foris tantum oculatæ ſint, domi verò oculos habeant reconditos. Quid quod multi etiam in manifeſtam prolabuntur impudentiam, cum directò & nominatim objurgantur, vel officii admonentur, inque virtutis viam, unde exorbitarant, revocantur, *caſtigatíque remordent*, ſecundum *Iuvenalem*: qui vel corrigi, vel certè minus improbi effici poterant, ſi quaſi per alienum latus pungerentur, & aliud agendo monerentur. Hanc igitur ob rem Apologi & narrationes fabuloſæ repertæ ſunt, quibus exempla virtutum ad imitandum, & vitiorum ad fugiendum ſub imaginibus alienarum perſonarum, vel etiam brutorum animalium, nonnunquam & rerum animâ carentium proponerentur, & hominum, quibus cum ſermo eſſet, vitia rectè reprehenderentur: qui fortaſſe reſilirent & averſarentur monitorem, ejúſque ſalutarem medicinam reſpuerent, phreneticorum inſtar, ſi quis ſine circuitione cum ipſis agere vellet.

Ut profana hîc omittamus exempla, quid ego dicam de Apologo illo lepidiſſimo, qui *Iudicum* c.9. exſtat, quo ibi Joathan ad reprehendendos Sichimitas utitur? Nónne hoc modo videmus Prophetam quoque Nathanem prudenter quaſi per cuniculos quoſdam aggredi Regem ſuum Davidem, 2.*Reg.*12.cum is duplici ſe ſcelere adſtrinxiſſet? Uriæ nimirum & conjugali toro violato, & vitâ per dolum ereptâ? Propoſito enim Apologo de paupere unicæ oviculæ domino, qua ipſum dives quidam

dam πολύμηλον ſpoliavit, ipſum Davidem facit judicem: ejúſque deinde ſententiâ ipſummet condemnatum & conſtrictum tenet & jugulat ſuo quaſi gladio. Hunc enim homines morem habent, ut in ulciſcendis vitiis, quibus ipſi indulgent, acres ſint: quemadmodum graviter & eleganter ſcribit *Sex. Aurel. Victor, in Auguſto*: qui cum eſſet luxuriæ ſerviens, erat tamen ejuſdem vitii ſeveriſſimus ultor.

(*Peccantes alios taxare & carpere promptus*
In culpâ veniam dat ſibi quiſque ſuâ.)

Nonne (ut alia omittam) ad Apologum illum veterem (quem plebi Romanæ à Patribus in Aventinum ſecedenti propoſuit Menenius Agrippa) de membrorum corporis humani aut ſalutari concordiâ, aut exitioſâ diſcordiâ, ſæpe etiam ipſum *Paulum Apoſtolum* in divinis ſuis Epiſtolis alludere videmus, & Chriſtianos ad mutuam conſenſionem caritatémque adhortari? Quem eundem Apologum ſcitè ad ſuum negotium accommodavit & Hadrianus Pont. Max. teſte *Ioan. Sarisberienſi, lib.* 6. *De nugis Curialium cap.* 24.

Proverbia quoque, & parobolæ, & adagiones, quibus ipſæ etiam Sacræ literæ ſcatent, ad eandem fermè claſſem referri poſſe videntur, ad occultam, inquam, illam, Philoſophiam, quæ dum aliud præ ſe fert, aliud interim reverâ agit. Neque non eundem ſcopum ſpectant & Symbola atque Emblemata, (in quibus plurima ſumma ingenia ab Ægyptiorum Hieroglyphicis capto exemplo, ut opinor, ſeſe exercuerunt, maximéque Italorum: quorum tu veſtigia premens, clariſſ. CAMERARI, nobis jam tres

tres dediſti abs te ex univerſa rerum Natura collectas Emblematum & Symbolorum centurias; quartam quoque brevi, quod optamus & ſperamus, cum Deo propitio additurus.) Symbola inquam & Emblemata eundem cum Fabulis, cum Apologis, cum Poëſi, cum Comœdia & Tragœdia, Satyris, Mimis, cum ipſâ denique magiſtra vitæ Philoſophiâ, ſcopum ſpectant. Sunt enim hæc ad virtutem & ſalutem omnia, ut *Terentiano* utamur verbo.

Ex his quæ attigi, manifeſta eſt, opinor, Fabularum utilitas : quæ tametſi inſtitutioni puerili, eorúmque hominum qui puerili ſententiâ præditi ſunt, maximè conveniunt: (Pueri enim Φιλόμυθοι ſunt, id eſt, fabuloſarum narrationum ſtudioſi, coque magis, quo melius nati ſunt, propter ingeneratam omnibus hominibus ſcientiæ cupiditatem, καὶ διὰ τὸ μιμητικὸν, ut eſt apud eundum *Ariſtotelem*) Tamen in viros quoque jam adſcripti adhuc Fabulis magnoperè delectamur. Hinc eſt quod magnos ſæpè Principes, Oratores, & Philoſophos & prudentes Conſiliarios in graviſſimarum rerum deliberationibus, fabulis atque apologis, valdè appoſitè & in loco uſos videmus. Poſſem exempla proferre ex *Platone*, *Demoſthene*, *Ariſtotele*, *Maximo Tyrio*, & aliis præſtantiſſimis ſcriptoribus: niſi pleriſque ea nota eſſe arbitrarer. Unicum duntaxat ex Tiberii Imp. hiſtoria indicare ſufficiat. Quàm aptè profundi ingenii Princeps cum cauſam redderet, quare Præſides Provinciarum vel Procuratores Cæſaris non facilè mutandos, nec niſi defunctis ferè ſucceſſores dandos exiſtimaret, Apologo uſus eſt hujuſmodi, teſte

Ioſepho

Ioſepho lib. 18. *Antiquitat. Iudaic.* Muſcæ catervatim advolantes convulnerati cujuſdam ulcera contexerant. Hunc quidam fortè prætericns miſeratus, operam ei ſuam in muſcis abigendis obtulit. Putabat enim præ virium imbecillitate ipſum eas depellere non poſſe. Orat ſaucius, ut ſe ita ſineret. Mirante altero, quid eſſet, quòd ab hac moleſtiâ liberari nollet; reſpondet ille: Imò his depulſis majore afficiar moleſtiâ & cruciatu. aliæ enim his ſuccedent recentes muſcæ, & famelicæ, quæ me jam antè malè habitum planè perdent. at iſtæ quæ mihi nunc inſident, jam nonnihil remiſſius ſugunt ſanguinem, quo ſcilicet fermè exſaturatæ ſunt. Sic ergo, inquit Tiberius, ego quoque Provincialibus conſulere cupio, ne multorum Præſidum rapinis, nimium vexentur & deglubantur: quod fieret omninò, ſi crebrò illi mutarentur, accedente ad innatam cupiditatem etiam citò decedendi metu. Malo igitur ditatos rapinis relinquere, quàm novos ſubſtituere. Apologum hunc ab Æſopo mutuatus eſt Tiberius. Ille enim ad Samios cum patrocinium præſtaret cuidam Trib. pl. qui capitis arceſſebatur ob peculatum, ſimilem quendam pro ejus defenſione Apologum attulit, de vulpe in voraginem delapſa, ac prohibente erinaceum, ne muſcas caninas, à quibus obſidebatur, à ſe depelleret: ut auctor eſt *Ariſtoteles lib.* 2. *Rhet.* 20. Quàm concinnè autem *Demoſthenes*, ſummus apud Græcos Orator, Philippo Macedone Oratores ſibi ab Athenienſibus dedi polulante, quòd negaret aliter quàm his remotis ſe cum ipſis fœdus facturum, diſſuaſit deditionem, uſus

ad

ad id consilium Apologo de lupis, pastoribus, & canibus. Pacti quondam fuerant lupi cum pastoribus, nihil se amplius hostile in oves molituros, si canes sibi à pastoribus dederentur, causa scilicet omnium malorum. Creduli pastores cum canes lupis dedidissent, experti sunt, præsidio orbatos ovium greges jam à lupis impunè invadi atque laniari. Idem volebat intelligi eventurum etiam Athenienſibus à Macedone hoste, si Oratores ei dedidissent. Sic igitur veteres Fabulæ ad graves deliberationes sæpè accommodantur. Quosdam etiam novarum inventione Fabularum singularem ingenii & dexteritatis laudem novimus consecutos. Ac memini ipse, tuum sororium amicum meum, *Esromum Rudingerum* opt. ac jucundiss. senem, extremo illo velut actu vitæ suæ, quem inter nos in hac ipsâ Academia transegit, cum ipse ad alios docendos in publicum prodire non posset, quòd mente licet incolumi manibus tamen pedibúsque captus ex Moravis rediisset, atque ut ipse de se loqui amabat, ἄχειρ καὶ ἄπους vivendum haberet, aditum ad se adolescentibus discendi cupidis libenter aperiret, suæque doctrinæ opes liberaliter cum ipsis communicaret: tunc ergo memini eum fabellarum adinventione atque elaboratione senectutis incommoda, & morbi molestias sæpè fefelliſſe ac leniisse, cum fructus inde non exiguus ad multos, qui ipsi operam dare vellent, rediret. De patre tuo, *Ioachimo Camerario* Magno, quid dicam? quid de *Gabriele Faërno?* quid de *Pantaleone* Candido? quid de aliis? Quis enim nescit, quantum his Fabulæ debeant?

Et

Et Faërni quidem centum Fabulæ tanto ſermonis nitore, tanta carminum venuſtate deſcriptæ ſunt, ut ſi auctoris nomen præſcriptum non haberent, vetuſtati ſe inſerere poſſe videantur, adeò cum quavis erudita antiquitate certant, incertâ ac dubiâ palmâ. Tuus autem Pater ſi nullum aliud ingenii doctrinæque ſuæ monumentum nobis reliquiſſet (reliquit autem longè plurima & elaboratiſſima, quorum partim edita ſunt, partim apud te non minus virtutum quàm librorum paternorum hæredem ſervantur ἀνέκδοτα, ex quibus ipſum, quantus in omni eruditæ doctrinæ genere fuerit, æſtimare poſſimus) vel ob unicum illum Fabularum Æſopicarum libellum omnis eruditorum & elegantium hominum natio plurimum ei deberet. Itaque meritò libellus ille ab omnibus tanti fit, quanti par eſt fieri opus eruditum & limatum omni curâ, quod & ad linguam juventutis excolendam, & ad animos liberalis ſcientiæ copiâ implendos maximas adferre utilitates poteſt. Sed de hoc in præſentia pluribus, ad te præſertim qui tuas tuorúmve licet veriſſimas laudes invitiſſimus audire conſueviſti, opus non eſt.

Ad PHÆDRI fabulas venio. Harum namque gratia hæc ad te præfari paulò altiùs repetito exordio placuit.

De hoc libello idem ego tecum & cum politiſſ. viro *Iacobo Bongarſio* ſentio, Elegantem eſſe cumprimis, & florente etiam ac purâ linguâ Latinâ ſcriptum : (quæ paulò pòſt multum à nativâ illâ ſimplicitate ſuâ degeneravit :) ac ſupparem eſſe judico hunc *Phædrum Laberio*, ac

Pu-

Publio Syro Mimographis : abundare quoque optimis & ad vitam utiliſſimis ſententiis , ἀυτὸ, φασι, δείξ. Tantùm vellem in numeris ac legibus carminis jambici paulò accuratior fuiſſet , in quibus palam eſt , eum ſatis negligentem eſſe , ne dicam diſſolutum. Sed Comicorum ille fortaſſe hac in re licentiam imitari voluit, nihilque circa numeros penſi habuit, dum purè atque emendatè loqueretur : in quo ſtudio nemini facilè cedit. Hoc quoque non ſine judicio feciſſe exiſtimandus eſt : quòd ad fabularum deſcriptionem jambos potiſſimum adhibere voluit. Hoc enim metri genus quàm minimè à quotidiano & naturali ſermone recedit : adeóque ipſa natura (ſi *Ariſtoteli* credimus) id invenit, ceu maximè accommodatum & propriùm τῇ λέξῃ. μάλιστα γὰρ λεκτικὸν τῶν μέτρων τὸ ἰαμβεῖον ἐστί. σημεῖον δὲ τούτου· πολλοῖς γὰρ ἰαμβεῖα λέγομεν ἐν τῇ διαλέκτῳ τῇ πρὸς ἀλλήλους. Plurimi (inquit) verſus jambici in familiari ſermone à nobis nec advertentibus proferuntur , ac velut excidunt nobis : Hexametri verò aut alii non item. Hinc *Auſonius* trimetriam pedeſtre opus exili ſtylo concinnatum vocat *epiſt. ad Probum Præf. Præt.* cui mittit Apologos,

Æſopiam trimetriam,
Quam vertit exili ſtylo
Pedeſtre concinnans opus
Fandi Titianus artifex.

Quem Titianum longè poſteriorem *Phædro* noſtro fuiſſe, & Scholam municipalem apud Viſontionem & Lugdunum rexiſſe, diſcimus ex Auſonii Gratiarum actione. Hi igitur duo jambicis ad Fabellarum

rum expoſitionem uſi ſunt verſibus. Socrates tamen cum & ipſe olim *Æſopi* Fabellas verſibus exponere & commentari cœpiſſet, Elegiacum adhibere carmen maluit (ut ejus fortaſſe exemplo poſtea apud Latinos fecit *Avienus*, cujus adhuc extat libellus) ac refertur hoc *Socratis* diſtichon à *Diogene Laërtio*:

Αἴσωπός ποτ' ἔλεξε κορίνθων ἄσυ νέμεσσι,
Μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ.

Hoc eſt:

Æſopum perhibent cives docuiſſe Corinthi,
Virtutem populi ne ratione probent.

Cum igitur tanta ſit hujus auctoris μυθογράφου bonitas: dolendum profectò eſt, tamdiu ipſum velut ſepultum jacuiſſe, adeoque vix nomine notum, abſque *Avieno* fuiſſet, qui ejus meminit in Præfatione Fabularum ſuarum, quas Theodoſio Imp. inſcripſit. Ac immortalis gratia debetur magno illi antiquitatis vindici P. PITHOEO, qui Libertum hunc Auguſtalem non modò liberali manu iterum aſſeruit, ſed etiam vita redonavit: utinam verò etiam vulnera ipſius perſanare omnia potuiſſet! Non minor tibi quoque, humaniſſime Camerari, & auctori tuo Jac. Bongarſio, debebitur gratia, ſi (quod opto & ſpero) cogitata executus fueris, & libellum hunc ad Tricaſſinum exemplar tuum Typographo alicui recudendum dederis publici boni cauſſa: quippe

Non minor eſt Virtus quam quærere, parta tueri.

Ne verò fruſtra tuum exemplar ad nos miſeris, atque à me incentivum quoddam habeas ad novam

editionem procurandam, dedi operam, ut nonnullis in locis paulò, nisi fallor, emendatior *Phædrus* tuus ad te rediret: quod tu ex Notis quas subjiciam, an assecutus sim, si operæ est, arbitrabere.

Cum autem res ferè plerisque insuavis sit, circa lectionis tantùm vel emendationem vel varietatem occupari: ut dulcesceret harum Notarum lectio, adsperси illis passim ἡδύσματα quædam: nempe explicationem Antiquitatum quarundam, ad quas *Phædrus* passim alluсit: Sententias etiam, quibus ad omnes vitæ partes utilissimis & saluberrimis abundat, similium aliarum collatione illustravi. Qui quidem totus labor ad utilitatem adolescentum à me susceptus est. Atque ecce vix hæc ita scripseram, cum à te mihi litteræ adferuntur, quibus CL. V. *Petri Pithœi*, cujus immortali beneficio & hic elegantissimus libellus nuper, & plurima alia venerandæ antiquitatis monumenta sæpè antehac edita sunt, abitionem mihi nuntias. Sic enim ex Galliis te accepisse ais, hunc virum immortalitate dignum fato functum esse. Itaque ego cum facilè intelligerem, quantam in ejus occasu bonæ literæ jacturam fecerint, quasi attonitus tàm tristi nuntio, in verba quædam emmetra prorupi, eáque postea dum oda fieret, continuavi ac detexui: quæ forsitan hic subjicere haud alienum fuerit.

O luctuosum ipsis Camœnis nuntium!
O flebilem omnibus bonis!
Pithœe téne abisse? dignum vivere
Plus trina secla Nestoris?
Et hoc, scio, omnis erudita, sentiens

Me-

Mecum, fatetur natio,
Æternitatem te merere tot libris,
Quos è tenebris eruit
Rei juvandæ nata literariæ
Iuduſtria excellens tua.
Prævidit hoc, prædixit olim & inclyti
Divina mens Cujacii:
Te, te fore illum, qui fugam omni Gallia
Muſas parantes ſiſtere,
Et è fuga Deas ſua reprendere
Quiret ſuis laboribus,
Suadâ ſuâ, ſumptu ſuo: & Magnum fore
Antiquitatis vindicem.
Et tu tamen tantus vir, heu! jam vixeris!
Sed vivis omni ſeculo,
Vivis, Pithœe: in fratre primùm te altero,
Quo non tibi tu carior:
Per te ipſe deinde, namque tot meritis tuis
Parta eſt tibi immortalitas:
Latiſſimoque cenſui Proſerpinæ
Piæ Camœnæ te eximent:
Tu Gallicanis vatibus cantabere,
Tria dum virebunt lilia.
Te Paſſerat! doctæ celebrabunt melæ:
Te Chriſtiani floridæ
Muſæ canent; Antiquitatis vindicem
Cantu vehet te Scævola,
Cui Sancta-Martha nomen inclytum dedit.
Te carmini intexet ſacro
Thuanus ore grandiloquo intonans Epos.
Non, literarum illud decus,

editionem procurandam, dedi operam, ut nonnullis in locis paulò, nisi fallor, emendatior *Phædrus* tuus ad te rediret: quod tu ex Notis quas subjiciam, an assecutus sim, si operæ est, arbitrabere.

Cum autem res ferè plerisque insuavis sit, circa lectionis tantùm vel emendationem vel varietatem occupari: ut dulcesceret harum Notarum lectio, adsperси illis passim ἡδύσματα quædam: nempe explicationem Antiquitatum quarundam, ad quas *Phædrus* passim alluſit: Sententias etiam, quibus ad omnes vitæ partes utilissimis & saluberrimis abundat, similium aliarum collatione illustravi. Qui quidem totus labor ad utilitatem adolescentum à me susceptus est. Atque ecce vix hæc ita scripseram, cum à te mihi litteræ adferuntur, quibus CL. V. *Petri Pithœi*, cujus immortali beneficio & hic elegantissimus libellus nuper, & plurima alia venerandæ antiquitatis monumenta sæpè antehac edita sunt, abitionem mihi nuntias. Sic enim ex Galliis te accepisse ais, hunc virum immortalitate dignum fato functum esse. Itaque ego cum facilè intelligerem, quantam in ejus occasu bonæ literæ jacturam fecerint, quasi attonitus tàm tristi nuntio, in verba quædam emmetra prorupi, eáque postea dum oda fieret, continuavi ac detexui: quæ forsitan hic subjicere haud alienum fuerit.

O luctuosum ipsis Camœnis nuntium!
O flebilem omnibus bonis!
Pithœe tène abisse? dignum vivere
Plus trina secla Nestoris?
Et hoc, scio, omnis erudita, sentiens

Me-

Mecum, fatetur natio,
Æternitatem te merere tot libris,
Quos è tenebris eruit
Rei juvandæ nata literariæ
Iuduſtria excellens tua.
Prævidit hoc, prædixit olim & inclyti
Divina mens Cujacii:
Te, te fore illum, qui fugam omni Gallia
Muſas parantes ſiſtere,
Et è fuga Deas ſua reprendere
Quiret ſuis laboribus,
Suadâ ſuâ, ſumptu ſuo: & Magnum fore
Antiquitatis vindicem.
Et tu tamen tantus vir, heu! jam vixeris!
Sed vivis omni ſeculo,
Vivis, Pithœe: in fratre primùm te altero,
Quo non tibi tu carior:
Per te ipſe deinde, namque tot meritis tuis
Parta eſt tibi immortalitas:
Latiſſimoque cenſui Proſerpinæ
Piæ Camœnæ te eximent:
Tu Gallicanis vatibus cantabere,
Tria dum virebunt lilia.
Te Paſſerat! doctæ celebrabunt melæ:
Te Chriſtiani floridæ
Muſæ canent; Antiquitatis vindicem
Cantu vehet te Scævola,
Cui Sancta-Martha nomen inclytum dedit.
Te carmini intexet ſacro
Thuanus ore grandiloquo intonans Epos.
Non, literarum illud decus,

Te præteribit optimus Caſaubonus.
Te quiſquis horum gloriæ
Comes per illa regna etiam Muſas colit,
Vaſtata, eheu, Marte impio,
Mori vetabit, poſtumis tradens tuas
Laudes canendas ſeculis.
Nec muta gens Oenotriorum vatum erit,
Vel inclytorum Teutonum.
Pithœus unus omnibus carmen dabis,
Ciens agona muſicum.
Hos inter ipſe quamlibet extremi loci
Hoc ſolvo debitum tibi:
Cui pace detur munere Dei perfrui, &
Felicitate perpeti.

Hæc ego tum veluti Parentalia ſummi viri modulabar: quæ te, *Camerari* doctiſſime, velim, uti & cæteras commentationes noſtras, non invitum legiſſe. Vale, Altorphii in Academia Norica. XVIII. Novemb. cIↃ. IↃ. xcvi.

VITA
PHÆDRI
à
IOANNE SCHEFFERO
ARGENTORAT.
Compoſita.

PHædrus, cujus pauci meminerunt apud veteres, ſi non ante, ſub Auguſto ſaltem natus fuit. *Virgilium* profectò ac *Ovidium* eſt æmulatus, qui utrique ſub Auguſto floruere. Quin imo Auguſti mentionem facit ipſe, tanquam ejus, ſub quo vixerit, cujuſque geſta quædam obſervarit. Nam cum Lib. III. F. 10. præmiſiſſet: *Narrabo tibi, memoria quod factum eſt mea:* ſubdit: *a Divo Auguſto tunc petiere judices.* Patriam habuit Thraciam, ut ipſe indicat *Præfat. Fab. Lib.* III. his verbis.

Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?
Threſſia cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens, Muſa Orpheo.

Sed hoc alii. Amplius obſervatione dignum, quod in monte Pierio videatur editus, quem antiqui ſedem atque domicilium Muſarum credidere. Ita namque, dicto loco.

Ego, quem Pierio mater enixa eſt jugo,
In quo tonanti ſancta Mnemoſine Iovi
Fœcunda novies artium peperit chorum.

Vides ſimul, in hoc monte Muſas genitas putaſſe olim. Unde quoque nata eſt opinio, quod ibi commorentur. *Strabo Lib. x. A cantilena & numeris, & inſtrumentis, & Thracica omnis Muſica, & Aſiatica fit magni. Quod ex eo liquet, quia ibi loca ſunt, in quibus velut ſedibus ſuis Muſæ eſſe dicuntur. Nam Pieria, Pimpla Libethrum olim Thraciæ fuere montes regioneſque.* Sic hunc locum verto, quem obſcurius nonnihil *Caſaubonus* reddidiſſe videtur. Jam quia Muſæ artium omnium ac litterarum Deæ, poſt ſuperius allata verba *Phædrus* ſubjecit, *natum ſe in ipſa prope Schola.* Parentes quos habuerit, haud conſtat. Saltem quoniam in Thracia editus, Thrax ipſe fuit, minime ſervilis extitiſſe conditionis credi poſſunt, at ſic caſu potius, quam naſcendi ſorte, factus eſſe ſervus. Neque cum *P. Pithœo, Libertinum Auguſti* ſed *Libertum* appellari oportere. Cæterum quis ille caſus fuerit, nemini eſt promptum dicere. Niſi fors quis divinare velit ex *Suetonio*, quando de Octavii Auguſti patre ſcribit *Cap. 3. Beſſos ac Thracas magno prælio fudiſſe.* Potuit nimirum eveniſſe tum, ut cum aliis captivus Romam duceretur. Quod ſi quis admittit, ad primam *Phædri* ſe extendere ætatem etiam ad Julium neceſſe eſt, quando memoratum bellum geſtum eo tempore, quo Cæſar ſolus geſſit Conſulatum, atque Q. Cicero Aſiam adminiſtravit. Nec fortaſſe multum obſtat huic ſententiæ, cum præſertim ſenectutis ſuæ paſſim *Phædrus* ipſe mentionem faciat temporibus Sejani. Ingenium videtur habuiſſe probitatis atque honeſtatis amans, oſtenduntque tot egregiæ ſententiæ, quæ in hoc opuſculo occurrunt.

Quin

Quin imo & alios juxta ſecum ad virtutis cultum incitare ſtuduit, ut palam in Præfat. *Lib.* II. oſtendit. Pertinet huc quoque, quod eodem Libro habet de ardelionum natione, multo labore nil agente:

Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo.

Nec interea moroſus fuiſſe credi poteſt, ſed jucundus hilariſque, ut potiſſimum ex *Lib.* IV. *Fab.* 13. & 14. item *Fab.* 16. liquet. Opes & pecunias alto generoſoque animo contempſit ſemper, ut de ſe teſtatur ipſe *Lib.* III. *Præf.* ubi *Curam habendi penitus corde eraſiſſe* ſcribit. Maxime verò hoc egit, cum videret, quam multis exitiales eſſent ſuo tempore pecuniæ. Id quod innuit *Lib.* V. *Fab.* 4. ubi ait, poſt allatam fabulam de aſino, detrectante hordei comedere reliquias, quò ſaginatus porcus, Herculi deinde immolatus fuit:

Hujus reſpectu fabulæ deterritus
Periculoſum ſemper vitavi lucrum.

Et profectò tunc opulentiſſimum quemque à Tiberio variis criminationibus circumveniri ſolitum, non ipſe modo docet in ſequentibus, ſed & exemplis à *Suetonio Cap.* 49. & *Tacito* VI. *An. Cap.* 19. aliiſque locis allatis comprobatur. Quemadmodum verò negligens fuit opum, ita ex adverſo gloriam ſectatus eſt, eam maxime, quæ eſt ex litteris doctrinaque. Ideo & de obtenta ea tantum non triumphat, in *Præf Lib.* III. ubi ait:

Ergo hinc abeſto livor, ne fruſtra gemas,
Quoniam mihi ſolennis debetur gloria.

Sic in fine *Lib.* IV. *Mihi parta laus eſt.* Quin imo tam præclare de ſe ſentit, ut & aliis famam nominis ac

Immortalitatem dare poſſe ſcriptis crediderit. Inde ad Particulonem *Lib.* v.

Particulo chartis nomen victure meis.

Litteras autem ipſas magno animi ardore eſt aggreſſus, & in illis eam partem maxime, quæ Poëſis appellatur. Liquet vel ex eo, quia puerum ſe etiam tractaſſe *Ennium* fatetur, & ex eo verſum citat *Lib.* IV. circa finem, ubi *Ennium* intelligit, cum ait:

Ego quondam legi quam puer ſententiam;
Palam mutire plebeio periculum eſt;
Dum ſanitas conſtabit, pulchre memini.

Atque hinc fortaſſe factum, ut *Æſopi* Fabulas verſu potius, quam oratione proſa comprehenderet; de quibus amplius nunc aliquid dicendum. Scripſiſſe eas in ætate ultima ipſe innuit non uno loco, pertinetque huc potiſſimum poſtrema, quæ in libro quinto eſt, Fabella. Quin & tempus poteſt colligi quodammodo ex libri tertii proœmio, quo videlicet Sejanus pro arbitrio cuncta geſſit ſub Tiberio, ſuamque latiſſime potentiam exercuit. Ubi ſimul etiam cauſa ſcripti hujus aperitur. Calamitas nimirum certa & peculiaris, in quam odio & perſecutione Sejani præcipitatus, fortunam, quia non licebat aperte, ob potentem adverſariorum, occulte ſaltem, & ſub involucris Fabularum exponere, depingendoque mores ejus ac flagitia, velut ultionem ſumere de ipſo, ſeque conſolari ſic ſuſcepit. Ita enim eſt intelligendus locus totus qui occurrit in prædicto *Proœm. Lib.* 3.

Ser-

——— Servitus obnoxia
Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit
Calumniamque fictis eluſit jocis:
Ego porro illius ſemita feci viam;
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.

Secutus in pleriſque eſt *Æſopum*, niſi quod interdum etiam hiſtorias admiſceat, ut ex *Lib.* III. *Fab.* 20. & *Lib.* V. *Fab.* 1. intelligitur. Sed & ex illis ipſis *Æſopi*, non omnino omnes, verum cum dilectu eas ſaltem ſcribere ſuſcepit, quæ ſervirent inſtituto, id eſt, vel Sejanum tacite arguerent, vel calamitatem propriam declararent. Ita ſtatim ab initio affert Fabulam de *Lupo* & *Agno*, quorum ille Sejani, hic *Phædri* ſpeciem exhibere debet. Igitur & ſic concludit eam:

Hæc propter illos ſcripta eſt homines fabula,
Qui fictis cauſis innocentes opprimunt.

Quibus verbis manifeſte ſortem ſuam deplorat, & Sejani crudelitatem ſignificat. Nec fortaſſis aliud quid altera reſpexit fabula, quam ut hydro ingenium Sejani, quodque ipſe animabat veluti, Tiberii exprimeret, eique opponeret patientiam, humanitatem, bonitatem Auguſti, ſub quo primum vixerat. Sed & tertia quartaque manifeſtum continent augurium de futuro Sejani caſu: quem haud ſecus ac graculum omnes ob faſtum intolerabilem olim eſſent deplumaturi. Quod ſi eveniet, ſimilem vult futurum cani, qui dum captat alia, ea etiam, quæ poſſidet, amittat. Nec fefellit *Phædrum* iſta præ-

præſagitio, uti ex hiſtoria Sejani manifeſtum eſt. Verum iſtæc obiter, & tantum, ut oſtendam cauſas & occaſiones harum Fabularum. Quas intelliget etiam in cæteris, qui conferre iſta tempora cum iis volet. Nam cohærent inter ſe pulcherrimè, hocque fine ſunt ab eo ſelectæ, ſicut ipſe. Lib. III. Fab. 12. & IV. ubi Poëta, Pag. 225. indigitat. Scripſit porro has fabellas ſtylo longe optimo ac latiniſſimo, ut plerique docti tradiderunt, quod ex teſtimoniis ipſorum alibi propoſitis apparet. Nam quod *Schoppius* in eo neſcio quid Barbari ac Thracici ſubodoratur, id plane eſt ejuſmodi, quale ejus, qui in *Tito Livio* deprehendit Patavinitatem. Itaque hucuſque nemini ex doctioribus ſuam approbare potuit ſententiam, nec credo unquam approbabit. Nos, qui & ipſi ſemel iterumque, ac cum cura Noſtrum legimus, adeo nil invenimus iſtiuſmodi, ut in pleriſque *Virgilium*, in cæteris *Plautum*, *Terentium*, *Ovidium* imitatum eſſe opinemur, nec fallacibus argumentis exempliſque in *Notis* noſtris demonſtremus. Denique ipſe longe aliter, quam *Schoppius* de his ad Particulonem.

——— *chartis nomen victurum meis,*
Latinis dum manebit precium litteris.

Quaſi diceret, ſe ita ſcripſiſſe has Fabellas, ut ſi modo ullum precium manebit ſermonis Latini, propter eum in auctoritate ac exiſtimatione ſint futuræ. Nec ipſius ſolum fuit hoc judicium, ſed Particulonis etjam, & aliorum, quippe qui & verba formulaſque ejus ex libellis hiſce ediſcebant, ſcriptiſque inſerebant ſuis. Noſter manifeſte in Præf.

Mihi

Mihi parta laus est quod tu, quod similes tui
Vestras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicetis memoria.

Quanquam autem tanti fuerint æstimati hi libelli, vivo etiam adhuc auctore, tamen non magis ipsi, quam vulgo solent aliorum, evitare invidiam potuerunt. Alii habere quædam fatebantur bona, sed ea ex Æsopo mutuo accepta, cætera ut excogitata sint à Phædro, ita mala esse ac inepta. Vide *Fab.* 20. *Lib.* IV. Alii cum nil possent aliud, brevitatem & obscuritatem earum accusabant. Indicat id ipse *Lib.* III. *Fab.* 10, ubi ait:

Hæc exsecutus sum propterea pluribus,
Brevitate nimia quoniam quosdam offendimus.

Erant &, qui argumenti vilitatem, & humilitatem styli ac orationis arguerent, sicuti ex *Lib.* III. *Fab.* 6. tota intelligitur. Denique qui nil horum audebant, vindicabant sibi, quod inventum erat à *Phædro*, invidia gloriæ alienæ. Hoc enim voluit tota *Fab.* 13. *Lib.* III. ut vel ex conclusione ejus liquet. Libellum primum, & secundum edidit sine dedicatione, cum nuda præfatione ad lectorem qualemcunque, eam secutus causam, quam in præcedentibus prodidimus. Invenerunt statim amatores, interque alios Eutychum: cui propterea, & quoniam ad supplicium tractus fuit interim Sejanus, libellum Tertium, & quemadmodum conjicio, Quartum: itemque Particulonem, cui libellum Quintum dedicavit. Eutychus verò ille ac Particulo qui fuerint, haud facile est dicere. Facit ipse Noster alterum gravibus crebrisque negotiis occupatum, & potentem.

Ita-

Itaque & opem ejus contra æmulos ac inimicos, potiſſimum verò calamitatem, in quam innocens invidia Sejani venerat, implorat. Ac fortaſſe fuit quiſpiam ex libertis in Tiberiana aula, nam in talem convenit potiſſimum ſermonis peregrini nomen. Fortuna *Phædri* reliqua quæ fuerit nonnihil patet ex ſuperioribus. Primum in ætate puerili captus, Romamque ex Thracia deportatus, ibique ab hero ſuo, quocunque denique, ad conſuetudinem illorum temporum, literis imbutus fuiſſe videtur. In quibus cum non parum profeciſſet, accidit forte, ut in domum Auguſti, vehementer doctos homines amantis, vocaretur. Ubi cum probaſſet ſuam fidem, elegantiam ingenii, morum probitatem, paulò poſt manumiſſus ac libertate donatus eſt. Id quod indicat vel titulus opuſculi, in quo LIBERTUS CÆSA. AUGUSTI nominatur. Quem qui de Tiberio accipiunt, ut fit à *Demſtero*, & nonnullis aliis, mihi equidem haud ſatisfaciunt. Et mecum ſentiunt ex eruditis plurimi, quos inter eſt Septimius Florens quoque. Mox Auguſto defuncto, & Tiberio imperium adminiſtrante incidit in calamitatem magnam, nulla ſua culpa, ſicut aliquoties teſtatur, verum odio Sejani, qui eum fictis criminibus accuſaverat juxta, &, ut fuit potentiſſimus, damnari fecerat. Ita enim docent verba ejus, quæ leguntur in *Præfat Lib.* III. Nec fortaſſis tam obſcuri tituli ſunt criminationis ejus, ut videntur, ſi bene reputamus, quod verſatus fuerit in domo Auguſti, ab ipſo clementer habitus, in libertatem reſtitutus. Id enim abſque dubio fuit cauſa,

ſa, cur Auguſtum primo, & mox eo defuncto poſteros illius amaret coleretque. Quos inter cum extiterit primum Agrippa, & deinde Germanicus, non potuit profectò deeſſe color Sejano criminandi noſtrum apud invidentem atque ſuſpicacem principem Tiberium. Tulit autem hanc calamitatem magno animo, & remedium adverſus eam petiit ex litteris. Nec defuere amici, qui eum ſolarentur, & promitterent ſuam opem. Inter quos Eutychus præcipuè, quem propterea ad ſolvenda promiſſa fine *Lib.* IV. ſedulo adhortatur. Quando diem ſuum obierit, ignotum eſt. Saltem poſt Sejanum vixit, quod apparet ex iis, quæ de ipſo tradit. Nec enim veriſimile, fuiſſe ſcripturum vivo Sejano talia, cum & poſt obitum illius extiterint, qui hominem metuerent. Periit porro Sejanus anno Tiberii decimo octavo, à quo ad Conſulatum Julii ſolitarium, quo Romam veniſſe noſter videtur, anni circiter ſunt ſeptuaginta, ut ſeptuageſimum ſuperaſſe annum ætate ſua ſit neceſſe, ac propterea nec videri poſſit mirum, totiens de ſenectute ſua conqueri.

DE ÆTATE PHÆDRI

Ex Ger. Iohan. Voſſii de Poëtis Latinis.

SUb Tiberio vixit *Thædrus* Thrax Auguſti Cæſaris libertus, & qui ſe Auguſtum dicat vidiſſe jus dicentem, & Bathyllum Cilnii Mæcenatis libertum ſaltantem. Reliquit Quinq; Libros fabularum Æſopicarum, jambicis conſcriptos. Antiquiſſimus, qui earum meminit, eſt *Avienus* Præfatione in Fabulas Æſopicas ad Theodoſium Macrobium. Nec mirum adeo non meminiſſe Senecam, ubi loquitur de fabularum Æſopicarum ſcriptoribus. Nam de Romanis loquitur: hic ſe Thracem prædicat.

JUDICIA ET TESTIMONIA

DE PHÆDRO.

PHædrus *ipſe de ſe* lib. v. pag. 377. *Particulonem alloquens,*

------ chartis nomem victurum meis,
Latinis dum manebit precium litteris.

Particulo, aliique, de quibus Thædrus in fine lib. 4.

Veſtras in chartas verba transfertis mea.

Martialis III. *Epig.* 20, *de Canio.*

An æmulatur improbi jocos Phædri?

Avienus in præfat. fabularum ſuarum.

Phædrus etiam partem aliquam quinque in libellos reſolvit.

Septi.

Septi. Florens Chriſtianus, in Carm. ad Pithœum, de Phædro loquens.

---- de ſtylo atque tempore.

Par proximuſve Laberio, vel Publio.

Rittershuſius in Epiſt. Dedicatoria Phædri.

Fabellas continet opuſculum expoſitas ſermone Latino & puro atque genuino, in quo multas antiquæ elegantiæ notas impreſſas cernere eſt, multas legere ſententias, ad quas libet vitæ partes utiliſſimas.

Idem in Epiſt. ad Camerarium, ubi & de Camerarii Bongarſiique judicio, hoc modo.

De hoc libello idem ego tecum, & cum politiſſimo viro, *Iacobo Bongarſio* ſentio, elegantem eſſe cumprimis, & florente etiam, ac pura lingua Latina ſcriptum; ac ſupparem eſſe judico hunc *Phædrum Laberio*, ac *Publio Syro* Mimographo.

Lipſius ad Senec. Conſol. Polyb. Cap. 27.

Phædrus, Tiberii Libertus jam condiderat logos *Æſopi* & pulcherrimis verſibus latinos fecerat, qui extant.

Laur. Pignorius Epiſt. 13.

Etiam ego venire poſſim in litterarum plauſum, velut loquitur elegantiſſimus Fabulator, *Phædrus.*

Barthius XXXV. *Adverſ. Cap.* 21.

De *Phædri* Fabulis ita judicant doctorum plerique; eſſe ingenuæ latinitatis, neque mentiri ævum Tiberii. In quorum ego prorſus opinione ſum, licet unam & alteram ſubditititiam & inſititiam eſſejam olim notarim.

Demſterus ad Roſinum,

Phædrus Trax, Tiberii Libertus, Fabularum luculentus Scriptor.

****

Tana-

Tanaquillus Faber in Not. ad Phædr.

De dicendi genere ſi roges, quid ſentiam, dicam equidem, & quaſi me Cenſor rogaret, ex animi ſententia ; Neminem arbitror à felici illa *Terentii* ſimplicitate propius abeſſe. *& Mox*: Nemo è veteribus ingenio fuiſſe videtur ad illam *Terentii* ſemper-lenitatem magis facto, quam *Phædrus* ; quod & neceſſe fuerat, ea enim eſt apologorum, atque adeo Fabellarum omnium natura, ut ſermone non debeant, niſi facili placidoque tractari.

JOAN-

JOANNI MEURSIO

SUO

CUNR. RITTERSHUSIUS S. P.

EQUIDEM *ita fore augurabar, ut* Phædrum *non ſine fructu & tuo & publico relegeres*, Meurſi *doctiſſime, addo & amiciſſime, quando inter nos ſtudiorum ſimilium amor amicitiam conciliavit. Quare nec me Conſilii mei, quo te ad hanc relectionem invitavi, pœnitere poteſt, nec debet te obſequii, quo mihi morem geſſiſti. Ne multa: probo vehementer emendationes & conjecturas tuas, inter quas nonnullæ eminent, tametſi pleræque omnes ſint feliciſſimæ. Nec minùs probo etiam tuas adverſus quaſdam* Phædri *ſententias diſputationes. Non enim carent probabilibus rationibus. Gratias itaque tibi ago, qui non ſolùm relegendum me hortatore ſuſceperis ſuavem illum Fabulatorem, ſed & obſervata in eo mihi inſcripſeris. Erit hoc amicitia noſtræ monumentum minimè contemnendum* *** *Vale Vir doctiſſime, &, ſi commodum erit tibi, craſtino die unam atque alteram horam tribue mecum deambulationi & litteratæ collocutioni.* XIX. *Juny.* M. D. CVII.

Nobiliſſimo & Eruditiſſimo
Iuveni

D. SIGISMUNDO A BURGAUS

Eq. Sileſio,

CUNR. RITTERSHUSIUS
S. D.

QUAMQUAM totum jam Themidi te devoviſti, Nobiliſſ. eruditiſſimeque *Burghuſi*, ejuſque ſub ſignis ſtrenuè militas, duce & comite vel commilitone *Tobia Sculteto*, viro elegante & polito: tamen pauxilli temporis commeatum miſſionemque ab ea hera te impetrare poſſe confido, ad hæc, quæ non uſque adeò fortaſſe à propoſito tuo aliena ſunt, perluſtranda.

Fabellas continet opuſculum, quod tuo nomini dicamus, à *Phædro* Auguſti Imp. liberto verſibus olim Jambicis expoſitas, ſermone Latino & puro atque genuino, in quo multas antiquæ elegantiæ notas impreſſas cernere eſt; multas legere ſententias ad quaſlibet vitæ partes utiliſſimas. Hæ cum tot ſeculis ignorabiles latuiſſent in tenebris, blattarum tinearumque deliciæ, quæ hominum eſſe debebant: ſuperiore demum anno à *P. Pithœo*, clariſſimo illo Galliæ ſuæ lumine paulò ante occaſum ejus illuſtratæ ſunt.

Ne verò ſola his deliciis Gallia frueretur: exemplar li-

libelli Auguſtobonæ Tricaſſium impreſſi *Iac. Bongarſius*, vir Nobiliſſ. & Cl. amicus ac benevolens meus, inde curavit *D. Joachimo Camerario*: hic porrò mecum, ut ſua ſolet κειμήλια, liberaliter communicavit. Ego cum inter legendum ac relegendum (adeò enim delectabat ejus lectio, ut etiam tertiarem) nonnulla *Phædri* loca Notis quibuſdàm meis quà emendatiora, quà illuſtriora (præfiſcini dixerim) concinnaſſem, eaſque cum Proœmio meo, quo de univerſa re fabellarum, utilitateque, nonnulla, ut mea ferebat tenuitas, diſſerebam, ad ipſum allegaſſem, quem ſimul ad libelli editionem renovandam incitabam: delegavit ille mihi omnem hujus rei procurationem, deditque nuncupandi cuicunque vellem, pontificium. Sibi cur inſcriberem, ſicut me facturum innuebam, nihil me cauſſæ habere, quòd jam ante cùm ſuæ in me benevolentiæ, vel, ut magis propriè loquar, amoris potius ſui, tùm meæ erga ſe obſervantiæ ſatis multa & præclara extarent documenta. Ad alium ergo irem, cui me gratum facturum exiſtimarem. Accepi conditionem: ſed ita, ut maneret tamen vel ſic meum illud, quo ipſum compellabam, Proœmiolum, quod interpolare poſtea, ac velut mutatis ſignis, *Camerario*, cui ſemèl deſtinaram, intervertere non placebat.

Cum autem tibi, Nobiliſſ. juvenis, non ingratum fore hoc dedicationis officium confiderem, ſponſore præſertim idoneo interveniente *Gaſp. Schoppio*, utriuſque noſtrum cupidiſſimo, ac ſperarem, poſſe me hac ratione tuam illam, qua me & coràm aliquando complectebare, & quam abſens etiam non ſemel mihi declaraſti benevolentiam vel augere, vel certè conſervare: Ita hoc quidquid eſt, tibi inſcripſi. Arbitrare igitur hunc ſcriptorem, noſtraſque ad eum commentatiun-

culas, politiſſimo judicio tuo: ac quia nos omnia ejus vel obſcura loca illuſtrare, vel depravata perſanare non potuimus; tu deinceps, quæ tui eſt ingenii felicitas atque facilitas, ceteris & lucem & medicinam facito.

Vale, cum *Sculteto* noſtro, & me mutuiter ama, atque iſtum libellum in tutelam tuam recipe. Altorphii XIX. Aprilis, CIↃ. IↃ. XCVII.

FABU-

FABULARUM,

ET

NARRTAIONUM

INDEX.

Prior numerus Librum, alter Fabulam, tertius Paginam denotat.

A.

Æsopus ad quendam de ſucceſſu improborum. II. iii. 103
Æſopus & Ruſticus. III. iii. 152
Æſopus & petulans. III. v. 162
Æſopus nucibus ludens cum pueris. III. xiv. 201
Æſopus reſpondet Garrulo. III. xix. 218
Æſopus interpres teſtamenti paterni inter liberos, & matrem. IV. v. 235
Agnus, & Lupus. I. i. 5
Agnus, & Canis. III. xv. 205.
Ad *Amicos* Socrates de anguſtia domus ſuæ. III. ix. 176
De *Anguſtia* domus ſuæ Socrates ad Amicos. *ibid.*
Anus ad Amphoram. III. i. 147
Anus diligens Juvenem, item Puella. II. ii. 100
Aper, & Aſinus. I. xxix. 87
Aper, Feles, & Aquila. II. ix. 105
Aper, & Equus. IV. iv. 132
Apes, & Fuci, Veſpa judice. III. xiii. 197
Aquila, & Vulpis. I. xxviii. 84
Aquila, Feles, & Aper. II. iv. 105
Aquila, & Cornix. II. vi. 117
Arbores in Deorum tutela. III. xvii. 212
Aſinus & Leo venantes. I. xi. 40

Asinus ad senem pastorem. I. xv. 52
Asinus, Taurus, & Leo senex. I. xxi. 68
Asinus inridens Aprum. I. xxix. 87
Asinus, & Galli. IV. i. 221
Asini, & Porcelli. V. iv. 365
Ad *Atrienſem* Cæsar Tiberius. II. v. 110
In *Avarum*. IV. xx. 302

B.

De *Barbatis* Capreis. IV. xv. 184
De *Beneficio* Castoris, & Pollucis erga Simonidem. IV. xxiv. 327
Bos, & Rana rupta: I. xxiv. 74
Boves, & Cervus. II. viii. 124

C.

Cæsar Tiberius ad Atrienſem. II. v. 110
Calvus, & Musca. V. iii. 361
Calvus, & quidam Pilis defectus. V. vi. 380
Canis per fluvium carnem ferens. I. iv. 20
Canis, Lupus, & Ovis. I. xvii. 56
Canis Parturiens. I. xix. 61
Canis fidelis. I. xxii. 72
Canis, & Crocodillus. I. xxv. 76
Canis morsui sanando remedium. II. iii. 103
Canis, & Thesaurus, & Vulturius. I. xxvii. 81
Canis, & Lupus. III. vii. 167
Canis ad Agnum. III. xv. 205
Canes famelici. I. xx. 64
Canum Legati ad Jovem. IV. xvii. 289
Canis & Venator. V. x. 398
Capella, & Vacca, Ovis, & Leo. I. v. 22
Caper, & Vulpis. IV. viii. 161
De *Capreis* Barbatis. IV. xv. 184

Caſtoris & Pollucis Beneficium erga Simonidem. IV. xxiv. 327
Cervus ad Fontem. I. xii. 43
Cervus, Lupus, & Ovis. I. xvi. 54
Cervus ad Boves. II. viii. 124
Cicada, & Noctua. III. xvi. 209
Ciconia, & Vulpis. I. xxvi. 78
Colubra ſinu fota hominem interimens. IV. xxviii. 296
Columbæ, & Milvius. I. xxx. 92
Conſiliator Paſſer ad Leporem. I. ix. 35
Cornix, & Aquila. II. vi. 117
Corvus, & Vulpis. I. xiii. 45
De *Credendo*, & non *Credendo*. III. x. 179
Crocodillus, & Canes. I. xxv. 76

D.

Demetrius Rex, & Menander Poëta. V. i. 350.
In *Deorum* tutela arbores. III. xvii. 212
De *Domus* ſuæ anguſtia Socrates ad Amicos. III. ix. 176
Divitiæ Malæ. IV. xi. 270
Draco, & Vulpis. IV. xix. 298

E.

Equus, & Aper. IV. iv. 132
Eunuchus ad Improbum. III. xi. 190

F.

Faber Ferrarius & Serpens. IV. vii. 259
Famelici Canes. I. xx. 64
Feles, Aper, & Aquila. II. iv. 105
Fidelis Canis. I. xxiii. 72
Fons, & Cervus. I. xii. 43
Formica, & Muſca. IV. xxiii. 319
De *Fortunis* Hominum. IV. xvi. 286

Frater, & Soror. III. viii. 172
Fuci, & Apes, Vespa judice. III. xiii. 197
Fur, & Lucerna. IV. x. 265

G.

Galli, & Asinus. IV. i. 221
Gallinaceus Pullus ad Margaritam. III. xii. 194
Garrulus, & Æsopus. III. xix. 218
Graculus superbus, & Pavo. I. iii. 17
Gruis, & Lupus. I. viii. 31

H.

QUopacto *Hæreditatem* inter Liberos, & Matrem dividi voluerit Pater. IV. v. 235
Homo, & Mustela. I. xxii. 70
De *Hominum* Vitiis. IV. ix. 263
De *Hominum* Fortunis. IV. xvi. 286

I.

Improbus, & Eunuchus. III. xi. 190
Ad *Jovem* Canum legati. IV. xvii. 289
Judex Simius inter Lupum, & Vulpem. I. x. 38
Ad *Junonem* Pavo de Voce sua. III. xviii. 215
Jupiter binas cuique hominum peras attribuit. IV. ix. 263
Juvencus, Leo, & Prædator. II. i. 97
Juvenis, Puella, & Anus. II. ii. 100

L.

Lanius, & Simius. III. iv. 159
Legati Canum ad Jovem. IV. xvii. 289
Leo, & Ovis, Vacca, & Capella. I. v. 22
Leo, & Asinus venantes. I. xi. 40

Leo Senex, Taurus, & Asinus. I. xxi. 68
Leo, Prædator, & Iuvencus. II. i. 97
De *Leone* Regnante. IV. xii. 274
Lepus, & Passer. I. ix. 35
De *Libidine* Oris, & Obscœnitate. IV. xiii. 276
Lucerna, & Fur. IV. x. 265
Lupus, & Agnus. I. i. 5
Lupus, & Gruis. I. viii. 31
Lupus, & Vulpis, judice Simio. I. x. 38
Lupus, Cervus, & Ovis. I. xvi. 54
Lupus, Canis, & Ovis. I. xvii. 56.
Lupus ad Canem. III. vii. 167
De *Lusu*, & Severitate. III. xiv. 201

M.

Malas esse Divitias. IV. xi. 270
Mares molles, & Tribadas, quo errore finxerit Prometheus. IV. xiv. 279
Margarita, & Pullus Gallinaceus. III. xiv. 194
De *Marito* nimis facile credente liberto suo, uxorem adulterii insimulanti. III. x. 179
Medicus ex Sutore. I. xiv. 48
Menander Poëta, & Rex Demetrius. V. i. 350
Milvius, & Columbæ. I. xxx. 92
Misericordia Nociva, Serpens. IV. xviii. 296
Molles Mares, & Tribadas quo errore finxerit Prometheus. IV. xiv. 279
Mons Parturiens. IV. xxii. 317
Morsui Canis sanando remedium. II. iii. 103
Mula, & Musca. III. vi. 164
Muli duo, & Vectores. III. vii. 120
Mulier Parturiens. I. xviii. 58
Mures, & Mustela. IV. ii. 228
Murium, & Mustelarum pugna. IV. vi. 248
Musca, & Mula. III. vi. 164
Musca, & Formica. IV. xxiii. 319
Musca, & Calvus. V. iii. 361

Muſtela, & Homo. I. xxii. 70
Muſtela, & Mures. IV. ii. 228
Muſtelarum, & Murium Pugna. IV. vi. 248

N.

DE *Naufragio* Simonidis, & aliorum. IV. xxi. 309
Nociva Miſericordia, Serpens. IV. xviii. 296
Noctua, & Cicada. III. xvi. 209

O.

DE *Obſcœnitate* Oris, & Libidine. IV. xiii. 276
De *Oris* Libidine, & Obſcœnitate. *ibid.*
Ovis, Leo, Vacca, & Capella. I. v. 22
Ovis, Cervus, & Lupus. I. xvi. 54
Ovis, Canis, & Lupus. I. xvii. 56

P.

P*Anthera*, & Paſtores. III. ii. 149
Parturiens Mulier. I. xviii. 58
Parturiens Canis. I. xix. 61
Parturiens Mons. IV. xxii. 317
Paſtor Senex, & Aſinus. I. xv. 52
Paſtores, & Panthera. III. ii. 149
Pavo, & Graculus ſuperbus. I. iii. 17
Pavo ad Juvonem de Voce ſua. III. xviii. 215
De *Peris* duabus cuique mortalium à Jove attributis. IV. ix. 263
Perſona Tragica, & Vulpis. I. vii. 29
Petulans, & Æſopus. III. v. 262
Poëta de credere, & non credere. III. x. 179
Poëta de Beneficio Caſtoris & Pollucis erga Simonidem. IV. xxiv. 327
Poëta Menander, & Rex Demetrius. V. i. 350
Pollucis, & Caſtoris beneficium erga Simonidem. IV. xxiv. 327
Porcelli, & Aſini. V. iv. 365
Prædator, Leo, & Juvencus. II. i. 97
Prælia Taurorum metuentes Ranæ. I. xxx. 90
Procax Tibicen. V. vii. 383
Prometheus quo errore finxerit Tribadas, & Molles Mares. IV. xiv. 279

Puella,

Puella, Anus, & Juvenis. II. ii. 100
Pugna Murium, & Muſtelarum. IV. vi. 248
Pullus Gallinaceus ad Margaritam. III. xii. 194

R.

Ranæ Regem petierunt. I. ii. 9
Rana ad Solem. I. vi. 25
Rana Rupta, & Bos. I. xxiv. 74
Ranæ metuentes Taurorum Prælia. I. xxx. 90
Remedium Canis morſui ſanando. II. iii. 103
Reſponſio Æſopi, ad Garrulum. III. xix. 218
Rex Demetrius, & Poëta Menander. V. i. 350
Ruſticus, & Æſopus. III. iii. 152
Ruſticus, Scurra. V. v. 368

S.

Scurra, Ruſticus. V. v. 368
Senex Paſtor, & Aſinus. I. xv. 52
Senex Leo, Taurus, & Aſinus. I. xxi. 68
Serpens ad Fabrum Ferrarium. IV. vii. 259
Serpens Miſericordia Nociva. IV. xviii. 296
De *Severitate*, & Luſu. III. xiv. 201
Simius, & Lanius. III. iv. 159
De *Simonidis*, & aliorum Naufragio. IV. xxi. 309
Simonides Caſtoris, & Pollucis beneficio, ab interitu ſervatus. IV. xxiv. 327
Socrates de anguſtia domus ſuæ ad Amicos. III. ix. 176
Sol, & Ranæ. I. vi. 25
Soror ad Fratrem. III. viii. 172
Superbus Graculus, & Pavo. I. iii. 17
Ex *Sutore* Medicus. I. xiv. 48

T.

Taurus, Aſinus, & Leo Senex. I. xxi. 68
Taurorum prælia metuentes Ranæ. I. xxx. 90
Taurus, & Vitulus. V. ix. 396
Tempus. V. viii. 393
De *Teſtamento* Patris inter liberos, & Matrem. IV. v. 235
Theſaurus, Canis, & Vulturius. I. xxvii. 81

Tiberius

Tiberius Cæsar ad Atriensem. II. v. 110
Tibicen Procax. V. vii. 383
Tragica Persona & Vulpis. I. vii. 29
Tribadas, & Molles Mares quo errore finxerit Prometheus. IV. xiv. 279
In *Tutela* Deorum Arbores. III. xvii. 212

V.

Vacca, & Capella, Ovis, & Leo. I. v. 22
Vectores, & Muli duo. III. vii. 120
Venator, & Canis. V. x. 398
Viatores duo in Latronem incidentes. V. ii. 357
Vir, Anus, & Puella. II. ii. 100
De *Vitiis* Hominum. IV. ix. 263
Vitulus, & Taurus. V. ix. 396
De *Voce* sua Pavo ad Junonem. III. xviii. 215
Vulpis ad Personam Tragicam. I. vii. 29
Vulpis, & Lupus, Judice Simio. I. x. 38
Vulpis, & Corvus. I. xiii. 45
Vulpis, & Draco. IV. xix. 298
Vulpis, & Ciconia. I. xxvi. 78
Vulpis, & Aquila. I. xxviii. 84
De *Vulpe*, & Uva. IV. iii. 230
Vulpis & Caper. IV. viii. 161
Vulturius, Canis, & Thesaurus. I. xxvii. 81
De *Uva*, & Vulpe. IV. iii. 230

NO-

NOTA. *In hunc Indicem tantum retulimus Fabulas, & alias Narrationes horum quinque Librorum: non etiam Auctoris Proœmia, vel Epilogos, vel etiam mediis Libellis insertas Amicorum compellationes, ut Eutychi, Particulonis, aut cujusvis Lectoris, eorum ergo* Ἀποσημείωσιν *huc ad finem rejecimus.*

	Pag.
Proœmium totius Operis.	1
Auctor de Usu Fabularum, & suo Instituto.	94
Phædrus ad Detrectatorem.	252. & 207
Phædrus in Vituperatores.	225
Prologus Libri Tertii, sive Phædrus ad Eutychum.	133
Auctor in Laudem Æsopi.	128
Prologus Libri Quinti.	346
Poëta ad Particulonem.	342. & 376
Brevitatis, & succincti scriptionis generis excusatio.	335

Phæ

Phædrus Lib. 4. Ubi Poëta, *Pag.* 225.

--- Diligenter intuere has nænias,
Quantam ſub illis utilitatem reperies!

Plin. Lib. 5. *Epiſt.* 8.

Sunt enim homines natura curioſi, & qualibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui ſermunculis etiam Fabelliſque ducantur.

Plato Lib. 2. *de Republ.*

Τὰς ὴ ἐκλελεγμένας πείσομεν τὰς τροφὰς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσί.

Id eſt,

Selectas autem Fabulas nutrices ac matres pueris narrare hortabimur, animoſque illorum Fabulis diligentius, quam corpora ipſa manibus informare.

PHÆ-

PHÆDRI,
AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI,
FABULARUM ÆSOPIARUM,
LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.



Æsopus auctor quam materiam repperit,
Hancce ego polivi, verſibus ſenariis;
Duplex libelli mos eſt: quod riſum movet,
Et quod prudentis vitam conſilio monet.

Æsopus auctor quam materiam] Phryx fabulator *Æſopus*, cæteris in hoc genere ſcribendi materiâ præbuit, vel quod ex primis ſtudium id tractavit, vel quod creditur ἄριστα πλάσαι (ut ait *Aphthonius*) συγγραφεὺς ψευδῶς. *Avienus* ſane cum *Phædro* materiæ ducem ſibi *Æſopum* fatetur præpoſuiſſe, præfatione ad Theodoſium Imperatorem. *Nevel.*

 Polivi]

Polivi] *Nonius Marcell.* in verbo *interpolare*, tractum id, ait, ab arte fullonica, qui *poliendo* diligenter vetera quæque quasi in novam speciem mutant. *Plin. lib.* 8. *Cap.* 48. de lanis loquens, *quippe*, ait, *ahenis polientium extracta in tomenti usum veniunt.* Idem *lib.* 19. *Cap.* 1. *Hispania Citerior habet splendorem præcipuum torrentis, in quo politur natura.* Idem *lib.* 35. *Cap.* 17. *Umbrica creta non nisi poliendis vestibus assumitur.* Unde *politura* apud eundem *Lib.* 11. *Cap.* 24. Hinc *Politor*, qui agrum curat, excolit, *cum agrum politori damus, in commune quærendis fructibus*, *l.* 52. §. *venit. ff. pro soc. Fest. Pomp. Polimenta dicebant testiculos porcorum, cum eos castrabant, à politione segetum, aut vestimentorum, quod similiter, atque illa, curentur.* L.

Versibus Senariis] Quos *Phædrus* senarios scripsit, ii medio quodam temperamento sunt, inter accuratam Veterum Græcorum diligentiam (nam recentiores minus religiosi fuerunt) & solutam *Comicorum* Latinorum negligentiam: illi enim quod nemini, paulo modo humaniori, ignotum est, studiosissime scriptitabant, hi, pleraque omnia inertissime: (de metro loquor) Itaque adeo nec dubitavit alicubi dicere *Tullius*: *Comicorum senarios, propter similitudinem sermonis* (ita dictum, ut ab *Horatio*, *sermonis propria*) *sic plerumque esse abjectos, ut nonnunquam in iis, aut numerus, aut versus non possit intelligi.* In eo numero sunt *Plautus*, & *Terentius*, & alii, quorum hodieque fragmenta passim, & σπαράγματα, apud Veteres Scholiastas reperiuntur. At vero *Phædrus* noster illis castigatior est, & adstrictior, sed ita tamen, ut honesta quadam interdum libertate utatur. Quod à nobis ea gratia dicitur, ne quis omnia ejus carmina ad molestam illius purioris jambici diligentiam postulet revocari. Nam quod suspicatur *Schoppius* ignorasse *Phædrum* leges metricas, cui, quæso, persuaserit? Eadem opera *P. Syrum*, eadem opera *Plautum*, *Terentium*, Veteresque alios accuset, & *Virgilium* ipsum, si Diis placet. ô pudor, πῦ σε εἶναι φῶ; sed solens suo more facit *Schoppius*, qui *Scaligeros* ausus est; & *Casaubonos* insectari, κολοιὸς πρὸς ἄετον. *Fab.*

Duplex libelli mos est] Morem libri vocat, ut & ingenium rebus inanimis attribuunt veteres. *Schop.* Nam vox moris pro *indole, conditione, qualitate* quadam accipitur, *Virgil.* 1. *Georg. vers.* 51.

Ventos & varium cæli prædiscere morem.

Debes, inquit, *Servius*, ad hunc locum, *etiam cœli qualitatem nosse, utrum pluviis gaudeat, an tepore, vel frigore*, Sicut morem cœli dixit *Virgilius* pluere, vel tepere, vel frigere, ita *Phædrus* morem libelli, movere risum, vitam monere. *Scheffer.*

Quod risum movet] *Avienus* Theodosio: *habes ergo opus quo animum oblectes, ingenium exerceas, solicitudinem leves; totumque vivendi ordinem cautus agnoscas.* *Rittersh.* Risum, voluptatem quæ remittat, non quæ solvat. *Virgil. lib.* 4. *Æneid. vers.* 120.

Annuit, atq; dolis risit Cytherea repertis. Ex *Phraschio*, monet ut degat quisque ex præscripto honesti: id enim est *monere*, sitque proprie consilio, *Donatus* ad *Terent. Hec.* 1. *Act. Sc.* 1. *monemus consilio, hortamur impulsu. Scheffer.*

Movet, monet] Ἀντανάκλασις elegans *Rittersh.*

Prudentis] Cauti, *Avienus. Rigalt.*

Calumniari si quis autem voluerit,
Quod arbores loquantur, non tantum feræ:
Fictis jocari nos meminerit fabulis.

Calumniari] Per calumniam intellige, malitiosam interpretandi rationem: quod fuse à *Brissonio*, & *Hotomanno* ICtis demonstratur, à Cicerone recte explicatur, *lib.* 1. *Officiorum*: *Existunt*, inquit, *injuriæ sæpe calumnia quadam, & nimis callida, & malitiosa juris interpretatione.* Est que plane illud ipsum quod Gallice dicimus

dicimus *chicanari*. Inde eſt, quod vocem hanc per σόφισμα verti nonnullis placuit. Et recte ſane; nam in eo ſignificatu ſic utitur *Ariſtophanes*, τῷ σοφίζεσθαι. *Fab.* Juriſconſultis proprie dicitur falſa crimina intendere *l.* 1. §. 1. *ff. ad Sc. Turpil.* à verbo antiquo *calvor*, quod in 12. *Tabb.* morari, & fruſtrare, *Gajo* interprete, ſignificabat: Unde *calumniatores*, eos, qui per fraudem, & vexationem alios vexant litibus, appellatos, idem ſcribit *l.* 233. *ff. de Verb. Sign.* Veteres Gloſſæ manuſcriptæ, *calumniator, falſi criminis accuſator, à calvendo, id eſt, fruſtrando, & decipiendo dictus.* Sed & improbus quiſque litigator, & qui non debitum petit, temereque alicui controverſiam movet, *calumniator* appellatur *l.* 5. §. 1. *ff. ne quis eum qui in jus voc. l.* 39. *ff. de liber. cauſ. l.* 4. §. *calumniator. ff. de his qui not. infam.* & *Tit. de Calumniatoribus.* Idem & *calumnioſus* vocatur. *Calumnioſum* autem *Paul. Lib.* 1. *Sentent. Tit.* 5. definit eum, qui ſciens, prudenſque per fraudem alicui negotium comparat: quo ſenſu in Edicto de Calumniatoribus hoc nomen accipiendum eſt. *D. Auguſtin. Serm.* 24. *Jam ille calumnioſus, qui vult alteri facere cauſam, & qui tollere ab illo, vel pro compoſitione gaudet.* Vocabulum *calumnia*, & nimis callida, ſed malitioſa Juris interpretatio; à *Cicer. Lib.* 1. *Offic.* conjunguntur, & ita *Paulus in l.* 19. *ff. ad exhib.* non *oportere jus civile calumniari, neque verba captari.* Unde *Cic. Lib.* 2. *ad Heren. Calumniatoris officium eſſe*, ait, *verba, & literas ſequi.* Idem *pro Cecina*; *ſcriptum ſequi calumniatoris eſſe, bonique judicis, voluntatem ſcriptoris, auctoritatemque defendere.* L.

Quod arbores loquantur] *Avienus: loqui vitro arbores, feras cum hominibus gemere, verbis certare volucres, animalia videre feimus* &c. Certe in *Avieni* fabulis, Querceis & Arundo loquuntur, & apud *Camerarium* quoque arbores nonnullæ quaſi ſermones miſcent: hic vero apud *Phædrum* non item: locutus eſt igitur apte ad morem, & genium fabularum, aut certe arborum fabellæ deſiderantur. *Rigalt.* Quare multa *Phædri* intercidiſſe exiſtimavit nobiliſſimus *Heinſius*, relicta diſtinctione librorum, deletisque obſcœnioribus ac laſcivis, ut cætera ipſis pueris prælegi tutius poſſent. *Scheffer.*

Non tantum feræ] Satyrici nomina ſcriptis ſuis convenientia producunt: puta ſi in luxurioſas mulieres invehuntur; nomina inſerunt: Migeles, Medullinæ, Tryphænæ, Quartillæ, Quintillæ, Lyciſcæ, Phiales, Tibiæ, Floræ; ſi in molles ſemiviros, Thrypheri, Trimalcionis, Hedymeles, & ſic deinceps. Fabulatores quoque moribus hominum notandis beſtiarum perſonas producunt, quia iis quoque inſunt vitia, & virtutes quædam. Sic hominem rapacem lupum vocant; ſimplicem, ovem, aut columbam; aſſutum, vulpem; violentum, aut generoſum, leonem &c. *Philoſtratus imaginibus*: Αἰσώπῳ πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐκμεμύθωται, καὶ λόγῳ τοῖς ζῴοις μεταδίδωκε λόγῳ ἴσῳ. Πλουσιξιαντί γὰρ ἐπικεῖται, καὶ ὕβριν ἐλαύνει. καὶ ἀπάτην, καὶ πᾶσαν λύσιν τὸ αὐτῷ ὑπικρίνεται καὶ ἀλώπηξ, καὶ ἵππος ἢ Δία, καὶ ὡδὶ ἢ χελώνη ἀφώνως. *Adamantius lib.* 2. Φυσιογνωμονικῶν. Ἕκαστα γὰρ ἤθη τῶν ζῴων ἐκάστῳ καταφανῆ ἐστι τοῖς ἰδεῖν ἤθεσι, τοῖς ἐκείνοις ἑκάστοις ὁμοίοις. οἷον λέοντος ἦθος, θυμικὸν καὶ ἄλκιμον, καὶ τὸ εἶδος τοιοῦτον, παρειλέως ᾖ, ἀβρὸν καὶ ὀργίλον, καὶ λοχητικὸν, καὶ ἐπίβουλον, δεινὸν ἅμα καὶ θρασύ, καὶ ἡ μορφὴ τούτοις ὁμοία· ἄρκτος δὲ ἀμορφῶν, δολία, σκαιά. καὶ τοῖς ἄλλοις ᾗ ζῴοις κατὰ τὰ αὐτὰ ἐπιφαίνεται, τὸ οἰκεῖον κέρδος. συὶ ἀγρίᾳ ὀργὴ ἀπροσίητος, βοῦ σιμότης, ἀκακία, ἵππῳ μεγαλαυχία, φιλοπαιδία, ἀλώπεκι, τὸ δολερὸν, καὶ ἐπίβουλον, παθητικῷ, τὸ βωμολοχικὸν, καὶ εἰρωνικὸν, τραγέλῳ τὸ εὐηθες. Τραγὸς, τὸ μάργον νὺ τὸ μιαρὸν καὶ γαστρίμαργον, καὶ τῶν ἄλλων ὁμοίως ἑρπετῶν τε καὶ πτηνῶν τὰ ἤθη τοῖς ἤθεσιν ἴσοις. *Nemeſius Lib. de Natura Hominis Cap.* 2. Ἔστι γὰρ Πλάτωνος τὰς μὲν θυμικὰς καὶ ὀργίλους καὶ ἁρπακτικὰς ψυχὰς λύκων καὶ λεόντων σώμασι μεταμφιέννυσθαι, τὰς δὲ περὶ κῶλα σιν ὑγρολημένας ὄντι καὶ

τῶν τοιούτων ἀναλαμβάνειν σώματα, οἱ μὲν κυρίως ἥκουσαν τοὺς λέοντας, καὶ τοὺς λύκους, καὶ τοὺς ὄνους, οἱ δὲ τροπικῶς αὐτὸν εἰρημένας διέγνωσαν τὰ ἤθη δία τῶν ζώων παρεμφαίνοντα. *Pisides.* Κοσμουργίᾳ:

Καὶ πτυνὰ μὲν δείκνυσι τὰς κούφας φρένας,
Σύας δὲ πόρνους, καὶ λύκους τὰς ἅρπαγας,
Σφῆκας δὲ πλήκτας, θυμικοὺς δὲ παρδάλεις,
Ποιεῖ δὲ τοὺς εἴρωνας, ἀθλίους κύνας.
Σαίνειν δοκοῦντας, καὶ δάκνειν ἠπειγμένους
Ὄφεις δὲ πικροὺς ἐκτελεῖ τοὺς βασκάνους,
Τὸν ἰὸν ἐνθεὶς τῇ κακῇ περιπλάσει.

Sic μυθολογικῶς intelligenda, quæ de Circe, item quæ de Metempsychosi, & Metensomatosi priscarum religionum confixit superstitio. *Nam etsi quidam homines bestiis adæquantur, pro qualitatibus morum & ingeniorum, & affectuum; quia & Deus, adsimilatus est*, inquit, *homo, irrationalibus jumentis; non ideo milvi ex rapacibus fient, & canes ex spurcis, & Pantheræ ex acerbis, aut oves ex probis, & hirundines ex garrulis, & columbæ ex pudicis, quasi eadem substantia, animæ ubique naturam suam, in animalium proprietatibus repetat. Tertulliam. lib. de Anima C.* 3. quod hic semel ad sequentes omnes fabulas notasse sufficiat. *Rigalt.*

Fictis fabulis] Sic etiam loquitur in *Epil. l.* 2. *vers.* 13. & in *Prol. lib.* 3. *vers.* 37. *fictis jocis.* exemplo *Ciceronis*, qui & *de Offic.* & alibi fictas & commentitias fabulas dixit. *Rittersh.* Quid opus addere, *fictis*, dixerit aliquis; nam τὸ *fabulis* suffecerat. Sed maluit proprie loqui *Phædrus* ut *Cicero* in *Miloniana*; fabula enim ex eatum vocum numero est quas vulgo μέσας vocamus, ut *gratia*, ut *dolus*, &c. verumque & falsum significat, unde infra legitur *vera fabella.* Quare proverbium *lupus in fabula*, apud *Plautum* sic concipitur, *Lupus in sermone.* ita apud Græcos μῦθος, est fabula, seu narratio falsa; sed & aliquando vera narratio est; quin etiam apud gravissimum scriptorem, & quem tanti faciebat *Plato*, *Isocratem* dico, μῦθοι pro sermonibus, aut libris religiosis, & mysicis sumuntur, & apud *Homerum*, nec non *Callimachum* μῦθος pro sermone vero sumitur; ita etiam apud *Plutarchum in vita Agidis, & Cleomenis pag.* 906. *edit. Paris.* μυθολογεῖν pro διηγεῖσθαι seu narrare, in re vera ponitur. Satis est locum ipsum indicasse. *Fab.* Nam *fabula*, à fando dicta est, narratio rei cujuscunque, etiam veræ. Sic *Terent. in Hecyr. Act.* 4. *Sc.* 3. *Iam nos fabulæ sumus, Pamphile, Cicero* etiam alicubi; & *fabula Trojæ*, pro Historia, & rebus gestis de loco. Similiter *Sueton.* in *Domit. C.* 15. *Evenit, ut id ei cænanti inter cæteras diei fabulas referretur. Fabulæ diei*, sunt narrationes rerum variarum, quæ de die acciderunt. Habet similem locutionem *Cap.* 70. *vitæ August. Sulpitia: fabellam permitte mihi detexere paucis.* Historiam innuit de pravo statu Reip. sub Domitiano. *Vopiscus: Non inepta, neque inelegans fabula est scire quemadmodum imperium Probus sumpserit.* Cum ergo fabula sit rei, etiam veræ, ad illius differentiam recte ficta dicitur. *Cic. de fin. lib.* 4. *quid? cum fictas fabulas, è quibus utilitas nulla duci potest, cum voluptate legimus. Scheffer.* Sic *iteratas fabulas*, dixit Imperator *in l.* 1. §. 1. *C. de annal. except.* quasi veteres, & aniles nugas L.

Jocari] *Jocos Phædri*, dixit, *Martialis.* Ipse *Phædrus in pr. lib.* 3. *calumniamque fictis elusit jocis.* & *lib.* 4. *& hoc jocorum legere fastidis genus. C. Melissus* Grammaticus libellos inscripsit: *Ineptiarum. Jocorum Tranquill. Cap.* 21. *de Illustr. Gram. Rigalt.*

FABULA

FABULA PRIMA.

Lupus, & Agnus.

AD rivum eundem Lupus, & Agnus venerant
Siti compulsi; superior stabat Lupus;
Longeque inferior agnus: tum face improba
Latro incitatus jurgii causam intulit,

LUpus, & agnus] Fabula hæc, πρὸς τοὺς ἀδεῶς φανερῶς ἀδικοῦντας narratur à *Babrio* 17. & *Camerario* 263. Vetus liber fabularum M. S. in Bibliotheca Victoriana Paris.

Est Lupus, est Agnus; sitit hic, sitit ille, fluentum
Limite non uno quærit uterque sibi.
In summo bibit amne Lupus, bibit Agnus in imo,
Hunc timor impugnat, verba movente Lupo.
Rupisti, potumque mihi, riveque decorem,
Agnus utrumq; negat, se ratione tuens.
Nec tibi, nec rivo nocui, nam prona supinum
Nescit iter, nec adhuc unda nitore caret.
Sic iterum tonat ore Lupus, mihi damna minaris:
Nec minor, Agnus ait, cui Lupus, imo facis:
Fecit idem tuus ante pater, sex mensibus actis:
Cum bene patrisses crimine patris obi.
Agnus adhæc, tanto non vixi tempore, Prædo,
Sic tonat: an loqueris furcifer? huncque vorat.

Sic nocet innocuo nocuus, causamque nocendi
Invenit. Heu! regnant qualibet arte lupi.

Rigalt.

Face improba] Nolim quicquam mutari. *Camerar. Torvo vultu, & minacibus verbis.* Face improba, Ira improba. *Pers. Sat. 3.*

Nunc face suppositâ, ferveſcit sanguis, & ira
Scintillant oculi. ———

Lucret. 3.

Nunc nimis irai fax unquam subdita percit
Fumida. ———

Idem:

Est etiam calor ille animo, quem sumit in ira,
Cum ferveſcit, & ex oculis micat acribus ardor. &c.

Hinc irati, incenſi, & accēſi *Phædrus lib. 3.*

Incenſus ille falso uxoris crimine.

Idem: — ——— *Rursus admota prece*
Accenſa magis est. ———

Seneca 1. de Ira: ſigna iraſcentium notat: *Flagrant, & micant oculi, multus ore toto rubor ex æstuante ab imis præcordiis sanguine. Arnobius 1. adverſ. Gent. Et quid ergo ſequitur neceſſario, niſi ut ex eorum luminibus ſcintillæ emicent, flammæ æstuent, anhelum pectus ſpiritum jaciat ex ore, & ex verbis ardentibus labiorum ſiccitas inalbeſcat. Virgil. Æneid. 12.*

——— *Totoque ardentis ab ore*
Scintillæ exiſtunt, oculis micat acribus ignis.

Recte autem *Phædrus* lupum iratum fingit, quo ſceleſtiorem indicet, Lupus enim iratus, magis Lupus eſt. *Seneca: Nullum eſt animal tam horrendum, tamque pernicioſum natura, ut non appareat in illo, ſi ira invaſit, novæ ferocitatis acceſſio:* quo pertinet, *Virgilianum* illud:

——— *& ſe ſuſcitat ira.*

Rigalt.

Latro] *Phædrus* infra:

Repere, atque abire ſemper adſuevit lupus.

Homines rapaces, crudeles, & immodeſtas uſuras exigentes lupi dicuntur. Vide *Martial. Epigr. ult. Lib. 2. Plato Lib. 12.* πολειτικῶν; de Templo Jovis Lupini in Arcadia ubi homini qui humana viſcera commederit, neceſſe eſt eſſe lupo. *Ovid. de Lycaone Transform. 1. Rigalt.* Leonem, qui pueros duos arenam renovantes peremerat, *prædonem* vocat eodem ſenſu *Martial. lib. 2. Epigr. 75.*

Exclamare libet, crudelis, perfide, prædo,
A noſtra pueris parcere diſce lupa.

Nevelet.

Optime lupus appellatur latro, à latendo, & inſidiando *Virgil. 2. Æneid. vers. 355.* *raptorem* nominavit. *Scheffer.*

Incitatus] *Virg. Se ſuſcitat ira.* Iraſci, incitari impingi: *Seneca 1. de Ira: Cap. 3.* Sic: *proritaverit, incitaverit, Anian. ad Tit. 17. Lib. 1. Paul. Sent. Rigalt.*

Jurgii cauſam intulit] Id eſt, rixam affectavit, ſicut ſermonem, vel mentionem inferre, *Cicero*, & *Livius* dixerunt. *Rittersh.* inferre cauſam dixit, ſicut elegans ſcriptor *Cornel. Nep.* Cauſam interſerere, pro aliquid cauſari. *Schēp.* Optime & Latiniſſime de eo qui non accipit, ſed facit, *Hirt. de Bello Hiſp. Cap. 1. Propter pecuniæ magnitudinem aliqua ei inferebatur cauſa, ut, eo de medio ſublato, ex ejus pecuniæ latronum largitio fieret. Scheffer.*

Cur, inquit, turbulentam mihi feciſti aquam
Iſtam bibenti? Laniger contra, timens:
Qui poſſum, quæſo, facere quod quereris Lupe?
A te decurrit ad meos hauſtus liquor.
Repulſus ille veritatis viribus,
Ante hos ſex menſes, ait, maledixiſti mihi,
Reſpondit Agnus, equidem natus non eram,

Pater

Pater Hercle, tuus, inquit, maledixit mihi,
Atque ita correptum, lacerat injusta nece.
Hæc propter illos scripta est homines fabula,
Qui fictis causis innocentes opprimunt.

Bibenti] Quasi diceret, nunc maxime, cum videres me bibere, debuisses saltem exspectare donec bibissem. *Scheffer.*

Ad meos hausitus] Pro ad me, haurientem. *Scheffer.*

Repulsus veritatis viribus] Ἰσχυρώτατον γὰρ πάντων ἀλήθεια. Vincit super omnia verum. Vide *Polyb. Ecl. Lib.* 14. *Æschinem contra Timarchum*, & *Ciceronem pro M. Cœlio. Prudentius: Vox veritatis testis extingui nequit.* Sed fortasse gratiam à lectoribus inibo, si & illorum verba adscripsero. Sic ergo ait Gravissimus Auctor *Polyb. Ecl. lib.* 14. καί μοι δοκεῖ μεγίστην θεὸν τοῖς ἀνθρώποις ἡ φύσις ἀποδεῖξαι τὴν ἀλήθειαν, καὶ μεγίστην αὐτῇ προσθεῖναι δύναμιν. πάντων γὰρ (forte γὰρ) αὐτὴν καταγωνιζομένων, ἐνίοτε καὶ πασῶν τῶν πιθανοτήτων μετὰ τὲ ψεύδους παττομένων ἐκ ἴδ' ὅπως αὐτῇ δι' αὐτῆς εἰς τὰς ψυχὰς ἐισδύεται τῶν ἀνθρώπων. καὶ ποτὲ δὲ πολὺν χρόνον ἐπισκοτεῖσα τέλος αὐτὴ δι' αὐτῆς ἐπικρατεῖ, καὶ καταγωνίζεται τὸ ψεῦδος. *Videtur mihi Natura maximum Deum, hominibus ostendisse veritatem, maximumque ei attribuisse robur. Nam ut ut eam omnia oppugnent, interdum etiam omnes probabiles rationes eam inter mendacium collocent: tamen nescio quo pacto ipsa per se animos hominum subit, ac interdum quidem statim demonstrat, quantam vim habeat; nonnunquam vero diu tenebris involuta; tandem ipsa sua vi obtinet, ac mendacium superat.* Æschines autem ita: Οὕτως ἰσχυρὸν ἐστὶ ἡ ἀλήθεια ὥστε πάντων ἐπικρατεῖν τῶν ἀνθρωπίνων λογισμῶν; quem locum ante oculos habuisse videtur *M. Tullius* cum *pro Cœlio*, ista diceret: *à magna vi veritatis, quæ contra hominum ingenia, calliditatem, solertiam, contraque fictas omnium insidias facile se per se ipsam defendat. Rittersh.* Eleganter itaque ait, lupum ab ovo veritatis viribus repulsum: *repellere* enim pro *arcere*, & *propulsare* limitat, sic, *repellere gladio l.* 3. *C. ad leg. Cornel. de sicar.* Et significanter passim à ICtis dicitur; *vim vi repellere. l.* 11. §. 1. *ff. quod met. caus. l.* 3. *ff. de just. & jur. l.* 45 § 4. *ff. ad leg. Aquil. t.* 2. *C. unde vi.* L.

Ante hos sex menses] Eleganter apud Latinos παρέλκης pronomen *hos*; designat autem proxime præcedens tempus. *Rittersh.* Ad eundem modum *Terent. Eun. Act.* 2. *Sc.* 3. *His mensibus sex septem prorsum non vidisse. Plautus* ab initio Persæ: *Continuo tibi reponam in hoc triduo aut quatriduo. Scheffer.*

Pater hercle tuus) Ita solent peccata parentum, quæ sæpius nulla sunt, filiis imputari. *At nihil est iniquius, quam aliquem hæredem paterni odii fieri*, ait. *Sen. lib.* 2. *de Ira. Nevelet. Nam unus quisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni criminis successor constituitur. l.* 26. *ff. de pœn.* quamvis alias in liberis *paterni*, *hoc est*, *hæreditarii criminis exempla metuantur l.* 5. §. 1. *C. ad leg. Jul. majest.* idque præsumptione quadam, de qua vide, *Alciat. de Præsumpt.* 1. *Præs.* 24. L.

Injusta nece] Sunt hæc judiciosa scriptoris verba iccirco distinguenda à præcedentibus. Non enim *lacerare nece*, dicitur: Sensus laçerat eum ut sequeretur nex, sex mors, atque illa injusta. *Scheffer.*

Qui fictis causis innocentes opprimunt] Respicit statim initio opusculi, ad suos adversarios: de quibus infra plenius. Similis Apologus de Fele & Gallo narratur, vide *Faërn.* 43. ubi hoc ponit ἐπιμύθιον:

Vim qui inferre parat, cupidus certusque nocendi,
Frustra illum ratione premas, aut jure refellas.

Rittersh.

Fictis causis] Supra dixit *illatis*. Est autem Ellipsis præpositionis, *de*. Porro *fictis*

de cauſis pro *fictas ob cauſas* ut ſæpiſſimè *Scheffer.* Falſis cauſis & ſimulatis; fingere enim eſt contra veritatem aliquid ſimulare: uti *fingere furorem, vel dementiam l. 6. ff. de curat. fur.* ita: *fictam adſeverationem detegere. l. 8. §. 4. ff. de vac. & excuſ. muner.* & ſimilia. L.

Innocentes opprimunt] Lupini hujuſce facinoris ſexcenta exempla occurrere olim, occurruntque etiamnum hodie: adeo ut *hi regnent qualibet urbe Lupi,* ut bene *fabulator* noſter *Anonymus Fab. 2. Nevelet.*

Opprimunt] Eleganter, ad notandam vim gravem, & inopinatam, & ad exitium alterius vallituram. *Scheffer.* Eſt enim *opprimere*, proprie *obterere*: ita ICtus. *ſi plures trabem dejecerint, & hominem oppreſſerint. l. 11. §. 4. ff. ad leg. Aquil. Servus ruina in ſtabulo oppreſſus l. 15. §. ult. ff. de cond. cauſ. dat. Ruina ſimul oppreſſi l. 8. ff. de hæred. inſtit.* Alias eſt gravari, lædi, moleſtari; *opprimi aliquem per adverſarii ſui potentiam non oportet l. 9. §. pen. ff. de offic. Procons. Tenuiores, quæ ſæpe importunis potentiorum interceſſionibus opprimuntur. l. 1. §. 1. C. Ne lic. potent.* L.

FABULA

FABULA SECUNDA.

Ranæ Regem petierunt.

ATHENÆ cum florerent æquis legibus,
Procax libertas civitatem miſcuit,
Frenumque ſolvit priſtinum licentia:
Hinc conſpiratis factionum partibus,
Arcem Tyrannus occupat Piſiſtratus:

RANÆ REGEM PETIERUNT] Hanc fabulam retulit etiam *Camerarius* Tit. de Ranis, & Iove. & conſimilem de Aſino & Olitore. Vide *Artemid. lib.* 2. C. 15. Liber M. S. Bibl. Victor.

Dum nihil auderet ludentes ladere ranas
Supplicuere Jovi, ne ſine rege forent.
Jupiter huic voto riſum dedit, anſa ſecundas
Rana preces, ſubitum ſenſit in amne ſonum.
Nam Jove dante trabem, trabis ictu flumine moto,
Demerſit ſubitus guttura vaua timor.
Placato vedere metu, videre tigillum:
Stando prœcul Regem pertimuere ſuum
Ut videre trabem per ſe non poſſe moveri,
Pro duce ſe fecerunt tertia vota Jovi
Ira Jovem movet, Regem dedit, intulit Hydrum.
Hydrus hiante gula cœpit edere lacum.
Clamitat hæc lacus: morimur, pie Jupiter, audi.
Jupiter, exaudi, Jupiter, adſer opem:
Nos ſepelit venter, noſtri ſumus eſca Tyranni,

Aufer eundis opus, redde quietis opes.
Ille refert: emptum longa prece ferte magiſtrum
Vindicet æternus otia ſpreta metus.
Omne bonî pretium nimio vileſcet in uſu,
Fitque mali guſtu dulcius omne bonum.
Si quis habet quod habere decet, ſit lætus habendo
Alterius ne ſit, qui ſuus eſſe poteſt.
Rigalt.

Athenæ] Nota. Democratica licentia deſinit, ac migrat in Tyrannidem. Rationes ex Politicis petendæ. Eleganter *Cicero 2. de Divinat. Id enim ipſum à Platone Philoſophiaque didiceram, naturales eſſe converſiones quaſdam Rerum publicarum, ut eæ tum à principibus tenerentur, tum à populis, aliquando à ſingulis.* Sic eaſdem Athenas Demetrius quoq; Phalereus alias occupavit imperio improbo: ut *Phædrus* noſter ait infra, *L. 5.* De Piſiſtrato autem qua arte Athenarum Acropolin bis occuparit vide *Herodot. Lib. 1. Juſtin. Lib. 2. Plutarchum*, ac *Laërtium in Solone.* Ejus poſteri quoque Piſiſtratidæ dicti, Athenis per 36. annos imperitarunt, ejecti tandem Lacedæmoniis Duce Cleomene: de quo vide eundem *Herodotum in Terpſichore. Rittersh.*

Florerent] Eſt & hoc elegans, ſelectumque verbum, ad indicandum ſtatus publici vigorem, probitatem, pulchritudinem. atque iſto reſpectu ſæpe ponitur apud *Virgilium*, & alios. *Scheffer.* Ad exprimendam auguſtiſſimam majeſtatem: hinc *florentiſſimus ordo l. 5. §. ſi tamen. C. de temp. appell. florentiſſimus ſenatus, l. 7. §. ſed ſiquidem. C. de curat. fur.* Sic *florentiſſima civitas* Conſtantinopolis, dicitur *d. l. 7. l. 4. de Aquæduct. Cod. Theod.* alibi *florentiſſima urbs. l. ult. C. de Ædific. Priv. L.*

Æquis legibus] Ut ſcilicet, in Democratia aſſolet: quam juris æquabilitatem eſſe rem oppido bonam putat *Herod. lib. 4.* Contra tamen diſputante Megabyſo, & Dario apud eundem *Lib. 3. Rittersh. Æquis* non ſimpliciter, ut opponuntur iniquis, ſed in reſpectu ad cives, quos & faciebant æquales, & æquali jure continebant. *Cicero 1. de Offic.* appellat *æquabilitatem juris*, ἰσονομίαν quod jam *Faber* obſervavit. *Scheffer.*

Procax] Hoc eſt, petax: ſic enim *Servius ad. 1. Æn. Procax proprie petax eſt: nam procare, eſt petere.* Eleganter ergo *procax libertas*, quæ ſuo ac præſenti haud contenta, ſemper plura expetit, & aliena, nec unquam ſatiatur. Cæterum hic totus locus grandis eſt, ob argumenti dignitatem, *Scheffer.*

Civitatem miſcuit] *Miſcuit civitatem*, dixit pro *turbavit* ſicut contra dicunt veteres *turbare* pro *miſcere. Schop.* Miſcere, porro recte uſurpatur, de mixtura partium inconvenienti per turbas & ſeditiones. *Cic. Orat. Contr. Rull. 1. Homines non inerant in urbe, qui malis concionibus, turbulentis Senatus Conſultis, iniquis imperiis Remp. miſcerent.* Obſerva porro verbum hoc uſurpare noſtrum de re, quod *Cicero* de hominibus, & perſonis. *Scheffer.*

Frenumque ſolvit] Rejecit, depulit ore, uti loquitur *Horatius*: Contrarium, *impoſuit freno*, hoc eſt, ligari. *Scheffer.*

Conſpiratis factionum partibus] *Conſpiratis*, active accipe, pro cum conſpiraſſent partes. Sic ventus pro eo qui venit: ſucceſſa, id eſt, quæ ſucceſſerunt: diſceſſus, qui diſceſſit, anteceſſus, pro eo qui anteceſſit, &c. vide *verſimil. G. Schop. L 2. C. 2. Rittersh. Conſpiratæ* autem *partes*, non de conjunctis, ſed diviſis ſunt intelligendæ: nec enim conſpirabant inter ſe, ſed adverſus ſe mutuo, per factiones. *Scheffer.* Partes hic accipe ſeditiones διχοστασίας. *Rigalt.*

Arcem tyrannus occupat] Ἀκρόπολιν. Notiſſima eſt hæc Hiſtoria, ex *Juſtino*, *Plutarcho*, *Herodoto*, qui crudelitatis ſuſpicionem à Piſiſtrato removent. *Nevelet.* Docet *Meurs. in Piſiſtr. C. 3.* Quanquam ſimul *occupare arcem*, ſit ſtatuere ac firmare ſibi dominationem, in civitate libera. *Scheffer.*

Piſiſtratus] Feciſſes utinam, ὦ πολιῆτα Πελλάς, ut hodie plures hujuscemodi Tyrannos haberet Europa; literarum certe res, ſi nihil aliud ſeſe, meliuſcule haberent; illas enim Piſiſtratus, quoad vixit, ſtudioſiſſime coluit, & aliis, porro idem ut facerent, ſuo præivit exemplo. En tibi tanti viri elogium ex *Tullio* in *Lib. de Oratore:*

tore: Quis Doctior, inquit, iisdem illis temporibus, aut cujus eloquentia literis instructior quam Pisistrati? qui primus Homeri libros confusos antea sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Quod à Ciceron. dictum de Homero est, idem quoque apud (Eustathii legas. οἱ δὲ συνθέμενοι ταύτην ἰλιάδα scilicet) κατὰ ἱππαρχὸν ὡς φασι, Πεισιστράτῳ τῷ τῶν Ἀθηναίων τυράννῳ, γραμματικοὶ, καὶ διορθωσάμενοι κατὰ τὸ ἐκείνοις (mallem ἐκείνῳ aut, ἐκείνοις) ἀρέσκον, ὧν κορυφαῖος ὁ Ἀρίσταρχος, καὶ μετ' ἐκεῖνον Ζηνόδοτος, &c. Quæ verba non sine summa cautione accipienda sunt. Ait enim Eustathius Pisistrati mandato, Iliados divulsa antea, & dispersa membra, in unum velut Corpus redacta fuisse à Grammaticis, quorum principes fuerunt Aristarchus, & post illum Zenodotus. Unde aliquis τῆς περὶ τοὺς χρόνους ἀκριβείας ἄπειρος facile in errorem inducatur, existimans Aristarchum, nobilem illum Grammaticum, qui non modo in Homerum, sed in Aristophanem quoque, &, ut arbitror, in omnes omnino scriptores, qui saltem nominis alicujus essent, ad octoginta commentariorum libros scripsit, ut nobis ex Græcis Grammaticis cognitum est, Pisistrati temporibus vixisse, quod perquam ridiculum sit; nam sub Ptolomæo Philometore floruit, una cum Callimacho nostro (aliquando certe noster erit) & aliis insignibus Poëtis qui illo seculo floruerunt. Atque utinam hodie tanti viri monumenta extarent, vel certe unius Homeri causa; nam Eustathius quidem illa haud quaquam legerat, ut mihi, qui infanam illam commentariorum molem evolvi, compertum est, præsertim autem ex pag. 40. & 67. edit. Rom. & aliis etiam, si meminissem. Ælianus autem, & ante ipsum Plato, (ut ad Pisistratum revertamur) Lib. 8. Ποικίλης ἱστορίας, honorem ordinatæ, & vulgatæ apud Athenienses Iliados ad Hipparchium, Pisistrati filiorum natu maximum vertit, ac de illo inter cætera, (neque enim integrum caput huc juvat transfundere) sunt hæc à venustissimo scriptore memorata: Ἵππαρχος, ὁ Πεισιστράτου παῖς, πρεσβύτατος μὲν τῶν Πεισιστράτου, καὶ σοφώτατος ἦν τῶν Ἀθηναίων ἅπαντων, καὶ τὰ Ὁμήρου ἔπη πρῶτος εἰς τοὺς Ἀθηναίους ἐκόμισε, καὶ ἠνάγκασε τοὺς ῥαψῳδοὺς τοῖς παναθηναίοις ἐφεξῆς ᾄδειν &c. Sed monendus est mihi lector, quando huc defleximus, in postremis capitis illius verbis errorem esse gravissimum. Cum enim ea, quæ ibi ab Æliano referuntur, ex primo Platonis dialogo (cui Hipparcho nomen est) hausta sint, sub finem addit: Λέγει δὲ Πλάτων ταῦτα, εἰ δὴ ὁ Ἵππαρχος Πλάτωνος ἐν τῷ ὄπῃ μαθητής. Sed tollendum est illud μαθητής, ab aliquo sciolo intrusum, sicque totus ille locus latine convertendus. Et hæc quidem de Hipparcho Pisistrati filio à Platone scripta sunt, si tamen ille Dialogus, cui Hipparcho nomen est, vere Platonis dialogus sit. Quibus verbis innuere vult Ælianus primum illum dialogum, fuisse à nonnullis in dubium revocatum. Quod non huic tantum accidit, sed & multis aliis, ut ex Laërtio Lib. 3. constat. In eo numero fuit Alcyon, qui hodie inter Luciani opera legitur, licet Luciani non sit, non magis quam fabulosa illa de Asino narratio (quod ego πᾶσιν, οἷσπερ βουλόμεθα ἔστω probare possum) nam Alcyonis autorem scio esse Leontem. Idem de Demodoco dicas, de quo Clemens Alexandrinus 1. Στρωματέων hæc scribit: Καὶν τῷ Δημοδόκῳ, εἰ δὴ τῷ Πλάτωνος τὸ σύγγραμμα. Sed hæc abeant. Quod autem, ait, Phædrus de Pisistrato, non quia crudelis ille, &c. ita verum est, ut non modo non crudelis fuerit, sed contra humanissimus: quam rem, si nihil aliud, at certe locus Eustathii probaverit, qui in Commentariis ad Iliad. 2. legitur; Probaverit quoque Valer. Max. Lib. 5. Cap. 1. non uno exemplo: in his quoque erit Seneca Lib. 3. de Ira. Sed hæc quamvis ita se habeant tamen vix cuiquam credibile sit, quantis exsecrationibus memoriam illius Athenienses sint insectari; Quod vel unus Titi Livii locus plane ostenderit, cum leges Lib. 31. ubi ea omnia enarrat quæ Athenienses in Philippum (non illum Alexandri Magni patrem) vel decreverunt, vel fecerunt. His adde quod ab Herodoro scriptum est, & ab Aristotele in Politicis repetitum, Lib. 5. C. 12. bis illum ab Athenien-

sibus

nientibus rerum administrationem dejectum fuisse. Videlicet bellua illa multorum capitum, populus, nunquam sua bona satis novit; an quia Pisistrati mitissima Tyrannide magis sobria fuit insana illa Democratia, quæ nullo præstanti Viro unquam pepercit? nobilitati infensa, infesta τῶν μοχθηρῶν δημαγωγῶν ἵνες ἀ-γρώδιν, ut ab *Aristophane* passim describitur. Et hæc quidem non sine utilitate aliqua de tam præstanti, tamque virtutis amico Tyranno dicta sint; qui si Poëtam aliquem nactus esset, non minus laudatus fuisset, quam Therones, quam Hierones à *Pindaro, Xenophonte, Simonide, Bacchylideque* prædicati sunt. *Fab.*

Cum tristem servitutem flerent Attici;
Non quia crudelis ille; sed quoniam grave
Omnino insuetis onus, & cœpissent queri;
Æsopus talem tum fabellam retulit.

Tristem servitutem] Ipse *Phædrus Fab.* 3. *Repulsus tristem sustinuit notam.* alibi, *etcidit tristi nece.* item: *non vitam modo tristem decurrit.* Sic & : *populum tristis eventus premit*, etiam: *gementes tristem fortunæ vicem. Rigalt.*

Omnino insuetis] Penitus insuetis. ita loquitur ad denotandum illud libertatis fastigium, in quo constituti Athenienses, ne id quidem poterant ferre, quod vel nomine solo aut externa specie repugnaret. *Schefferus.*

Cœpissent queri] Questi essent. Sic etiam loquitur infra: *corripere cœpit singulas.* Item: *redire mœrens cœpit ad proprium genus*: & passim deinceps: *Petron. Sat. cœpit me præcedere, cœpisugere, cœpit rogare*, vide Collectanea, *Catullus*:

Nemone in tanto potuit populo esse juventi,
Bellus homo, quem tu diligere inciperes?

Rigalt.

Æsopus talem] Nisi ita in numeris dissolutus foret *Phædrus*, nihil ut pensi habeat, & hic, & aliis multis in locis dicere possemus τι, ς, more veterum illidi: sed neque *Phædrum*, ego hoc spectasse puto, & illa, qua ipse scripsit tempestate, jam desierant hanc elisionem. *Rittersh.*

Ranæ, vagantes liberis paludibus,
Clamore magno Regem petierunt à Jove,
Qui dissolutos mores vi compesceret:
Pater Deorum risit, atque illis dedit
Parvum tigillum, missum quod subito vadis
Motu, sonoque terruit pavidum genus.

Liberis paludibus] Omissa præpositione; exemplo *Virgilii lib.* 4. *Æneid*:

——— *totaque vagatur,*
Urbe furens ———

Ita Infra, *lib.* 3. *Fab.* 10. *dormientem cubiculo.*

Liberæ paludes autem appellantur hic, allusione quapiam ad liberas civitates, eæ, in quibus nemo habet imperium, & ubi quisque pari, cum cætero jure vivit. *Schefferus.* Ita *liberum prædium*, dicitur quod alteri non servit, nec ulli obligatum est. *l.* 8. & *l.* 52. §. 1. *ff. de act. empt. Cic: de Lege Agr. contra Rull. libera prædia meliore conditione sunt quam serva.* Ita quoque *cælum liberum* dicitur, quod nulla servitute impeditur *l.* 1. *pr. ff. de serv. præd. Urb. libera possessio*, qua quis utitur arbitrio suo

l. 11.

l. 11. ff. de vi & vi arm. libera res & soluta, & extra necessitatem jurisdictionis posita. l. 3. ff. de recept. qui arbitr. rec. L.

Vi] Bono sensu, pro, potestate ac imperio. Ita *Cicero lib. 3. de legib. Magistratus hæc vis est, ut præsit præscribat que recta. Scheffer.* Et *Sen. Octav. vers. 85.*

Vis magna Populi est, Principis major tamen.

L.

Parvum tigillum] Sic ipse, *lib. 4. parvum libellum.* Hinc vero contra viros bonos, *Nonium*, & *Lambinum*, firmanda veterum librorum scriptura, apud *Plaut. Aulul. Sc.*

Postquam obsonavit.

De suo tigillo fumus, si qua exit foras.

Rigalt. Poterat *Phædrus* non addere, *parvum.* ita *Terent. in Andr. minutos pisciculos, sed Aristophanes*, ille Græcarum Venerum parens, rem ipsam impendio minorem effecit, cum in *Vespis* scripsit, δικαστηρίδιον σμικρὸν πάνυ. Satis enim esse poterat per se τὸ δικαστηρίδιον, addidit tamen ille σμικρὸν, neque dum satis habuit, sed ut rem minimam minorem faceret, subjecit πάνυ. itaque adeo pæne factum est ut ex dicasterio fieret nihil. *Fab.*

Missum] *F. immissum.* Sic erratum puto & apud *Celsum lib. 3. C. 12. In his autem cum veteraverunt, utilis fames non est.* videtur enim legendum, *cum inveteraverunt*, & mox *C. seq.* si res inveteraverit, & *C. 21. eod. lib. at si malum inveteraverit, non sine magna molestia discutitur.* Sic & in *l. 22. §. si quis ex sociis. D. pro socio sumptus qui in eam pensi sunt:* videtur legendum, *impensi*, taceo alia ex eodem fonte. *Ritterh.*

Hoc mersum limo, cum jaceret diutius,
Forte una tacite profert è stagno caput,
Et explorato Rege, cunctas evocat.
Illæ timore posito, certatim adnatant,
Lignumque supra turba petulans insilit:
Quod cum inquinassent omni contumelia,
Alium rogantes Regem, misere ad Jovem,
Inutilis quoniam esset, qui fuerat datus.

Mersum limo] Vadi scilicet, Porro *mersum* pro *demersum*, sicut supra, *missum* pro *immissum. Scheffer.*

Jaceret] Significantius usurpat; vult enim nec se commovisse amplius, ut ab initio, nec edidisse sonum, sed immotum quietumque præbuisse suspicionem Regis defuncti, atque ideo unam ausam esse ranuncularum prospectare è palude. dicam de hoc verbo loco alio. *Scheffer.*

Explorato rege] Ligneo scilicet: alio sensu *lignarium regem*, dixit *Tertull. lib. advers. Jud. Rigalt.* Explorato, cum cura inspecto. *Virgil. 1. Æneid.*

Ut primum lux alma data est exire, locosque

Explorare novos. ——

Tacit. 1. Hist. C. 27: Emi sibi prædia vetustate suspecta, eoque prius exploranda, finxit, exploranda dixit, pro inspiciendis, & examinandis cum cura *Scheffer.* Est enim *explorare*, inquirere, investigare excutere, examinare, *Non. Marcell.* ait, *explorare*, esse *ingentius observare*; item, *verum inquirere: diligentiæ judicantis est, explorare, quæ consuetudo, in ea Provincia, in quam judicat, fuerit. l. 3. §. ult. ff. de testib. Pontifices explorare debent l. ult. ff. de mort. infer.* Adde *l. 2. §. ult. ff. mand. l. 3. §. 1. ff. ut in posses. legat. l. 95. §. ult. ad leg. Falcid. l. 42. ff. de Reg. Jur. l. 5[illegible]. §. ult. ff. de acquir. vel omit. hær.* sic etiam *explorari*, & *investigari maleficia per servorum*

vorum quæstiones, inquit, ICtus in *l. 8. ff. de quæstionib.* L.

Lignumque super] Quod supra tigillum, nunc lignum, Glossæ Philoxeni, *Tignum* Ξύλον. Δοκός. *Rigalt.* Voce viliori, ut ostendat quam contemptus fuerit Rex ille à Ranis. *Scheffer.*

Insilit] Pro simplici *salit*: & facit hoc ad exprimendam summam insolentiam ranuncularum. *Scheffer. Can. Apost.* 84. punitur quisquis Regem vel Principem contumelia afficit: ὅστις ὑβρίζει τὸν βασιλέα, ἢ ἄρχοντα παρὰ τὸ δίκαιον. *Matthæus Blastaras Cap.* ὅτι βασιλεὰ ὑβρίζειν οὐ δεῖ β. κεφ. ζ. παρὰ τὸ δίκαιον δὲ προσθεὶς, καὶ γὰρ αὐτὸν ἀμεταβλήτως τὸν ἱερὸν ἐξεθέμην καινόνα, τὴν μὴ ἀπεοικυῖαν ὕβριν ἀνεῖλεν οὐ μέν τοι καὶ τὸν ὑπὲρ δικαίου ἔλεγχον, ὅτι τούτων καθάπτοιτό τις, ἔστιν ἃ παρὰ τὸ προσῆκον δρώντων, κἂν εἰς ὕβριν αὐτοῖς οἱ ἔλεγχοι λόγοι λογίζονται. *Photius Nomocan. Tit.* 9. *Cap.* 6. *Optat. Milevitan.* 2. *Advers. Parmen. Rigalt.* Vide *Plaut.* in *Asin. Terent.* in *Eunucho*, & alios. *Sen.* 3. *de Ira Cap.* 8. *Contumeliam tibi fecit aliquis: Numquid majorem, quam Diogeni, Philosopho Stoico? cui de ira cum maxime disserenti, adolescens protervus inspuit. Scheffer.*

Misere] Proprie de legatis ac oratoribus. Vult enim ablegasse aliquos, quæ hanc rogationem earum, deferrent ad Jovem. *Curt. Lib.* 5. *C.* 3. *Suppliciorum metu perculsi, ad Sisygambim, Darii matrem, occulto itinere, ignotoque hostibus mittunt, qui peterent ut ipsa Regem mitigaret. Scheffer.*

Inutilis] Invalidus, impotens, qui usui esse ipsis non possit. Plane ut *Pacatus* noster *C.* 36. *illi inutiles, excisisque membris reliqua sui parte fugiebant. Scheffer.*

Tum misit illis Hydrum, qui dente aspero
Corripere cœpit singulas, frustra necem
Fugitant inertes: vocem præcludit metus.
Furtim igitur dant Mercurio mandata ad Jovem,
Afflictis ut succurrat. Tunc contra Deus;
Quia noluistis vestrum ferre, inquit, bonum,
Malum perferte: vos quoque cives, ait,
Hoc sustinete, majus ne veniat malum.

Tum misit illis Hydrum] Notat, *Phædrus*, ferum Caligulæ ingenium. *Sueton: quod sagacissimus senex ita prorsus perspexerat, ut aliquoties prædicaret, exitio suo omniumque Cajum vivere: & se natricem (serpentis id genus) Populo Romano Phaëtonem educare.* Hydrus, natrix, χέρσυδρος. *Vetus Glossa*, Ὕδρος, ὄφις, *aquatilis.* nec translatitie Jupiter Ranis petulantioribus, Hydrum Regem misit, est, enim Ranis maximo terrori. *Ælian.* 12. *C.* 15. περὶ ζώων ἰδ. βάτραχος ὕδρον μισεῖ καὶ δέδοικεν ἐχυρῶς. *Rigalt.*

Dente aspero] Serrato: Hydrorum enim os, asperum potius, & serratis dentibus timendum, quam venenosum. *Ælian.* 16. *C.* 8. *Rigalt.*

Corripere cœpit] Sic *Terent. Andr. Act.* 2. *Sc.* 2. *itane tandem idoneus tibi videor esse, quem tam aperte fallere incipias.* Noster mox *Fab.* 3. *V.* 10. *redire mœrens cœpit. Rigalt.*

Singulas] Pro omnes, sic infra aliquoties *Fab.* 8. 31. & *Lib.* 2. *Fab.* 8. &c. videndum igitur ne *Muretus* injuria sugillaverit *Perionium* qui, singulis diebus, vel annis dixerit, pro quot diebus, quot annis. *Rittersh.* At mea quidem sententia fallitur: primum enim hoc ipso loco, quo de nunc agitur, *singulas* non significat *omnes*, sed quod Gallice dicimus: *les unes*

apres

apres les autres, id est, *Liviano* more, *alias post alias*. Sed fortasse quod est in proverbio, δευτέρων ἀμεινόνων: itaque hunc alterum locum affert, quo sententiam suam probet:

Magno dolore victus cœpit singulas
Inlicere pretio. ———

Verum sibi plane adversatur, quid porro tertius?

Qui regnum adeptus cœpit vesci singulas.

Tantundem perfecto agit; quid quartus denique?

——— *dum scrutatur singula,*
Cervi quoque. &c.

Rittershusium profecto destituit πάνυ εὐηθικῶς χάσκοντα, nam τὸ *singula*, itidem ut in locis antea allatis, converti, & intelligi debet plane contra ipsius sententiam. Hinc itaq; discas licet, non esse istæc leviter transilienda, ut quibusdam cervicosis videri scio, quæ ad proprietatem Latini sermonis intelligendam pertinent, *rem*, si *Ciceronis* judicio stare volumus, *in magna laude ponendam*. Memini certe, nuper quendam (nomini parco) qui se bellum hominem facere voluit, imitatione *Terentii*, memini, inquam, ita pueriliter errasse, in Epistola ad Præsulem suum, Virum clariss. ut cachinnorum choris risu ἀσβέστῳ, καθ' Ὅμηρον, dissiliret, ita sunt hæc rimanda, & sedulo observitanda, si quid scribere velimus, quod posteris curæ sit. *Fab. Virgil. Georg.* 3.

Sed fugit interea, fugit irreparabile tempus.
Singula dum capti circumvertantur amore.

Scheffer.

Inertes] Invalidi, imbelles. Iterum secutus est, *Virgilium*, qui sic usurpat. 4. *Æneid.*

Spumantemque dari pecora inter inertia votis
Optat aprum, aut fulvum descendere monte leonem.

Scheffer.

Noluistis vestrum ferre bonum] Rex bonus, εὐεργήτης, εὐεργεσία, regius character; Græci Thologi: τέλος βασιλεῖ τὸ εὐεργετεῖν. διὸ καὶ εὐεργέτης λέγεται, καὶ λύνικα τῆς εὐεργεσίας ἐξετονήσει, δοκεῖ κιβδηλεύειν κατὰ τοὺς παλαιοὺς τὸν βασιλικὸν χαρακτῆρα. *Rigalt.* Τὸ bonum ponitur neutraliter, & absolute, pro re bona, de qua elegantissime illud *ferre*, in respectu ad curam, studium, laborem quæ requiruntur, ut secundis & utilibus recte utamur: *Curt.* 3. *C.* 12. *Orientem fortunam moderate, & prudenter tulit.* Et *Cic.* 1. *Offic. Immoderate res secundas ferre levitatis est. Scheffer.*

Malum perferte] Δύσκολον, truculentum. *Rigalt.* Sed fugit eum ratio: neque enim τὸ *malum* ad principem seu regem ἀναφορὰν suam habet, sed ἁπλῶς significat, τὰ κακὰ, seu τὸ κακῶς ἔχειν, ita *Terentius* dixit: *ferre suum malum*, videlicet non existimabat *Rigaltius* dici posse latine *ferre bonum suum*; de quo tamen dubitare desiisset, si locus hic *Plauti* ei in mentem venisset, ex quo apparet tam eleganter dici posse *bonum suum pati*, ac *pati malum*.

Hem ista virtus est quando usu, est qui malum fert fortiter,
Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.

Nempe, *pati*, & *ferre*, tam ad læta, quam injucunda pertinet, nam quod quidam in illo *Plauti* loco legendum existimarunt, *potitur*, melius profecto, melius si Harpocrati, & Angeronæ litassent: meminisse decebat *Aristophanem*, *Theognin*, cæterosque bonos scriptores usurpare τὸ πάσχειν, non solum, κακῶν πέρι, ἀλλὰ καὶ τῶν ἀγαθῶν. Cæterum ad historiam quod attinet, huic addi possit, quod apud Græcos anicula illa de Dionysio, Siciliæ Tyranno dicebat, res nota est. *Fab. Terent. Hec. Act.* 3. *Sc.* 1.

Tum uxori obnoxius sum; ita olim suo me ingenio pertulit.

Idem in *Phorm. Act.* 2. *Sc.* 1.

Non causam dico, quin quod meritus sit ferat.

Scheffer.

Vos quoque cives] Interpono, ô: *vos quoque ô cives*, metrum hoc exigit. *Rittersh.*

Ait] Æsopus videlicet ad Athenienses: nam ipsum respicit. *Scheffer.*

Hoc sustinete majus ne veniat malum] *Syracusana quædam sola, quotidie tempore matutino,*

matutina, votis exſpectantibus à Diis ſalutem graviſſimi, & importabilis Tyranni devotiſſime exorabat. Quod ut is cognovit, non debitam ſibi admiratus benevolentiam, ad ſe vocatam, cur, aut quo ſuo merito id faceret interrogavit. Tum illa: certa eſt ratio, inquit, propoſiti mei. Puella enim cum gravem tyrannum haberemus, carere eo cupiebam; quo interfecto, aliquanto tetrior arcem occupavit, ejus quoque finiri dominationem magni exiſtimabam. Tertium te ſuperioribus importuniorem cæpimus habere rectorem. Timens itaque ne, ſi & tu abſumptus fueris, etiam ſuccedat deterior, caput meum pro ſalute tua devoveo. Joan. Sariſber. Policrat. 7. cap. 25. ex Valer. Max. lib. 6. Cap. 2. Rigalt.

Unde *Horat. Carm. lib. 1. ode. 6.*

Ætas parentum, pejor avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

L.

FABULA

FABULA TERTIA.

Graculus Superbus, & Pavo.

NE gloriari libeat alienis bonis,
Suoque potius habitu vitam degere,
Æsopus nobis hoc exemplum prodidit.
Tumens inani Graculus superbia,
Pennas, Pavoni quæ deciderant, sustulit,
Seque exornavit; deinde contemnens suos,
Immiscuit se Pavonum formoso gregi.

GRaculus superbus] Simile quid de Cornicula fabulantur *Horatius*, & *Babrius*, *Aphthonius Fab.* 31. *Æsopus*, *Theon Sophista Fab.* 3. & *Camerarius* de Monedula, & Columbis: de Graculo vero expressim, Theophylactus Simocata in *Epist*: Ὁ κολοιὸς τὴν οἰκείαν δεδιὼς ἀμορφίαν, τὴν τῆς φύσεως δημιουργίαν ἐνόθευσεν, ἀλλοτρίῳ κόσμῳ τὴν ἑαυτοῦ καλλοπίζων εὐπρέπειαν. ἀλλ' ἤλεγξε τὴν ἀμορφίαν ἡ γλαῦξ, καὶ τὴν ἐπέπλαστον κόσμον ἐδείκνυε. Τὸ γὰρ οἰκεῖον ἐπιγνοῦσα πτερὸν, ὡς ἴδιον ἀφείλετο, καὶ τοῖς ἄλλοις ὀρνεοῖς ἐδίδου παράδειγμα ἕκαστον ἀφαιρεῖσθαι τὸ ἴδιον, καὶ γέγονεν αὖθις ὁ κολοιὸς, κολοιός. Diversum deinceps à *Phadri* mente, sed tamen elegans subnectit ἐπιμύθιον. Vide *Tertull. Lib. advers. Valentin. Cap.* 12. *Rigalt.*

Ne gloriari libeat alienis bonis] Simile quid monuit *Aristippus*, qui αὐχοῦντος τινος ἐπὶ τὸ κολυμβᾶν, οὐκ αἰσχύνη εἶπεν, ἐπὶ δελφῖνος ἔργοις ἀλοζούμενος. *Nevelet.*

Libeat] Absolute, pro ne quis sit, cui lubitum sit, qui hoc velit facere. *Virgil.* 9. *Æneid.*

——— *cum tamen omnes*
Ferre libet subter densa testudine casus.
Scheffer.

Habitu] Eleganter, in respectu ad vestimenti adscititii cultum, de quo sequitur in ipsa Fabula. Est autem *habitus*, Græca imitatione quicquid vel à natura, vel à fortuna cultus, ornamentique possidemus: qualitatem cujusque vulgo vocant; *degere* autem *suo habitu*, est, *secundum suum habitum, pro suo habitu.* Ita *Curtius Lib* 8. *C.* 9. *degere publicis moribus* dixit. *Scheffer.* Habitus autem proprie cultum corporis significat, *Tit. de habitu quo uti oportet intra urbem*, in *Cod. Theodos.* Sic *habitus militaris l.* 1. *eod. Tit. Si larvali habitu processeris. Paul. Lib.* 3. *Sentent.* 5. *Habitus*, ait Papias, *Corporis positio, vel qualitas. Habitus corporis, Ulpian. Tit. Regul. Instit. quib. mod. tut. fin. Habitus* quoque cujusque corporis, pro valetudine sumitur *l.* 1. §. *sed sciendum. ff. de Ædilit. edict. Eo habitu naturæ fuisse l.* 8. *ff. de re milit. in eodem habitu matrimonii l.* 8. *ff. de condict. caus. dat. Habitus animi. Sen. Lib.* 1. *de Ira Cap.* 5. L.

Tumens] Hinc natum proverbium notissimum: alienis plumis se exornare: de vanitate & ἀλαζονείᾳ, qua quis alienis bonis sese jactat, & effert. *Rittersh.*

Illi impudenti pennas eripiunt avi,
Fugantque rostris. Male multatus Graculus,
Redire mœrens, cœpit ad proprium genus:
A quo repulsus tristem sustinuit notam.
Tum quidam, ex illis quos prius despexerat:
Contentus nostris, si fuisses sedibus,
Et quod natura dederat, voluisses pati,
Nec illam expertus esses contumeliam,
Nec hanc repulsam tua sentiret calamitas.

Ad proprium genus] Ordinem dixit *Plaut.* simili in fictione, *Act.* 5. *Sc.* 3. *Aulul.* ibi: *Nunc si filiam locassim*, quem locum, prolixum nimis, vide. *Nevelet.*

Sedibus] Nempe reprehendit duo, & quod plumis alienis se exornaverit, & quod, desertis suis, contulerit se ad alios. *Scheffer.*

Pati] Plane eleganter, *pati, quod natura dat.* Sic *Plautus* dixit *pati bonum: Asin: Act.* 1. *Sc.* 1.

Fortiter malum qui patitur, idem post patitur bonum.

Est autem admodum accommodatũ huic loco, propter comparationem munerum, quæ à natura habentur ab aliis majora, ab aliis minora. Nam istoc respectu qui minora acceperunt, dicuntur ea *pati*, cum iis sunt contenti, & majora non affectant. Alexander apud *Curt. Lib.* 4. *C.* 1. *libet scire, inopiam, qua patientia tuleris?* responder Abdolonymus: *utinam eodem animo Regnum pati possim. Scheffer.*

Contumeliam] Contumelia injuriam significat, à contemnendo dicta, quam Græci ὕβριν vocant *l.* 1. *ff. de injur.* & *Instit. eod. Tit.* in *libro qui inscribitur in sapientem non cadere injuriam, Cap.* 10. *Contumelia est minor injuria, quam queri, quam exequi possumus: quam leges quoque nulla dignam vindicta putaverunt.* Item

Capite

Capite ſeq. Contumelia à contemptu dicta eſt, quia nemo, niſi quem contempſit tali injuria notat; Eleganter, inquit, *notat*, ſupra enim dixerat noſter: *triſtem ſuſtinuit notam.* L.

Tua calamitas] Eleganter, quaſi diceret, ad calamitatem tuam, ſi forte veniſſes in aliquam, non & hoc malum acceſſiſſet. *Scheffer.* Calamitatem, ut *Donat. in Eunuch. Terent. Act.* 1. *Sc.* 1. tradit, *ruſtici grandinem appellant, quod comminuat calamum*, hoc eſt, *culmum ac ſegetem.* Unde *calamitoſæ tempeſtatis vis*, *l.* 15. §. 1. *ff. locat. Cicer. Lib.* 3. *in Verrem.* Et ager hujuſmodi calamitatibus obnoxius, *calamitoſus* dicitur à *Cat. de Re Ruſt. Cap.* 1. & 35. eſt autem ager ita *calamitoſus*, vel *cœlo*, vel loco, ut *Cic.* 2. *Agrar.* oſtendit. Generaliter vero pro quolibet adverſo caſu, & detrimento, pro qualibet clade & jactura, *calamitatis* nomen uſurpatur, *l. ult. C. de uſufr.* Hinc in *l.* 10. *ff. qui ſatisd. cog. Si medio tempore fidejuſſoribus calamitas inſignis accidat.* Et in *l.* 2. §. *cum tamen. ff. ſi quis caut. in jud. ſiſt. cauſ. fact. Si aliqua fortuita calamitas locum evertit.* Et *calamitas pupilli*, id eſt *damnum*, *l. ult. ff. de admin & per. tut.* Denique *calamitas belli l. un. C. de caduc. toll.* Hinc & *calamitoſt. l.* 19. *ff. de offic. Præſ.* id eſt, ut *Nonius* interpretatur, *ærumnoſi, malis, calamitatibuſque pregravati.* L.

FABULA QUARTA.

Canis per fluvium Carnem ferens.

AMittit merito proprium, qui alienum adpetit,
Canis per flumen carnem dum ferret natans:
Lympharum in speculo vidit simulachrum suum;
Aliamque prædam ab alio perferri putans,
Eripere voluit; verum decepta aviditas,
Et quem tenebat ore, demisit cibum,
Nec quem petebat, adeo potuit attingere.

CAnis per flumen] Eadem Fabula narratur apud *Babrium*, *Aphthonium*; *Theonem Sophistam*, & *Simonem Sertum Lib. de Regni gubernatione*, animalium exemplo, qui μυθολογίαν ad ambitiosos humanarum gloriarum sectatores transtulit. *Rigalt.*

Per flumen] *Babrius*: Ποταμοῦ πλησίου. *Aphthonius*: Παρ' αὐτὴν διήει τὴν ὀχθὴν τινὸς ποταμοῦ. *Rigalt.*

Lympharum in speculo] Naturalia specula sunt in indarum æquore, & saxorum lævore. *Sen. Nat. Quæst. 1. Cap. 17. Rerum natura facultatem nobis dedit, nosmetipsos videndi, fons cuique perlucidus, aut læve saxum imaginem reddit.*

——— nuper me in littore vidi,
Cum placidum ventis staret mare.——

Pentadius de Narcisso:

Se puer ipse videt, patrem dum quærit in amne

Perspi-

Perspicuoque lacu, se puer ipse videt. *Lucret. Lib. 4.*

Postremo in speculis, in aqua, splendoreque in omni

Quæcunq; apparent nobis simulachra. — Vide 12. *Scholiastic.* Poëtarum imaginem in unda 4. *Epigr. vet.* & *Apul. Apol.* Nec ausim ineptiæ continuo damnare *Virgilium, Theocritum, Senecam.* Etenim *Serviana* in *Eclog.* 2. inquisitioni pertinacius favere mihi videtur *Joh. Meursius*, Doctissimus adolescens, quem sæpe miror; & certe supra suos annos literarum dote ditescit: βλάστημα καλλίπρωρον, ἀνδρόπαις ἀνήρ. Vide *Aristot. Problem. Sect.* 23. & 38. *Rigalt.*

Vidit simulachrum] *Sen.* 1. *Natur. Quæst. Quid sibi rerum natura voluit, quod cum vera corpora edidisset, etiam simulachra eorum adspici voluisset.* Cæterum illius πλεονεξίας exemplum dabit Demetrius, qui, *dum aliena affectat, ut assolet fieri, propria per defectionem Syriæ amisit. Justin. Lib.* 39. *Cap.* 1. *Nevelet.*

Aliamque prædam ab alio] Elementum M. in fine τοῦ *prædam* extritum non est, more veterum. Ita *Lucretius* Divinus vir atque incomparabilis (*Scaligeri* patris testimonium est *Comment. in Hist. Anim. Arist.*)

——— *Expressit multa vaporis*
Semina, seque simul cum eo commiscuit ignis.

Adi, si tanti est, *Giphanii* indicem, cui addes locum *Lucilii* qui apud *Isidorum*:

Multorum magnis tuditantium ictibus tundit;

Legendus quoque *Paulus Merula ad Annales Ennii P.* 517. *Fab.*

Eripere voluit] scilicet *illi alii*, ellipsis notanda, quia casus alius subaudiendus, quam qui præcedit; ita supra; *illi impudenti pennas eripiunt avi, fugantque rostris*, Scil. *avem*, non *avi* quod præcedit. *Scheffer.*

Et quem, nec quem] Eleganter jungitur affirmativa, cum negativa particula: ut apud *Ciceronem* sæpissime. *Rittersh.*

Nec quem petebat adeo] Vel istæc una vocula *adeo*, tam concinne, tam eleganter, usurpata, & loco suo tam posita, satis ostenderit, quam veræ fuerit genuin æque Latinitatis sciens *Phædrus.* Gallice verteres, *& avec tout cela il ne pût, &c.* Scio aliter interpretatos esse doctissimos illos, & politissimos viros, qui hunc Scriptorem Gallice nuper converterunt; neque tamen sententiam meam mutaram velim. *Servius* ipse ad versum 427. *Lib.* 7. *Æneid.* non est assecutus vim hujus particulæ, quæ ibi quidem paulo diversa est, sed non significat *valde*, ut ille existimavit. Eundem errorem erravit ad versum 629. ejusdem libri. Sed quis credat hujusmodi σφάλματα ab illo nobili Grammatico esse, dicam audacter, non magis *Servium* hodie habemus, quam *Donati* in *Terentium* commentarios: excerpta tamen supersunt, & sæpius à mala manu. Quod demonstrari si quis sibi postulet, tam equidem id possim facile, quam ostendere δὶς δύο εἶναι τέτταρα. *Fab.*

Non potuit attingere] Nec enim corpus erat, sed simulachrum. *Rigalt.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FABULA QUINTA.

Vacca, & Capella, Ovis, & Leo.



NUnquam eſt fidelis cum potente ſocietas.
Teſtatur hæc fabella propoſitum meum.
Vacca, & Capella, & patiens Ovis injuriæ,
Socii fuere cum Leone in ſaltibus.
Hi cum cepiſſent cervum vaſti corporis,
Sic eſt locutus, partibus factis, Leo:

Vacca & Capella] Æſopus. Babrius. omnium optime ad *Phædri* mentem *Camerarius.* 173. liber M. S. Biblioth. Victor.

Ut ratione pari fortunæ munera ſumant,
Sumunt fœdus Ovis, Capra, Juvenca, Leo.
Cervus adeſt, Cervum rapuit Leo, ſic ait, hæres
Prima parti ve: nam eſt mihi primus honor.
Et mihi defendit partem vis prima ſecundam;
Et mihi dat major tertia vota labor:
Et pars quarta meum, ni ſit mea, rumpet amorem,
Publica ſolus habet fortior, ima premens.
Ne ſortem ſociet fragilis, vult pagina præſens:
Nam fragili fidus, neſciet eſſe potens.

Rigalt.

Nunquam eſt fidelis] *Avienus* 11.

Pauperior caveat ſeſe ſociare potenti
Namque fides illis cum pari melior.

Porro

Porro hanc fabulam auctor Gloſſarum in *Inſtitut.* §. *nam & ita coïri. de Societ.* *Avkno* tribuit. *Joan. Fab.* ad eum *Inſtitut.* locum, quis fuerit *Avienus* neſcire ſe fatetur. Nec ſane in *Aviene* hæc Fabula legitur, adeoque nec in tribus manuſcriptis. *Rigalt.*

Cum potente ſocietas] Ea ex hac ipſa Fabula appellata eſt à *Caſſio* ICto Leonina ſocietas *l.* 29. *ſi non fuerint.* §. *Ariſto. ff. pro Socio.* Huc pertinet Fabula altera de olla ænea, & fictili, quam hoc ἐπιμυθίῳ *Faërnus* clauſit:

Potentiorum ſemper eſt vicinitas,
Vitanda tenuioribus.

Et *Scaliger* ad eandem alluſit *Epidorpid. Lib.* 1. *Tit. Par Societas.*

Ætate opibuſque atque animo para ſodalem
Æreæ comitatu crepuit fictilis olla.

Kittersh. Euclio prudenter apud *Plaut. Aulul. Act.* 3. *Sc.* 4.

——— *Dii immortales facinus audax incipit,*
Qui cum opulento pauper homine cœpit habere negotium.

Nevelet. Ideoque *Martial. Lib.* 10. *Epigr.* 47. inter ea, quæ vitam faciunt beatiorem, numerat amicitiam cum pari. Potentioribus autem pares eſſe non poſſumus *l.* 3. *pr. ff. de al. jud. mut. cauſ.* Adde *l. pen. & ult. C. ne fiſc. vel Reſpubl.* quales ſunt, qui opibus, & gratia valent, & conventu ſunt difficiles, *Cujac.* 10. *Obſerv.* 3. Cum quibus ſane non ſine periculo rem habeas, nam, ut ait, idem *Plaut. Truc. Act.* 4. *Sc.* 2. *Verſ.* 55.

— *Si ſtimulos pugnis cædis, manibus plus dolet,*
De nihilo eſt illi iraſci, qui te non flocci facit.

Et *Homer. Iliad. A. Verſ.* 277.

Μήτι σὺ Πηλείδῃ φιλοτήσιος ἐριζέμεναι βασιλῆϊ
Ἀντιβίην ἐπὶ σοὶ δὲ ἑοῖς ἐμμεμφέες ἔπλευ.

L.

Propoſitum] Id eſt, propoſitionem, ut enunciatio, & enunciatum, idem valent. *Rittersh.* Sententiam præmiſſam intelligit. Vide *Fab. Lib.* 7. *Cap.* 1. & quæ nos in *Gymnaſio Styli Pag.* 121. prodidimus. *Scheffer.*

Partibus factis] Potionibus diviſis. Ciborum κλάσματα, μερίδες. Partes dici notum eſt, ex 2. & 10. *Aſini Aurei. Petron. Satyric.* de ovo: *Ego quidem pœne projeci partem meam, nam videbatur jam mihi in puſillum coiſſe.* Non mediocriter fallitur *H. Stephanus Cap.* 1. *Expoſit. de Latin. Suſp.* Cum autumat periculum paraſitum, de ſe, & uxore ſua loqui in *Menechmis, Sce.*

Potin' ut quieſcas:
Satur nunc loquitur, de me, & de parti mea.

Pars, prandii portio, qua carere periculus cogebatur, quia nec opportune, ſublatis menſis advenerat. Sic partitimare opſonio, prandio &c. *Plautus. Apuleius. Rigalt.*

Ego primam tollo, nominor quia Leo:
Secundam, quia ſum fortis, tribuetis mihi:
Tum quia plus valeo, me ſequetur tertia:
Malo adficietur, ſi quis quartam tetigerit
Sic totam prædam, ſola improbitas abſtulit.

Quia] Produci ultimam ſyllabam, contra vulgarem conſuetudinem, opportune hic notavit *Phraſcius. Scheffer.*

Plus valeo] Valentior ſum. Sic, *Valentiſſima beſtia. Cic. Epiſt. Leones ferarum generoſiſſimi. Plin. Lib.* 10. *C.* 21. *Rigalt.* Sed non ad vires referri debet, de iis namque præceſſit, ſed nobilitatem, & auctoritatem apud alios. *Cornel. Nep. in Dione Cap.* 6. *Neque enim nimis valebat apud optimates. Scheffer.*

Prædam] Proprie de eo quod venatione capitur. Vide *Ulit. ad Nemes. C.* 50. *Scheffer.* Alias quod milites ab hoſtibus capiunt,

vel latrones diripiunt: ut *ſi Gravior præda vi adpetita videbitur. l. 4. ff. de incend. & ruin. Graſſatores, qui prædæ cauſa id faciunt. l. 28. § Graſſatores. ff. de pœn. Qui prædæ cauſa incenderunt d. l. 28. §. incendiarii. Qui prædam ex naufragio diripuiſſent l. 4. ff. de incend. nauf. Ne piſcatores ſibi execrandam prædam parent. l. 10. ff. eod. ne aliis prædæ occaſionem præbeat l. 1. ff. ſi ventr. nom.* Hinc *prædones* pro graſſatoribus & latronibus ſumuntur, *impetus prædonum à nullo præſtatur l. 23. ff. de Reg. Jur. à latronibus vel prædonibus vi oppreſſus, l. 9. ff. ex quib. cauſ. maj.* & ita fuſt, *prædo* adjungitur, *l. 16. ff. commod. l. 31. §. 1. ff. depos.* Suntque generaliter *prædones*, qui, nullo publice legitimeque indicto bello, terra marique graſſantur, & prædas agunt *l. 24. ff. de captiv. & poſtlim. reverſ. l. 118. ff. de verb. ſignif.* ideoque ab hoſtibus utrubique ſeparantur, *l. 1. § 1. ff. de obl. & act. l. 19. ff. de procurator. l. 1. ff. de poſtul. Vis hoſtium, prædonum, latronum, l. 30. pr. ff. ad leg. Falcid.* Hinc *prædonius mos, l. 25. §. de eo. ff. de hæred. petit.* Piratæ quoque nominatim *prædones* dicuntur *l. 1. §. ſi navis. ff. de lege Rhod. de jact. Qui aliquid, prædonibus navim expugnantibus, rapiat, l. 3. §. 1. ff. de incend. ruin. Sueton. in Jul. Caſ. Cap. 4. Circa Pharmacuſam inſulam à prædonibus captus eſt*, id eſt, *piratis*, ut eſt apud *Feneſtell. Epitomat. Lib. 2.* Citante *Diomede Lib. 1.* L.

Sola improbitas abſtulit] Grandius, & ut ſententia eſſet apertior, ſic loquitur. Noſter *Fab. præc. verum decepta aviditas*, & ſic ſæpiſſime. *Improbitas* porro eſt nimietas, ut ſic dicam, ac inſatiabilitas cupiditatis. Neque *Barthium* hic ſequor, qui crudelitatem explicat, quando non eſt ſermo de crudeli hoc in loco, ſed de eo, qui fiducia potentiæ avarus eſt, & cupidus raptorque alieni. *Virgil. 1. Georg.*

——— *Hic piſcibus atram*
Improbus ingluvies, ranaſque loquacibus explet.

Servius ad hæc verba: *improbus, inſatiabilis*; & *Philarg. improbus hic, aviduſ. Scheffer.* Hic de raptore violento, per ſummam malitiam, & iniquitatem: qui enim vi rapuit, fur *improbior* eſſe dicitur *l. 2. §. cæterum. ff. de vi bon. rapt. l. 14. §. qui vim. ff. quod met. cauſ.* Sic violenta poſſeſſio, dicitur *improba l. 7. C. de acquir. & retin. poſſeſ.* eamque poſſeſſor *improbe* retinere *l. 9. C. eod.* & *improbe* ad negotia acceſſiſſe, qui ſui lucri cauſa, & deprædandi ſtudio negotia geſſit *l. 6. §. quis pecuniam ff. de negot. geſt.* Sic etiam vis & violentia *improbe* factum *l. 5. C. de his quæ vi met. cauſ.* Et omne quod injuſtum, illicitum, ac incivile eſt, *improbum* vocatur, *l. 16. C. de procur. l. 10. C. de his quæ vi. l. 27. C. de tranſact. l. 20. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. l. 8. §. quoties. ff. de condit. inſtit. l. 49. ff. de pact.* Plerumque etiam vocabulum hoc ad exprimendam criminis, vel delicti gravitatem, & atrocitatem uſurpatur, ita *improbius furtum*, vocatur, expilatio hæreditatis, *l. 12. C. ex quib. cauſ. infam. Quintilian. declam. 347. Sed nimor de mariti morte venit, hæc ſtatim nupſit alio marito, quid eſt hoc aliud quam improbius adulterium?* L.

FABULA

FABULA SEXTA.

Ranæ ad Solem.

VIcini furis celebres vidit nuptias
Æsopus, & continuo narrare incipit;
Uxorem quondam Solem velle ducere,
Clamorem Ranæ sustulere ad sidera,

R*Anæ ad Solem*] *Babrius. Camerarius.* Liber M. 5. Bibl. Victor. de femina, & fure:

Femina dum nubit furi, vicinia gaudet.
Vir bonus & prudens talia verba movet:
Sol pepigit sponsam; Jovis aures terra querelis
Perculit, & causam cur foret ægra dedit:
Sole necor solo, quid erit si creverit alter?
Quid patiar, quid æget tanta caloris hiems?
Hic prohibet sermo lætum præbere favorem
His male qui faciunt, vel mala facta parant.

Rigalt.

Vicini furis] Illud *vicini*, dicitur in respectu ad *Æsopum*, cujus erat vicinus, & ob furta infamis. *Scheffer.*

Celebres] Vocabulum hoc, uti & verbum *celebrare*, proprie & frequentius de nuptiis usurpatur, propter earum solemnitatem, quam *Tac. Lib. 12. Annal. Solemnia nuptiarum*, & Imperator in *l. 22. C. de nupt. Nuptiarum celebritatem* vocat, & propter pompam, ac ostentationem in

iis adhiberi ſolitam, quam luculentiſſime deſcribit *Briſſon.* in *tract. de rit. Nuptiar.* L.

Nuptias] Hujus vocis varias notationes *Feſtus* adfert; probabilior vero illa videtur, quam *Ælio Gallo*, & *Cincio* placuiſſe tradet, quia *flammeo caput nubentis obvolvatur, quod antiqui obnubere vocabant.* Ac plane *Varro*, *nuptias* ab nuptu, id eſt, *opertione* dictas, *Lib. 3. de Ling. Lat.* ſcribit. Unde & *nuptiarum* nomen proprie ad mulieres pertinere quidam exiſtimant: eaque gratia ſecundum perſonas utriuſque ſexus, *nuptias*, & *matrimonium* in aliquot locis diſtingui, veluti *l.* 10. & *l.* 11. *ff. de rit. nupt.* §. 12. *Inſtit. de nupt.* §. 2. *Inſt. de hæredit. quæ ab inteſt. defer.* L.

Uxorem quondam Solem velle ducere] Feſtive in hanc *Phædri* ſententiam, de Lunæ quoque nuptiis fabulatur *Camerarius* 265. *Rigalt.*

Convicio permotus, quærit Jupiter
Cauſam querellæ, quædam tum ſtagni incola:
Nunc, inquit, omnes unus exurit lacus,
Cogitque, miſeras arida ſede emori:
Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos?

Convicio] Clamore, coaxatione, collatione vocum, & quaſi convocio. *Labeo: l.* 15. §. *convicium. ff. de injur.* Vetus Gloſſa: κατάβοησις, *Convicium*, κατάβοω, *convicior. Rigalt.* Proprie loquitur *Phædrus*: *Convicium* eum non à vitiis, ut alicubi dubitat, *Feſtus* dictum eſt: neque porro à *Conciſitatione*, ut ridicule cenſebat *Labeo* ICtus ſed à conlatione vocum, ut optime alii Themidos ἀγοφάντας, quaſi *convocium*, unde & ſyllaba ſecunda longa eſt: neque hoc loco maledictum, aut contumeliam ſignificat. *Fab.* Quod autem illud *concitatione* ſugillat *Faber*, in eo neſcio an perceperit *Labeonis* mentem: nam *concitare*, & *citare*, eſt à *ciere*, & *cire*, quod ſæpe apud veteres reperitur, pro vocare. *Virgil. 4. Æneid.*

Nocturnoſque ciet manes. ——

Tacit. Hiſt. 3. C. 10. Ut quemque notum, atque aliquo militari decore inſignem aſpexerat, ad ferendam opem nomine ciens. Atque hunc *ciere*, ac *concitare*, id eſt, *convocare*, quod *Labeoni*, voces jungere. Cæterum hoc ſenſu vocem *convicio* uſurpaſſe veteres oſtendit quoque *Ovidius* quando & ipſe de ranis. *Lib. 4. Metamorph* 378.

—— *dilatant patulos convicia rictus.*

Item *Columella* quando *Lib.* 10.

Perpetuis querula ſemper convicia rana. Scheffer. Atque hoc vocabulo ſola vocis contentio deſignatur, ut apud *Cicer. pro Arcuia Poëta*, & *pro Cluentio*, & *pro Quintio*, *convicia* etiam *feſta*, pro dictis jocularibus, quæ in novum maritum, novamque nuptam jaciebantur, dixit *Sen.* in *Medea*; eademque verba *Martialis* militum, qui triumphantem Imperatorem ſequebantur, dicteriis accommodat, *Lib. 7. Epigr. 7.*

Feſta coronatus ludet convicia miles,
Inter laurigeros: cum comes ibit equos.

Vide *Sueton.* in *Iul. Cæſ. Cap.* 40. & *Dion. Caſſ. Lib* 43. Nec etiam omne maledictum *convicium* eſt, ſed id ſolum quod cum vociferatione dictum eſt, ſive unus ſive plures dixerint, quod in cætu dictum eſt, convicium eſt, quod autem non in cætu, nec vociferatione dicitur, *convicium* non proprie dicitur, ſed *infamandi cauſa dictum*, *l.* 15. §. 11. & 12. *ff. de injur.* L.

Stagni incola] Eleganter, quaſi quæ in ſtagno degat, *incola*, enim eſt, qui in aliqua regione, domicilium ſuum contulit, quem Græci πάροικον appellant, nec tantum hi qui in oppido morantur, *incolæ* ſunt, ſed etiam qui in alicujus oppidi, finibus, ita agrum habent, ut in eum ſe, quaſi in aliquam ſedem recipiant *l.* 239. §. *incola. ff. de Verb. Sign.* incola habetur ὁ ἐν ἀγρῷ καταμένων, ὁ γὰρ ἐκείνης τῆς πόλεως ἐξετείοις μὴ χρώμενος, ἀλλ' ὃ νομίζεται incola, *l.* 35. *ff. ad municipal.*

Vet.

Vet. Gloſſar. Græc. incola, ὁ παροικῶν, ὃς καὶ ἀλλαχοῦ ἐν πόλει ἐγχωρίῳ τὴν οἴκησιν ἐκτήσατο. A *Cive*, & *municipe* ſeparatur, *l.* 20. *l.* 29. *& l.* 34. *ff. ad municip. l.* 6. *in fin. ff. de muner. & honor. l.* 11. *C. de appellat.*

Nam *cives* origo, vel manumiſſio, vel allectio, vel adoptio, *incolas* vero domicilium facit *l.* 7. *C. de incol. Lib.* 10. L.

Omnes unus] *Catullus:*

Omnibus una omnes ſurripuit Veneres

Rigalt. Virgil. 12. *Æneid:*

——— *Spes tu nunc una ſenectæ*

Scheffer.

Exuit] *Virgil. lib.* 3. *Georg.*

Poſtquam exuſta palus, terræque ardore dehiſcunt.

Idem, *lib.* 1. *Georg.*

Et cum exuſtus ager, morientibus æſtuat herbis.

Nam & hic *exuſtus*, eſt, *exſiccatus*, abſumpto, per calorem humore omni. Quomodo & *Columella Lib.* 6. *C.* 8. *Caſeus aridus provenit, ſi ſole exuſtus eſt. Scheffer.*

Arida ſede] Sedem vocat paludem, quaſi locum commorationis, ubi degunt. Quomodo ſupra, *Fab.* 3. *contentus noſtris ſi fuiſſes ſedibus.* Et *Curtius Lib.* 3. *C.* 2. *Excitam ſedibus ſuis molem*, dixit. *Scheffer.*

Quidnam futurum eſt, ſi crearit liberos] *Babrius.*

Εἰ γὰρ μόνα τρέφουσιν ἀνδρὸς ἠλίῳ,
Τὶς ἴσα τικτώσεις, τᾶτον ξαυτὸν σέο;

QUEROLUS.

Vicinus mihi malus eſt LAR. *Ecce rem vere malam.*

Tamen, Querole, de uno iſto quantum etiam hic præſtiterim vide.

Vicinum malum pateris unum tantum, quid faciunt illi, qui plures habent?

QUER.

Conſerva iſtum, quæſo, Lar familiaris, ex voto meo

Tuere quem præſtitiſti, ne forte naſcantur duo.

Nimirum, ex doctrina præſtantiſſimi *Hippocratis Lib.* Περὶ ἑπταμήνου, ſimilia in ſimilibus longiſſimo tempore ſimiliter præſtant: ὅμοια ἐν τῷ ὁμοίῳ ὅμοιόν ἐστι. Sic quæ fructuum quærendorum cauſa ſeponuntur, à rudicibus optima, & pulcherrima eligi debent. *Baſſus Geoponicis.* τὰ καλὰ σπέρματα ὅμοια τὰ ἐξ αὐτῶν ἐσόμενα ποιήσει. Etenim ſicut mali corvi, malum ovum, ita τῶν πονηρῶν σπερμάτων ἄξια τὰ μάργια. *Nicephor. Gregoras* 22. Eademque ratione *Proclus Archidemi*, apud *Theophylactum Simocattam* ſcribit: ἴδοις πατρικὴν κακίας εἰκόνας ἀληθεῖς, καὶ ἰνκάλματα. ὅταν γὰρ καὶ τὰ τῆς ἐχιδνης κυήματα μητρικὴν ἀποστέπτα διαδέχηται, τὴν κυοφόρον καὶ πολλὴν γαστέρα διαῤῥηγνύοντα. Maxime vero ad hanc Ranarum Fabulam alluſiſſe videtur Oſor ille mulierum in *Libanii Declam.* Κατὰ γυναικὸς λαλίας. Λογίζομαι γάρ τίς ἴσως τὴν γλῶτταν, ἐπὶ πᾶν χωροῦσαν, τίς ἀδίκησε. τίς τέτρωκε. εἰ δὲ καὶ πολλοί τινες. καὶ τοῦτο αὐτὴ παρωξύνθη, δείκνυται τῆς ἴσης. πῶς βιώσομαι, μίσος ἀλήμμιν & τοιαῦτα χορεῦον. Huc pertinet quod ait, *Juvenalis*, de Julia quæ abortivis fœcundam ſolvebat vulvam, atque oſſas patruo ſimiles futuros effundebat, *Sat.* 2. *Rigalt.*

Crearit liberos] Nec fabuloſe quoque Sol creare liberos dicitur: & ſolus multorum pater audit. Nemo ſcilicet homo patrem ſuum, niſi matris teſtimonio fidem adhibeat, agnoſcere poteſt, fatetur Telemachus, Ὀδυσ. Α.

Μήτηρ μέν τ' ἐμέ φησι τὸν ἔμμεναι, οὐτὲ ἴσωγε.
Οὐ γάρ πώς τις ἴδ' ἐξ ἑωυτοῦ γόνον αὐτὸς ἀνίγνω.

Quos autem Venus volgivaga, & πάνδημος varie procreavit, iis nec mater ipſa, certum patrem aſſignare poteſt. Sed evenit etiam, ut quis aliquando nec matrem noſcat. Solem unicum certo ſibi ſciat parentem. Hominem enim à Sole & homine generari Phyſici affirmant. Eſtque elegans in hanc rem *Plautinus* jocus, *Epidico*, *Sec. Quid eſt Pater:*

Abi modo, atque hanc aſſerva Circam Solis filiam.

Lambini, & *Douſæ* editiones, Circam Solis filiam interpretantur, *veneficam*, nec vere nec apte. Quin potius more ſuo feciſ

fecit *Comicus*, luſit in nomine Circes, quæ Solis filia perhibetur: Ideoque fidicinam Circam Solis filiam nuncupavit, quia ut Circe à Poëtis Sole prognata fingitur, ita hæc fidicina, quam & pater, & mater (ut patet ex ejuſdem Scenæ ſuperioribus verſibus) noſſe negabant, Solem ſibi tantummodo parentem poterat nominare; ex illo vulgari Philoſophorum pronunciato. Sic eleganter, & acute *Circam* Solis filiam *Plautus* indigeravit. *Rigalt.*

Crearit] Optime. *Livius Lib.* 1. *C.* 3. *Is Æneam Sylvium creat. Virgil.* 10. *Æneid.*

——— *Sulmona creatos*
Quatuor hic Juvenes rapit. ——— *Scheffer.*

FABULA SEPTIMA.

Vulpis, ad Personam Tragicam.

PErsonam Tragicam forte Vulpis viderat,
O quanta species, inquit, cerebrum non habet.
Hoc illis dictum est, quibus honorem, & gloriam
Fortuna tribuit; sensum communem abstulit.

PErsonam Tragicam] Persona, scenicorum artificum, à personando; quoniam indumentum illud oris clarescere, & resonare vocem facit. Ut autem persona, sic in Glossario Veteri Ηχὼ, *resona*. Personare, claros & sonoros sonos edere. *Satyricus:*

——— *avorum magna sonantes*
Nomina. ———

Et ita sæpe apud *Martial.* Alias personare χαρακτηρίζειν. Vetus Glossarium: *Personat*, διαχαρακτηρίζει, χαρακτηρίζω, *noto, persono*, χαρακτὴρ, *vultus, titulus, figura, luminamentum*, lege, *lineamentum*. Notandum vero personam minus recte dici στεμάτιον, vel oscillum: etenim caput & os cooperimento personæ undique tectum. Persona, caput, & in *Æsopi* Fabulis χεφαλὴ μορμολυκίου, κεφαλὴ ἡ ἐγκέφαλον οὐκ ἔχει. Videatur *Gell. Lib.* 5. *Cap.* 7. *Rigalt.*

O quanta species, cerebrum non habet] Sic *Homerus Odyss.* Θ.

Ουνεκά οἱ καλὴ θυγάτηρ, ἀτὰρ οὐκ ἐχέθυμος.

Id est:

Filia pulchra ipsi fuerat, sed mentis egena.

Venu-

Venustissime exposuit etiam *Gabr. Faërnus* 66. & hoc Fabellam hanc Epimuthio clausit:

Sordet honos formæ, nisi cui sapientia juncta est.

Rittersh.

Quibus honorem & gloriam fortuna tribuit, sensum communem abstulit.] Res secundæ animos hominum plerumque fatigant, & infatuant, fitque tunc illud quod *Psalmus*, ait, 49. *Homo cum in honore esset non intellexit. Comparatus est jumentis, quæ intereunt.* Et quod *Publius Syrus in Minus*:

Fortuna nimium quem fovet, stultum facit.

Rittersh.

Sensum communem] Ἐποίησε κατὰ τὴν ψυχὴν ἀγογίστους. *Tertullian. Cap. 3. de Resur. Carn.* Et *quidem, & de communibus sensibus sapere in Dei rebus* &c. Item *Cap. 5. Igitur quoniam & rudes, quique de communibus adhuc sensibus sapiunt, & dubii, & simplices, per eosdem denuo inquietantur* &c. Idem *sensum publicum*, dixit, *Cap. 2. de Anima. Sed & natura pleraque suggeruntur, quasi de publico sensu, quo Deus animam dotare dignatus est.* Et ita *communem Deum* dixit *Auson.* in *Grat. Act. Mens ista aurea quam de communi Deo plus quam unus hausisti. Publicam venam. Juven. Sat. 7. D. Hilarius fragment. ex opt. Histor. Conscientiam publicam* vocat Symbolum, quod Populus Dei conscire, & consciscere debet: *Communes & publicas literas Tertull. Cap. 1. de Testim. An. Rigalt.* Homines bardi, & insulsi communi sensu carere dicuntur, *Horat. Lib. 1. Sat. 3.*

Simplicior si quis, qualem me sæpe libenter
Obtulerim tibi, Mæcenas, ut forte legentem
Aut tacitum impellat, quovis sermone molestus:
Communi sensu plane caret, inquimus. ———

Quinctilian. Lib. 1. Cap. 1. Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi distet, cum se à congressu, qui non hominibus solum (sed multis quoque animalibus naturalis est, segregarit? Schop. Juvenalis:

Rarus enim ferme sensus communis in illa Fortuna. ———

Fortasse ex *Phædro*, quem scimus illa tempestate lectitari solitum, *Martialis* testimonio. *Fab.* Estque idem *sensus* ille *communis*, quem ICti. nostri *sensum* appellant, & pro ratione sumitur *l. 1. pr. ff. si quadr. paup. fec. dic.* ubi animal sensu carere dicitur, id est, ratione, ut *pr. Inst. eod.* Nam ut *Cic. Lib. 1. Officior.* scribit, *bellua quantum sensu movetur, ad id solum quod adest, quodque præsens est, se accommodat.* Sic *nullum sensum infantis esse*, dixit *Paulus* in *l. 32. §. infans. ff. de acquir. possess.* id est, nullum judicium. Sic furore detentum *sensum non habere* ait *Ulpian.* in *l. 22. §. si maritus. ff. sol. matr.* Et alias, *sentire non posse l. 8. §. unus. ff. de option. leg.* L.

FABULA

FABULA OCTAVA.

Lupus, & Gruis.

QUi pretium meriti ab improbis deſiderat,
Bis peccat: primum quoniam indignos adjuvat;
Impune abire, deinde quia jam non poteſt.
Os devoratum fauce cum hæreret Lupi,
Magno dolore victus cœpit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.

Lupus & Gruis] Habes hanc Fabulam apud *Æſopum, Aphthonium, Fab.* 25. *Babrium*, & *Camerarium. Rigalt.*

Gruis] Antique pro *Grus* ut infra *plebes* pro plebs, & Vulpis, pro vulpes *Fab. præc.* 10. 26. & *Lib.* 4. *Fab.* 18. Sic alicubi legi turturis, pro turtur. Sic mentis pro mens, & pedis pro pes apud veteres reperio poſitum. *Ennius* Epicharmo, citante *Priſciano: Terra corpus eſt, at mentis ignis eſt.* Nævius apud *Nonium*; *Eſt pedis unus ingens in Naſo.* Videndus *Ciphan. Ind. Lucret.* in voce, *ſanguinis. Rittersh.*

Pretium meriti] Εὐεργετήματος. Inde pro beneficium collocare, dictum alicubi memini, meritum: & niſi fallor apud *Ciceronem* eſt *meritum dare*: Quod ut ad vulgi palatum non facit, ita Latinis auribus placeblt. *Fab.* Sic *Virgil.* 1. *Æneid*:

Tum pietate gravem, ac meritis. ——

Scheffer. Eſtque τῶν μέσων. Nam & in bonam, & in malam partem accipitur.

Multa

Multa merita incidere possunt, l. 15. §. 1. ff. de manumiss. vind. Quæ princeps alicui ob merita indulsit, l. 1. ff. de Const. princ. Ob merita tua l. 67. §. patroni. ff. de bon. libert. Tam ingentia merita servi, qui necem Domini detexit l. 1. C. ex quib. caus. serv. Sic, *meritum collocare l. 11. §. proinde ff. de legat. 3. Si quis suo merito adquisierit l. 4. §. suis autem. ff. de manumiss. Hæreditates, legata, fidei commissa, donationes mortis causa, sive non mortis causa, non sine causa obveniunt, sed ob meritum aliquod accedunt, l. 9. ff. pro soc. Sanguinis ratio meritum hæreditatis accipiendæ præbuerat, l. 16. §. ult. ff. de Castrens. Pecul. Quintilian. Declamat. 329. Quo merito tuo te scripsit hæredem?* Et mox, *Quoties audivimus filium dicentem, quo meo merito patrem exhæredavit?* Item, *nullum meritum uxoris tuæ adversus divitem fuit: quasi vero meritis tantum hæreditates contingant.* Item *Declamat. 264. Merita eorum, qui contra testamentum vindicant.* Sic etiam, *Nihil ex officio patris, sed totum de meritis filii agitur, l. 22. ff. de inoffic. test. Non minus in hoc nepote is qui de inofficioso cognoturus est, merita nepotis, quam patris ejus delicta perpendet l. 3. §. si emancipatus. ff. de bon. possess. contr. tab. Si putaverit totum testamentum delendum, ob unius malum meritum l. 3. ff. de his quæ in test. del. Si ex meritis filiæ turpiter, & cum flagitiosa fœditate viventis ad id odium incitatus est. l. 19. C. de inoffic. test.* Ita *meritum delictorum Tertullian. Apologet. Cap. 21.* Aliter *merita militiæ* dicuntur, commoda præmiorum, quæ emeritis, & impletis stipendiis, veteranis dantur *l. 18. §. veteranis. ff. de jure fisci. l. 11. ff. de vacat. & excusat. muner.* L.

Bis peccat] Non video quo modo, *Phædre*, nam prius ut tibi concedam, certe posterius non possum; impune enim abire non posse, peccatum non est, sed potius infelicitas, è peccato nata, itaque fugit tetatio. *Meurs.* Sed intellige committi quod appellat *Cic. in Ep. ad Attic. stultitiæ peccatum. Plaut. in Epid. Act. 3. Sc. 4.* loquens de argento:

——— stulte datum
Reor, atque peccatum largiter. ———

Scheffer. Atque ita aliter hoc vocabulum, quam pro *maleficio* usurpatur, ut in *l. 18. ff. de injur. Peccata nocentium nota esse, & oportere, & expedire.* L.

Quoniam indignos adjuvat] Quod qui facit, vitia sceleraque illorum hactenus promovet. Quo intuitu, & *Ennius* apud *Cicer. de Offic. 2. benefacta male locata, malefacta arbitror.* Pro *malefactis* noster *peccata* dixisset. *Scheffer.*

Impune abire] Improbi pro gratia, damnum referunt. *Isocr. ad Damon. Improbi non minus eos, qui bene de ipsis merentur, quam qui eis nocent, lædunt. Virgil. 11. Æneid.*

Per Sylvas Teucri mistique impune Latini
Erravere jugis. ———

Servius ad hunc locum; *impune, hoc loco, sine periculo*, imo sine noxa, sine damno, ut in cæteris Poëtæ locis. Vult neutrum lasisse alterum, propter inducias, licet hostes essent. *Curt. Lib. 5. C. 3. Natantium manus stipitibus, saxisque laterabant, donec debilitati, impune navigiis excipi possent.* Eleganter autem hoc vocabulum usurpat noster, quia peccati illius sui hanc velut pœnam subire coguntur, qui hoc faciunt, vide *infra Fab. 21. Scheffer.* Proprie enim hic significat tuto, & citra metum pœnæ pro temeritate, aut stultitia infligendæ, absque pœna, &, ut *Horatius* loquitur, *vindice nullo.* Sic, *impune ædificare l. 1. §. 21. ff. de op. nov. nunc. Dejicere, Paul. Lib. 5. Sent. Tit. 6. Nubere l. 47. ff. de Rit. nupt. Vim pati l. 1. §. si quis. ff. de itin. actuque priv.* Ita etiam *extra territorium jus dicenti impune non pareri, l. ult. ff. de jurisd. Impune in jus vocare*, vel *vocari, l. 7. & l. 8. §. ult. ff. de in jus voc.* id est, citra offensam Edicti. L.

Jam] Lectissima iterum particula, & ex intimis recessibus Latinitatis deprompta. Vim habet singularem, quasi dixisset, statim inde in periculum hujusmodi talis incidit, nec malum effugere ulla posthac ratione potest. *Varro de Re Rust. Lib. 2. Cap. 4. Quum porci depulsi sunt à mamma, à quibusdam delici appellantur: neque jam lactantes dicuntur.* Male *Barthius* sollicitat hunc locum *Lib. 47. Advers. Cap. 10. Scheffer.*

Os deveratum] Simile quidpiam, de Crocodilo, narrat *Apul. Apolog. Bellua immanis Crocodilum illic, qui in Nilo gignitur,*

tur, ea quoque uti comperior, purgandos sibi dentes innoxio hiatu præbet: nam quod est ore amplo, sed elingui, & plerumque in aqua recluso, multæ hirundines dentibus implectuntur; eas illi, cũ egressus in præripia fluminis hiavit, una ex avibus fluvialibus amica avis, injecto rostro, sine noxæ periculo exscalpit. Vide *Herodot. Euterpe. Rigalt.*

Pretio] Præmio, ut supra: *qui pretium meriti, Terent.* in *Andr. Ego pretium ob stultitiam fero.* ideo mox noster: *cum flagitaret præmium. Scheffer.*

Malum] Os devoratum intelligit, quod eleganter sic appellat, propter incommoda, & dolores ex eo. *Scheffer.*

Tandem persuasa est, jurejurando Gruis,
Gulæque credens, colli longitudinem,
Periculosam fecit medicinam Lupo;
Pro quo cum facto flagitaret præmium,
Ingrata es, inquit, ore quæ nostro caput
Incolume abstuleris, & mercedem postulas.

Persuasa est jurejurando] Galathea Thetidi apud *Theophil. Simoc.* Πρὸς ἀπάτην ὅρκος σοφιστής ἐστιν ἀξιόχρεως. *Rigalt.* Est autem *persuadere* etiam τῶν μέσων. Nam & bonum consilium quis dando potest suadere, & malum, estque plus quam compelli, atque cogi sibi parere, *l.* 1. §. 3. *ff. de serv. corrupt.* Uti hic Gruis constanti adseveratione, & jurejurando Lupi persuasa est, & per id quasi coacta facere quod alias non fecisset: Ita ICtus. in *l.* 23. *ff. de dol. mal. Si legatarius hæredi adhuc ignoranti substantiam hæreditatis ultro jurando, vel alia fallacia persuaserit*, id est, credere compulerit, vel coëgit, quod alias non credidisset, & quidem, *jurejurando*, quasi affirmatione religiosa, per divinum numen, vel religionem aliquam interposita, ut *Cic. Lib.* 3. *de Offic.* docet. Unde *Religio jurisjurandi l. ult. ff. de liber. caus. l.* 21. *ff. de dol. mal. l.* 1. & *l.* 5. *ff. de jurej.* Sic dicta quoniam divini numinis testationem habet, *l.* 1. *ff. de jurej. l.* 2. *C. de reb. cred. l.* 8. *C. si min. se maj. l.* 77. §. *filios. ff. de legat.* 2. L.

Credens] Eleganter in respectu ad antecedens lupi jusjurandum, & rei periculum; pro *committens*; & *immittens. Virgil. Æneid.* 11.

——— *rex nostra reliquit*
Hospitia, & Turni potius se credidit armis.

Scheffer. Id est; Commisit, Sic *credere administrationem l.* 32. §. *item respondit. ff. de admin. & per. tut. Credenda est custodia*, id est, committenda, *l.* 14. *ff. de custod. & exhib. reor. Creditum munus, l.* 21. *C. ad leg. Jul. de adult. Onus l.* 45. *ff. de religios. & sumptib. funer.* L.

Colli longitudinem] Longum collum, ut infra *corvi stupor*, pro corvo stupido, *Fab.* 13. ibi congesta exempla leges, non injucunda cognitu. *Fab.*

Periculosam] Periculosa medicina, cujus erat πεῖρα σφαλερή. *Hippocr. Aphorism. Rigalt.* Ita quæstio, res fragilis & *periculosa* esse dicitur *l.* 1. §. *quæstioni. ff. de quæstionib.* L.

Fecit medicinam] Sic infra: *Fab.* 14. *Cicero* ad Terentiam: *Ita sum levatus, ut Deus mihi aliquis medicinam fecisse videatur. Lib.* 14. *Epist.* 7: Sic aliquoties & *Symmachus* noster, *Rittersh. Plaut. Cistell. Act.* 1. *Sc.* 1. *Si medicus veniat, qui huic morbo facere medicinam potest. Scheffer.*

Ore quæ nostro caput incolume abstuleris] Ita etiam Crocodilus beneficium & mercedem Trochilo se dedisse putat, cum illi permisit incolume caput referre. *Ælian.* 3. *C.* 2. Τὸ μηδὲν ἀδικεῖσα τὸν τρόχιλον, λογίζεται μισθόν. *Phile.*

Καὶ τήνγε κεφαλὴν ἀντὶ μισθοῦ λαμβάνει
Μηδὲν κακὸν παθοῦσαν ἐκ τοῦ θηρίου.

Tale latronum beneficium, iis se vitam dedisse, quibus non ademerint, *M. Tullius Rigalt.* Caput, pro vita, & salute usurpatur, quæ vulgari consuetudine loquendi posita est in capite, unde illa: *Capite suo dimicare: Defendere caput alterius:* & similia. *Scheffer.* Hinc caput in naturali significato pro præcipua parte corporis sumitur, *l.* 44. *ff. de religios.* in qua *Paulus* ICtus, *Si in diversis locis sepultum sit, illum religiosum sibi videri locum*, ait, *ubi principale conditum est, id est, caput; cujus imago sit, inde cognoscimur.* Cui bene congruit, quod *Ambros. Lib.* 5. *Hexamer. Cap.* 9. scribit. *Quid sine capite est homo, cum totus in capite sit? Cum caput videris, hominem agnoscis: si caput desit, nulla adgnitio esse potest; jacet truncus ignobilis, sine honore, sine nomine; sola ære fusæ principum capita, & ducti vultus de ære, vel de marmore ab hominibus adorantur.* L.

FABULA

FABULA NONA.

Paſſer ad Leporem, Conſiliator.

Sibi non cavere, & aliis conſilium dare,
Stultum eſſe, paucis oſtendamus verſibus.
Oppreſſum ab Aquila fletus edentem graves,
Leporem objurgabat Paſſer: ubi pernicitas
Nota, inquit, illa eſt? quid ita ceſſarunt pedes?

CONſiliator] Sic infra: *Si vero acceſſit Conſiliator maleficus. Avien. Fab. 26. Nam quamvis rectis conſtet ſententia verbis*
Suſpectum hunc rabidus conſiliator habet.
Plin. Lib. 4. Epiſt. 17. Ille in inchoandis deductor, & comes ille gerendis conſiliator, & rector. Vetus Interpres *Juven. Sat. 3. Vers. 46.* Conſiliaribus dixit, pro conſiliatoribus. Conſiliator, pro conſiliarius, βουλοφορος. *Cujac. Parat. 1. Cod. de Aſſeſſor. & Domeſt.* &c. & *ad Novell. 119. Rigalt.*

Sibi non Cavere] Cavere alicui proprie de Juris conſulto dicitur, cum amicum vel conſultorem inſtruit monitis, & conſilio, ne ſuam conditionem faciat deteriorem, ſed potius meliorem. Hinc *Cic. in Præfat. Topic.* ad Trebatium ICtum. *Cum tu mihi, meisque ſapius multa caviſſes.* Eundem tamen ſugillat in Epiſtolis: *Melius ei cavere volo, quam ipſe aliis ſolet.* Sic infra, de *Offic. In jure cavere, & conſilio juvare.* Sed de hoc, ut & de cæteris duabus ICti. muneribus, vide *Franciſci Hotomanni* libellum quem *Juriſconſultum* inſcripſit. Notum eſt autem illud *Euripi-*

deum, quo & *Cicero* utitur :

Μισῶ σοφιστὴν ὅστις ἐχ ἑαυτῷ σοφός.

Odi ſapientem qui ſibi ipſi non ſapit.

Ovidius quoque in jurisconſultum, amore captum, ita ludit :

Illo ſæpe loco capitur conſultus amore,
Quique aliis cavit, nec cavet ipſe ſibi.

Rittersh. Ita *Plaut. Captiv. Act.* 2. *Sc.* 2.

Qui cavet ne decipiatur, vix cavet,
cum etiam cavet,
Etiam cum caviſſe ratus, ſæpe is cautor captus eſt.

L.

Fletus] Omiſſa conjunctione, pro : *& fletus. Varro Myſter. Una peſtilentia, hoſtica acies, juncto temporis immanes acervos facit. Curt. Lib.* 1. *Cap.* 5. *Exntibus à parte læva Arabiæ, Odorum fertilitate, nobilis regio, campeſtre iter eſt. Scheffer.*

Vernicitas nota]*Sentit enim vim quiſque ſuam, quam poſſit abuti*, ut *Lucretius*, ait: Simile ille quod eſt apud *Virgil.* Conſcia virtus. 5. *Æneid.*

Tum pudor incendit vires, & conſcia virtus.

Et. 10.

Et furiis agitatus amor, & conſcia virtus.

Schopp.

Quid ita]Locutio Elliptica pro *ob quid ita?* hoc eſt, ob quam cauſam ita ceſſarunt. Sicut in illo *Terentii Andr. Act.* 2. *Sc.* 2. *Latus eſt neſcio quid.* ubi *Donatus : Deeſt propter, ut ſit, propter neſcio quid.* Et *Adelph. Act.* 3. *Sc.* 3. S. *atque iratum admodum.* D. *quid autem.* Ubi idem *Donatus, quid, pro, quare, vel ob quam cauſam.* Et ſic optimi Scriptores : *Cicero pro Roſcio : Accuſatis Sextum Roſcium quid ita? quia de manibus veſtris effugit. Scheffer.*

Quid ita ceſſarunt pedes?] Id eſt, pigri, & tardi facti ſunt *Fab.* Ceſſare profecto frequentius otium, ac quietem, quam pigritiem ſignificat. Sic *Servius* ad *Ecl.* 8. *Virgil.* ubi Poëta: *Si quid ceſſare potes; Si*, inquit, *breve otium tibi potes perſuadere. Scheffer.* Eſt etenim *ceſſare*, proprie moram facere, *l.* 35. *ff. de negot. geſt.* Sic *ceſſare in adminiſtratione*, *l.* 60. §. *quid ergo. ff. de rit. nupt. In bonorum poſſeſſione petenda l.* 2. §. *ſed ſi quis. ff. ad Sc. Tertyll. Circa refectionem l.* 32. *ff. de damn. inf. Ceſſante pupillo*, id eſt, moram faciente, *l.* 41. *ff. de fidejuſſ. Ceſſante patre*, id eſt, non agente, *l.* 17. §. *idem ait. ff. de injur.* Eodemque modo in *l.* 6. *ff. de ſep. viol.* accipe, *Ceſſante eo, ad quem ea res pertinet.* *Ceſſare* etiam tutor dicitur, qui tutelam non gerit, neque adminiſtrat, *l.* 1. §. 1. *l.* 17. *ff. de admin. & per. tut. l.* 4. §. 1. *ff. rem pup. ſalv. for.* Alibi, *Ceſſare adminiſtrare l.* 32. *ff. de minorib.* Alia ſignificatione dicitur *Ceſſare*, pro non adeſſe, *l.* 2. §. *ſenatus. ff. de jure fiſci.* Et ceſſare ſtipulatio, cujus effectus aliquo intervallo differtur, & intermittitur *l.* 1. §. 18. *ff. ut leg. nom. cav.* Ita *ceſſaturam*, aut *valituram* ſtipulationem opponuntur, *l.* 83. §. *ſi cui. ff. de verb. oblig.* L.

Dum loquitur, ipſum Accipiter nec opinum rapit,
Queſtuque vano clamitantem interficit.
Lepus ſemianimus, mortis in ſolatio :
Qui modo ſecurus noſtra inridebas mala,
Simili querella fata deploras tua.

Nec opinum] Vetus Gloſſ. *Nec opinanter* ἀπροσδοκήτως *Rigalt. Lucret :*

Et nec opinantes à tergo diripiebat.

Sic infra :

Concidit caſu gravi nec opinans.

Schop. Nec hoc loco *non* eſt: ut apud *Cicer. de Legib.* 3. *Senatori, qui nec aderit, aut cauſa, aut culpa eſto.* Adde Aſinium Capitonem apud *Feſtum. Inopinus* legitur apud *Ovid. Metam.* 6. *Verſ.* 465. in M. 5. teſte Nobiliſſ. *Heinſio.* Itemque *Pacatum* noſtrum C. 2. ubi plura Secundis Curis. *Scheffer.*

Semianimus] Pro *ſemianimis*, imitatione

tione *Ennii*, qui sic apud *Cicer. Lib. 1. Divin.* de Aquila:

——— unguibus anguem
Semianimum & varia graviter cervice micantem.

&c. *Scheffer.*

Mortis in solatio] Quale illud est solatium? Nempe hoc παραμυθιάν γὰρ φέρει τὸ κοινωνοὺς εἶναι τῶν συμφορῶν: ut ait, *D. Chrysostom. Homil. 10. Epist. 1. ad Tim.* & vulgo quoque sententia nota est: *Solatium esse miseris, habere calamitatum socios.* Hinc illud in consolationibus τῶν ἔξω, frequentissimum, *Non tu solus: non tu primus, neque ultimus es, cui hæc accidant.* Quæ tamen revera misera, & frigida consolatio est. *Symmach. Lib. 8. Epist. 27. Adversa quæ cum pluribus perferimus, more ingenii humani, habent aliquod de societate solatium. Quæ vero speciatim alicui casus durus adjecit, altius imprimi solent. Rittersh. Sen. Natur. Quæst. 6. Nullum est majus solatium mortis quam ipsa mortalitas.* Idem, paulo post: *Non quia fas est optare publicam cladem, sed quia ingens mortis solatium est, terram quandoque videre mortalem. Libanius Sophista,* κατὰ γυναῖκ· λαλ· εἰ παῖς ἦν μοι τεθνεὼς, ἦν ἂν ἐκ τῶν τὰ αὐτὰ πεπονθότων τέρψεσιν ὑπηχώρουν ἂν αἱ λύπαι. τὸ κακὸν δὲ τοῦτο, πρῶτον μὲν μόνῳ μοι συμβέβηκεν, καὶ οὐκ ἔνι πρὸς παράδειγμα βλέψαντι, λαβεῖν παραμύθιον τῆς ψυχῆς. *Jo. Tzetzes Hist. Chil. 10.*

Τῶν ἀνιώντων τί παθεῖν τινὰ μόνον ἢ πρῶτον
Οδύνην ἄγει περιττὴν. Τὸ δὲ σὺν ἄλλοις πρᾶον. &c.
Μετὰ τῶν ἄλλων καὶ αὐτὰς φέρε μετριωτέρως.

Vide Fabulam *Æsopi*, cui Epigraphe ἐχθροί. *Rigalt.* Nihil hic mutari velim, idem enim est ac si diceret; *dum Lupus semianimus solaretur morte*, nec mirum, cum miseris *mortem solatium*, & *vitam supplicium* esse Imperatores rescripserint, in *l. 5. §. 1. in fin. C. ad leg. Jul. Majest.* L.

FABULA DECIMA.

Lupus, & Vulpis, Judice Simio.



QUicunque turpi fraude ſemel innotuit,
Etiamſi verum dicit, amittit fidem.
Hoc atteſtatur brevis Æſopi Fabula.
Lupus arguebat Vulpem furti crimine:
Negabat illa ſe eſſe culpæ proximam.

Lupus & Vulpis &c.] Extat apud Camerarium *p.* 187. *Rigalt.*

Etiamſi verum dicit amittit fidem.] Hoc *Ariſtoteles* quoque ajebat, lucri facere mendacem, ut ne vera quidem dicenti, quiſquam credat. *Ritterſh.* Eamque pœnam mendacii eſſe, ICti. docent *l.* 11. §. 3. *ubi Bart. & DD. ff. de interrog. in jur. fac.* Unde qui ſemel fuit perjurus, perdit beneficium probandi per juramentum *Maranta. Conſ.* 53. *n.* 35. *per Cap. parvuli.* 22. *quæſt.* 5. ex generali juris ratione quod ſemel malus ſemper præſumitur malus in eodem genere mali, juxta *Cap. ſemel malus. Not. & Glos. ibid. de Reg. Jur. in* 6. *Cap. ille vos.* §. *fin. de pignor. & al. caution.* text. in *l.* 7. §. 3. & *ibi Glos. in verb. admittendum. ff. de accuſat.* L.

Crimine] Ita *Cicero in Verr. Non modo te hoc crimine argue.* Adde *Cornel. Nep. Pauſan. C.* 3. *Scheffer.* Sic *argui crimine l.* 43. §. *ult. ff. ad leg. cornel. de ſicar.* Arguere autem proprie accuſare, indicare, poſtulare, convincere, ſignificat, *l.* 197. *ff. de Verb. Sign.* Inde *argutus*, quod & acutum hominem & convictum facinoro-

rum

rum significat, ut *Priscianus Lib.* 10. interpretatur, unde joci causam arripuit *Plautus Pseudolo*: Quærenti namque *ecquid argutus est?* respondet CH. ex insperato, *malorum facinorum sæpissime. Arguto pectine* dixere *Arcadius* & *Honorius* in *l. ult. C. de vestib. olocer. Lib.* 11. post *Virgilium Lib.* 1. *Georgic.* & *Apulejum Lib.* 2. *de Asino Aureo.* L.

Culpæ proximam] Culpæ affinem, ut *Cicero* loqui solet. *Rittersh. Arnob.* 4. *Ne quis posthac hominum id quod esset turpitudini proximum loqueretur. & C.* 7. *Atqui ego contumeliæ proximum, quinimo esse plenam contumeliam judico. Apul. Apolog. Cujus magnitudo, vel minimam reprehensionem, proximam crimini aspernatur. Marius Victorinus* in *Lib.* 2. *Rhetor. Cic. Cap.* 131. *quoniam innocentem probare non possumus, ab hoc tantum facinore, quodque in judicio est, remotum esse doceamus. Rigalt. Cic. in Verr.* 1. *Sceleri propiora sunt, quam religioni. Salmasius*, hæc ita poni, ait, Græca consuetudine, in *Not. ad Tertull. Pall. p.* 277. Sed ibi sermo est de *culpæ prope esse* Vide ipsum dicto loco. *Scheffer.*

Tunc judex inter illos sedit Simius:
Uterque causam cum perorassent suam,
Dixisse fertur, Simius, sententiam:.
Tu non videris perdidisse quod petis,
Te credo surripuisse quod pulchre negas.

Inter illos] Uti apud *Cicer.* 1. *de Div. judicavit inter Deas tres. Scheffer.*

Judex inter illos sedit] Sedere proprie judicum est: ut alias pluribus docui. Nunc unicum *Lactantii* locum adduco, è *Lib* 6. *Cap.* 18. *Sedet enim maximus, & æquissimus judex, speculator, ac testis omnium. Rittersh.* Innuit autem majestatem, & quieti animi, ac perturbationibus nullis obnoxii, tranquillitatem, quod non incommode *Phrascius*, monuit. *Scheffer. Cic. pro Rabir. Post. modo vos iidem in A. Gabinium judices sedistis. Plin. Lib.* 6. *ad Roman. Sedebant judices centum & octoginta; tot enim quatuor consiliis colliguntur, ingens utrinque advocatio. Apulej. Apolog.* 1. *Quod si modo judices de causa ista sederent, C. Fabricius, Cn. Scipio, M. Curius. Senec. Controv.* 2. *Lib.* 7. *ubicunque estis judices qui in istum reum sederatis. Cyprian. Lib.* 2. *Epist.* 2. *Qui sedet crimina vindicaturus admittit, & ut reus non pereat, fit nocens judex. Sil. Ital. Lib.* 7. *de Bell. Punico:*

Nec judex sedisse valet. ——

Lucan. Lib. 9. *de Bell. Pharsal.*

—— *qui judex sederit antro.*

Ovid. Eleg. 5. *Lib.* 3. *de Ponto.*

Utque tui solitus, sedissem forsitan unus,
De centum judex in tua verba viris.

Ita etiam *sedere* dicitur Prætor; cum pro tribunali juris dicendi causa sedet, *l.* 2. §. *confestim. ff. ad ad Sc. Tertyll. l.* 7. *ff. de in int. rest. l.* 2. §. *dies. ff. quis ordo in bon. posses. serv.* Unde *dies*, quibus prætor jus dixit pro Tribunali cedens, *sessionum* appellantur, *d.* §. *dies.* & in *l.* 51. §. *satisfactionis. ff. ut in possess. legat.* L.

Causam perorassent suam] Hoc quoque *Ciceronianum* est, ut totius libelli elegantissima est. *Rittersh. Propert. Lib.* 4. *Eleg. ult. Schop.*

Dixisse] Etiam hoc proprie, ac solemniter. *Brissonium* consule. *Scheffer.*

Non videris perdidisse] Videri, vel non videri, erat formula in sententiis Judicum: de qua *Cicero in Academ.* 4. *Brisson. Lib.* 2. *Select. Antiq. Cap.* 1. & *Lib.* 5. *de Formul.* & ante hunc *Budæus* in *annotat. posteriorib. ad Pandectas.* Item *Cujac.* 3. *Observ. C.* 26. *Rittersh.*

Tu non videris, te credo] *Ulpianus ad Olynth.* 1. Τὸ ΝΟΜΙΖΩ, καὶ τὸ ΔΟΚΕΙΝ, καὶ τὰ τοιαῦτα. οὐ πάντως ἐπὶ ἀμφιβόλου τάττουσιν οἱ παλαιοὶ, ἀλλὰ πολλάκις, καὶ ἐπὶ τοῦ ἀληθεύειν οὕτως οὖν καὶ τὸ νομίζω ἐνταῦθα ἀντὶ τοῦ κρίνω καὶ ΠΙΣΤΕΥΩ. *Rigalt.*

Pulchre] Speciose, callide, scite, sic apud *Ciceronem*, alicubi in *Epistolis*: *Is pulchre asseverat.* &c. *Scheffer.*

FABULA UNDECIMA.

Asinus, & Leo Venantes.

VIrtutis expers, verbis jactans gloriam,
Ignotos fallit; notis est derisui.
Venari, Asello comite, cum vellet Leo,
Contexit illum frutice, & admonuit simul,
Ut insueta voce terreret feras;
Fugientes ipse ut exciperet. Hic auriculas
Clamore subito tollit, totis viribus,
Novoque turbat bestias miraculo:

ASinus & Leo] Similes Fabulæ apud *Æsopum*, *Avienum*, *Babrium*, & *Camerarium*, Vide Proverbium: *Asinus apud Cumanos. Rigalt.*

Virtutis expers] Virtus pro fortitudine, viribus & robore, sic infra *Fab.* 13.

Virtute & semper prævalet sapientia. Quómodo & *Theognis* ἀρετῆς verbo utitur, in versu valde similis sententiæ: κρεῖσσον τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς. Sic *Lib.* 3. *Fab.* 6.

Qui sine virtute vanas exercet minas. Id est, sine viribus. Sic *Lib.* 5. *Fab.* 2. Sic usurpat *Statius Papinus*, qua usum, ait, Capaneum, *Thebaid. Lib.* 3. in illa impia sententia:

Virtus

——— *Virtus mihi numen & enſis*
Quem teneo. ———

Rittersh. Sic *virtus bellica l.* 2. *ff. de captiv.* Et *virtus militum l.* 21. *ff. eod.* Ita etiam *virtutis cauſa certamen* dicitur, quod luctando, viribus, & fortitudine corporis habebatur *l.* 2. & 3. *ff. de aleatorib.* L.

Verbis jactans gloriam] Pro, *jactans glorioſa verba*, ut *Virgil.* 10. *Æneid. Voces jactare inanes*, dixit. *Scheffer.*

Ignotos] Monet recte *Ulitius ad Cyneg. p.* 395. *ignotos*, hic active accipi, de iis qui non noſcunt, quomodo & in aliis eſt factum. Et profecto ipſe noſter *conſpiratus* ita poſuit. *Scheffer.* Ita *ignotus juris ſui*, eſt ignarus, ſeu qui jus ſuum ignotum habet *l.* 2. §. *ult. ff. de jure fiſci.* L.

Contexit] Occuluit, ut non poſſet conſpici, *Virgil.* 12. *Æneid.*

——— *caput glauco contexit amictu.*

Scheffer.

Exciperet] Verbum proprium venatorum, *Virgil. Ecl.* 3.

Non ego te vidi Damonis, peſſime, capram
Excipere inſidiis, multum latrante Lyciſca!

Servius hoc loco. *Excipere, dolo capere*, ut, *excipit incautum inſidiis.* Intelligitur hinc quam poſuerit accommodate. *Scheffer.*

Hic] Eleganter. vide quæ mox ſcribo *Fab.* 15. *Verſ.* 5. *Scheffer.*

Novoque turbat] *Avien:*

Mitibus ille feris communia pabula calcans,

Turbabat placidos per ſua rura boves.

Rigalt. Exterret, ita ſæpe *Virgilius.* Unde &, *turbidus*, apud eum pro *terribili*, ut *Servius* interpretatur. *Tacit.* 12. *Annal. Cap.* 16. *Duæque altius turres, facibus atque haſtis turbabant obſeſſos. Scheffer.* Alias *turbare* eſt confundere, & dolorem ſignificat *Juvenal. Sat.* 6. *Verſ.* 8.

— *haud ſimilis tibi Cinthia, nec tibi cujus,*
Turbavit nitidos extinctus paſſer ocellos.

L.

Beſtias] Sic proprie dicuntur quæ naturæ feræ ſunt, *l.* 1. §. *in beſtiis ff. Si quadr. paup. fec. dic.* veluti Urſi, Leones Panthetæ, *l.* 2. *ff. ad leg. Aquil. Ulpian. ad Edict. Prætoris de poſtulando*; *beſtias*, inquit, *accipere debemus: ex feritate magis, quam ex animalis genere l.* 1. §. *beſtias. ff. de poſtul.* L.

Novo miraculo] *Avien:*

Ne detracta gravem faciant miracula riſum.

Miraculum erat reliquis feris aſinus, quia velatus alieno & incongruo tegmine: ideoque illis ignotus. Mirari veteres dicebant neſcire. Ignorantia enim admirationis mater. *Donat. in Andr. Act.* 5. *Sc.* 4. *Carſilii*: ἐπηρώτησεν τι μεγαλοδύναμον δοκεῖ εἶναι τῶν θηρίων, ὁ δὲ εἶπεν, ὁ κάπος ἐπίστασθαι. *Rigalt.*

Quæ dum paventes, exitus novos petunt,
Leonis adficiuntur horrendo impetu.
Qui poſtquam cæde feſſus eſt, Aſinum evocat,
Jubetque vocem premere: tunc ille inſolens,
Qualis tibi videtur opera hæc vocis meæ?
Inſignis, inquit, ſic, ut niſi noſſem tuum
Animum, genuſque, ſimili fuiſſem in metu.

Exitus] Vias elabendi. Sic & *Cicero* uſurpavit. *Cornel. Nep. Vita Hannib. Cap.* 12. *Cum omnes exitus occupatos oſtendiſſet.* Velut de fera loquitur, quod nonnullum. *Scheffer.*

Adficiuntur] Hic ſumitur, pro calamitatibus affliguntur, alias tam in bonam, quam in malam partem uſurpatur, *Cic.*

pro Mil. Milo Populum Romanum maxima lætitia affecit. Idem *ad Attic. Studium tuum curaque de ſalute mea, nulla me voluptate affecit.* Sic: *Adficere lucris*, &c: *Adficere bonis nunciis. Plaut.* in *Prol. Amphitr.*

Præda atque agro, adoreaque adfecit populares ſuos.

Sic contra, *Adficere contumeliis, l. 1. ff. de obſeq. parent. & patr. præſt. l. 8. §. hoſtes. ff. de pœn. Injuria, l. 10. §. præter ait. ff. de in jus voc. Summo*, ſeu *ultimo ſupplicio l. 1. §. ult. ff. ad leg. Corn. de falſ. l. 28, §. in exulibus. ff. de pœn. Paul. Lib. 2. Sent. Tit. 25. & Lib. 5. Tit. 3. 4. & 12.* L.

Evocat] Proprie, ex latebris ſcilicet, & frutice ſub quo tectus, & reconditus erat. *Scheffer.*

Premere] Comprimere, id eſt, tacere. quomodo apud *Virgil. 9. Æneid.* de Mneſteo:

Sic memorat, vocemque premi. ——

Pulchre autem, ac convenienter Leo ita, tanquam ſuperior, & pro auctoritate ſua, & imperio. Nam *premit*, qui hoc facit quoquo modo coactus, *Scheffer.*

Opera] Pro labore, & auxilio, quomodo *Cornel. Nep. de Alcibiade Cap. 4. Ejuſdem opera Ioniana ſocietate averterunt Athenienſium. Scheffer.* Atque ita paſſim pro officio, & miniſterio ſumitur. *Nihil amplius quam operam ſuam accommodare l. 3. ff. de obſeq. parent. & patr. præſt. Cum ſuo nomine nacti fuerint poſſeſſionem, non cum ea mente, ut operam ſuam duntaxat accommodarent nobis l. 1. §. per procuratorem. ff. de acquir. vel amitt. poſſeſſ. Vel in cogendis fructibus inſumpſit operam l. 44. §. ult. ff. ad Sc. Trebell.* & ibidem, *nulla opera intercedit.* Sic *argentaris opera virilis l. 12. ff. de edendo.* id eſt, miniſterium. Hinc *operula* quaſi miniſterium minori negotio præſtitum. *l. ult. ff. De Proxenetic.* L.

Niſi noſſim tuum animum] *Avien:*

Forſitan ignotos, imitato murmure fallas:

Aſt mihi, qui quondam, ſemper aſellus eris.

Rigalt.

Genuſque] Sic hic uſurpat, ut *Virgil. Georg. 2. Genus acre virum*, de Marſis, Sabelliſque, ubi pariter qualitatem notat, *Scheffer.* Sic *genera ferarum l. 62. ff. de uſufr.* L.

FABULA

FABULA DUODECIMA.

Cervus ad Fontem.



Laudati utiliora quæ contempſeris
Sæpe inveniri, hæc exerit narratio.
Ad Fontem Cervus, cum bibiſſet, reſtitit,
Et in liquore vidit effigiem ſuam,
Ibi dum ramoſa, mirans, laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat,

CErvus ad fontem] *Aphthon: Fab. 18. Babrius, περὶ δορκάδος τὴν τῶν ποδῶν λεπτότητα μεμφομένης. Rigalt.*

Inveniri] Eleganter, ad inopinatum eventum. Quomodo Germani mei: **ich befinde dis anders.** Et Galli: *Ie trouve cela bien autrement.* Sic *Terent. Eun. Act. 5. Sc. 8. Scis, Pamphilam meam inventam civem? Donatus* hic, *inventam, cognitam. Scheffer.*

Exerit] Prodit, aperit, notum facit. Sic *Ovid. ad Piſon. Tu Piſo latitutem exere.* Et apud *Sen. in Herc. Oeth.* mentis ſecreta exerere, invenias. *Scheffer.*

Reſtitit] Eſt ſtetit: *Virgil. Æneid. 1.*

Reſtitit Æneas, claraq; in luce refulſit.

Curt. Lib. 5. Cap. 2. Donec ut conſiderem annueres, reſtiti. Adde *Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 3. Scheffer.*

Et in liquore vidit &c.] Ipſe ſupra: to. *Lympharum in ſpeculo vidit ſimulachrum ſuum. Rigalt.*

Ramoſa

Ramosa cornua] Ex *Virgilio* expressum: *Cornibus arboreis*; inde est quod Cervorum cornua vulgo vocamus, *le bois du Cerf. Fab.* Ramos tamen dici eos cornuum aculeos, vulgare est. *Plin. Lib. 8. Cap. 38. Indicia ætatis in illis* (cornibus) *gerunt, singulis annis adjicientibus ramos. Scheffer.*

Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere cœpit, & cursu levi
Canes elusit. Silva tum excepit ferum,
In qua retentis impeditus cornibus,
Lacerari cœpit morsibus sævis canum.
Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem qui nunc demum intelligo,
Ut illa mihi profuerint, quæ despexeram,
Et quæ laudâram, quantum luctus habuerint.

Venantum] Pro *venatorum. Lucret. Lib. 4.*

Venantumque canes, in molli sæpe quiete
Jactant crura tamen subito. ——

Schop. Ut apud *Virgilium, natantum, precantum, recusantum*, atque plura alia. *Scheffer.*

Vocibus] Consueto clamore, quo hortantur canes. Vide *Ovid. Metam. 3. Vers.* 241. & ibi. *Heins. Scheffer.*

Cursu levi] Facili, celeri; mallem tamen *levis*: nam sic *Virgil. Lib. 12.* de Mesappo: *levis cursu* &c. Et solet proprie de Cervis usurpari. Idem *Ecl. 1.*

Ante leves ergo pascentur in æthere Cervi.

Scheffer.

Elusit] Elegantissime, de illis flexibus circuitibusque implicitis, & in se redeuntibus, quales faciunt in fuga, & sic insequentes canes fallunt. *Virgil.* eodem modo *Lib. 12. Æneid.* quem respexit:

Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
Eludit gyro interior, sequiturque sequentem.

Scheffer. Estque enim proprie, *eludere*, irritum quidpiam, ut conatus adversarii, facere. Sic *eludere actionem, l. 10. §. præterea. ff. quæ in fraud. credit. Eludere definitiones judicum, l. 4. C. de recept. arbitr. Eludere inofficiosi querelam l. 1. C. de inoffic. donat. Eludendæ pœnæ causa, l. 6. ff. de pœn.* Atque ita *eludi actor* dicitur, *l. 26. ff. de noxal. Act.* Et *accusatio l. 11. §. quæ propter. ff. ad leg. Jul. de adult.* L.

Ferum] Ferus, pro fera, aliquoties à *Phædro* usurpatur substantivè: hic & infra *Lib. 2. Fab. 8.* de Cervo. Mox *Fab. 21.* & *Lib. 2. Fab. 1.* de Leone: & *Lib. 4. Fab. 4.* de Apro. At *Virgilius* de Equo utitur *2. Æneid.* Quanquam idem & de Cervo. *Rittersh.* Non temere prætereunda vox est: Ita enim dicitur *ferus* ἁπλῶς, ut *fera.* Sic apud *Virgilium* pro Equo:

In latus inque feri curvam compagibus alvum.

Ita apud *Catullum* in Galliambo *ferus*, sumitur: iterum pro Cervo apud *Virgil.*

Pectebatque ferum ——

Ita apud nostrum hunc:

—— *tum gaudens ferus*
Bobus quietis agere cœpit gratias.

Fab.

Luctus] Consequens, ut ajunt, pro antecedente: Nam malum, detrimentum, & ex eo luctum intelligit: *Scheffer.*

FABULA

FABULA DECIMA TERTIA.

Vulpis, & Corvus.

QUi se laudari gaudet verbis subdolis,
Fere dat pœnas turpi pœnitentia.
Cum de fenestra Corvus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore:
Hunc vidit Vulpes: dehinc sic occœpit loqui:
O qui tuarum, Corve, pennarum est nitor!
Quantum decoris corpore, & vultu geris!
Si vocem haberes, nulla prior ales foret.

V*Ulpis & Corvus*] Extat apud *Babrium*, & *Aphthonium*. *Fab.29. Rigalt.*

Laudari verbis subdolis] Vetus Glossarium, εἰρωνία, *blanditiæ. Rigalt. Subdolis*, dolo formatis, & compositis ad voluntatem audientis. Ita *Plaut. in Capt. Act.3. Sc.3. Subdola mendacia* usurpat. Et in *Trinum. Act.2. Sc.1.* de amore: *Eos cupit, eos consectatur, subdole blanditur. Scheffer.*

De fenestra] Latinissime. Testamentum Vetus *Parcelli*: *Adfer mihi de culina cultrum. Ennius* apud *Nonium* in *prognaviter. Animam de corpore mitto.* Sic *fugere de civitate, Fabius* usurpavit. *Ulpian. l. 7. ff. de furt. Furtum facere de domo. Scheffer.*

Et pro

Et pro *ex* ponitur, ita, *de fundo*, pro, ex fundo *l.* 6. §. 1. *ff. commun. divid. de prædiis*, pro ex prædiis, *l.* 8. §. 1. *ff. de transactionib.* L.

Residens] Ut supra *Fab.* 12. *restitit. Virgil.* 5. *Æneid.*

——— siccaque in rupe resedit.

Scheffer.

Qui] Qualis, quam magnus atque admirabilis: nam intendit sensum. *Cic. de Divin.* 1. *Xenophon Socraticus, qui vir, & quantus. Scheffer.*

Nitor] Splendorem intelligit, quamvis paulo minus sit nitor, cum hic quasi radios emittat, nitor minime. Id quod volebat *Plin.* Quando *Lib.* 37. *Cap.* 2. de vasis Myrrhinis: *Splendor his sine viribus, nitorque verius, quam splendor.* Vires enim eas intelligit, quæ velut fulguris, aut radiorum Solis, oculos percellunt. *Scheffer.*

Geris] Ex Germana, & genuina Latinitate *gerere* pro *habere*, & ita habere, ut tu præferas, & alii id respiciant, ac observent. *Virgil.* 12. *Æneid.*

Cuncta gerens, vocemque, & corpus, & arma Metisci.

Atque ita usurpatur 1. *Æneid.*

Virginis os, habitumque gerens, & virginis arma.

Ita *Terentius: infirmum animum gerunt.* Ita *Sallustius*, & optimi quique. *Curt. Lib.* 3. *Cap.* 3. *Eminebant duo aurea simulacra cubitalia, quorum alterum Nini, alterum Beli gerebat effigiem. Fab. Scheffer.* Hoc enim significatu gravitatem, & majestatem cum honore denotat; sic *Gerere honores l.* 11. *C. de liber. caus.* & *Gerere Duumviratum* dicitur *l.* 1. *ff. de alb. Scrib. l.* 17. *de Episc. & Cler. C. Theod. Gerere Magistratum, l.* 1. §. *orige. ff. de postul. l.* 9. *ff. de his qui sui. vel al. sunt jur. l.* 2. *ff. de reg. jur. l.* 15. *ff. ad leg. Jul. de adult. l.* 7. *ff. de admin. tut. Gerere potestatem, l.* 1. *ff. de offic. Præf. Præt. Gerere Præfecturam, l.* 41. *ff. de excus. tut. Gerere Provincias l.* 2. §. *eodem jure. ff. de Orig. jur.* id est, regere. L.

Nulla prior ales] Usitatius est Poëtis *ales* genere masculino: aliquando tamen & fœminino reperitur. *Rittersh.* Prior idem est quod melior, Græcorum imitatione, quod & *Horatius* suo scilicet more, & modo Græcissans imitatus est, atque hoc jam proletarium est. *Schop. Virgil.* 11. *Æneid.*

Hic pietate prior. ———

Adde *Servium* ibidem. *Scheffer.*

At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum: quem celeriter
Dolosa vulpes avidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit, Corvi deceptus stupor.
Hac re probatur, quantum ingenium valet:
Virtute & semper prævalet sapientia.

Emisit] Sic supra *Fab.* 4. *Ore demisit cibum.* Sic enim ibi legi oportere, dixi tum, & vel locus hic confirmat. *Scheffer.*

Demum] Eleganter notat judicii tarditatem. *Terent. Heaut.* 2. *Sc.* 3. *Vah, nunc demum intelligo.* Adde *Andr.* 5. *Sc.* 3. ibique *Donatum. Scheffer.*

Dolosa Vulpes] Ita *Dolosæ artes* dicuntur *l.* 6. *C. Sol. matr. dolose facere l.* 3. *ff. & mens. fals. mod. l.* 9. §. *si quis rem. ff. ad exhib. l.* 2. §. *generaliter. ff. de dol. except.* Et *Dolose* quis *versari l.* 3. §. *unde Celsus. ff. de minor. l.* 25. §. *de eo. ff. de hæred. petit.* Quasi admodum callide, & fraudulenter. L.

Corvi deceptus stupor] Id est, Corvus stupidus. Sic *error Herculis*, id est, Hercules errans, ut dixi in Verisimilibus. Sic *Virgilius* in Prolusionibus *Nostinum* vocat *stuporem*, id est, hominem stupidum, & *Catullus* similiter:

Talis iste, meus stupor, nil videt, nil audit.

De quo infra sub finem. *Schop.* Aliquot exemplâ

exempla ad *Oppianũ* Vir Doctissimus *Conradus Rittershusius* congessit, hæc autem erit mea Symbola. Apud *Martialem*; *Doctorum corda virorum*, id est, docti viri. Apud *Euripidem* ἐμὸν δέμας, pro *te*, apud *Eundem* in *Hecuba*. Ita ὦ μητρὸς ἐμᾶς σέβας pro ὦ μήτηρ σεβασμία; ita Μέμνονος βία, pro Memnone ipso, apud *Pindarum*: & alibi Αἰάκου παίδων τ' ὀργαί (quo loco, ὀργὴ indoles est) pro, *Æacus*, & *Filij*. His addas lepidum illud *Ennij*:

Olli respondit suavis sonus Egeriai.

Id est, ei suavi loquens Egeria respondit. Ita *Meum cor*, pro, *ego* apud eundem *p.* 27. Collectionis *Scriverianæ*; ita denique apud *Persium*: *Cor Ennij*, pro *Ennio* ipso. *Fab.* Dictum est supra *Fab.* 7. Adde quoque *Barthium Lib.* 52. *Advers.* 3. *Stupor*, refertur ad animum, & usurpatur de eo, qui & illa non intelligit, quæ ab omnibus intelliguntur; *Anæsthasian* Græci vocant, de qua vide *Theophrasti* Characteres, & ibi *Casaubonum*. *Scheffer.*

Quantum ingenium valet] Sic Avienus *Fab.* 2. Vulpi consilium tribuit:

Vade, ait, & pictæ nimium confide juventæ,
Dum mihi consilium pulchrius esse queat.

Rigalt. De præstantia ingenij, multa notavi olim ad *Oppianum* quæ huc conferri possunt. *Rittersh.* Tò M. non eliditur hic ante vocalem. Exempla similia sunt apud *Lucretium*, & *Q. Serenium Sammonicum*. *Rittersh.* Vide quæ ad *Fab.* 4. dicta fuerunt. *Fab.*

Virtute] Sententia hæc, manifeste translata est, ex hisce Ennianis versibus:

——— *Melius est virtute jus;*
Nam sæpe virtutem nanciscuntur mali;
Jus atque æquum se à malis spernit procul.

Rittersh. Hoc loco *virtus* vis est, ῥώμη. Videlicet primis Urbis temporibus τὸ Virtus, aut ἀνδρείαν significabat, aut robur. Inde illud *Ennij*, *melius est virtute jus*: idque adeo verum est, ut à *Plutarcho* quoque, primulo statim Coriolani initio, sit observatum. Verba prudentissimi scriptoris sunt: Ὅλως μέντοι ἐν τοῖς τότε χρόνοις ἡ Ῥώμη μάλιστα τῆς ἀρετῆς τὸ περὶ τὰς πολεμικὰς καὶ στρατιωτικὰς ἐκύδαινε πράξεις. καὶ ἐμαρτυρεῖτο τὴν ἀρετὴν ὑπ' αὐτῶν ἐνὶ τῷ, τῆς Ἀνδρείας (virtutis) ὀνόματι προσαγορεύεσθαι, καὶ τοῦτο τοῦ γένους ὄνομα κοινὸν ὑπάρχειν, ᾧ τὴν ἀνδρείαν ἰδίᾳ καλοῦσι. Hæc *Plutarchus*. *Fab.* Virtus enim à viro dicta teste *Cicer.* 2. *Tusc. Quæst.* quoniam fortitudo, vis, & robur corporis, viro magis propria sunt, Græci ἀρετὴν dicunt, nonnunquam etiam δύναμιν & ἰσχὺν, unde cum virum dicimus, non tam sexum significamus, quam robustum, & fortem: viro enim propria est virilitas, & robur: *Virgil.* 5. *Æneid.*

Tunc pudor incendit vires, & conscia virtus.

Sæpius etiam hæc vocabula *vis*, & *virtus* distinguuntur, ut *vis* nihil aliud quam robur corporis, *virtus*, cum animi fortitudine conjunctum significet, *Vellej. Paterc. In Cassio, major vis, in Bruto virtus.* L.

FABULA

FABULA DECIMA QUARTA.

Ex Sutore Medicus.

MAlus cum Sutor, inopia deperditus,
Medicinam ignoto facere cœpiſſet loco,
Et venditaret falſo antidotum nomine,
Verboſis acquiſivit ſibi famam ſtrophis.

Malus Sutor] Ex malo Sutore, malus Medicus, & Chironica arte inſtitutus: ὁ Χείρων, ἀλλὰ χείρων, Vetus Gloſs. Peſſimus, κάκιστος, χείριστος, ἥκιστος, χείρων. Notavi ad *Onoſand.* p. 2. *Rigalt.* Malus, id eſt, artis ſuæ imperitus, ſic *Portam malum*, Dixit, *Cicero* in *Natura Deor. Scheffer.*

Inopia deperditus] Omiſſa Conjunctione, ſicut ſupra *Fab.* 1. ubi vide. *Deperditus*, de eo, cujus facultates omnes ſic exhauſit, ut jam ſutor eſſe diutius non poſſet, plane ſicut Germanicè verdorben. *Scheffer.* Vocabuli hujus ſignificationem accipe ex *l.* 20. §. *ult. ff. de hæred. ptiit.* ubi *deperditæ* res vel deminutæ dicuntur. *Deperditum* autem in hæreditatis petitione intelligitur, quod in rerum natura eſſe deſiit *l.* 21. *ff. de hæred. petit.* Et ita *deperdita*, & *deminuta* intellige in *l.* 7. §. *non tantum. ff. de hæred. vel act. vend. In deperdito eſſe l.* 21. *ff. de acquir. poſſes. Deperdita nomina*, *l.* 16. *ff. de adm. & per. tut. Non deperditi*, *& nimium ſecuri hominis ignorantiæ* alia ſignificatione dicitur in *l.* 3. *ff. de jur. & fact. ignor. L.*

Ignoto] Peregrino, ubi nemo eum noverat, active. Vide quæ notavi *ſup. Fab.* 11. *Scheffer.*

Facere] Aliter hic uſurpat quam *Fab.* 8.

Hic

Hic enim *facere medicinam*, est artem eam exercere; quod miror *Rittershusium*, præteriisse, hosque locos pro iisdem habuisse, *Plautus* istac ratione dixit, *facere artem ludicram* in *Aulul. Act.* 4. *Sc.* 3. *Cicero* in *Verrin. facere argentariam*, item, *facere mercaturam*. Supra non dicebat, *fecit medicinam* absolute, verum *fecit medicinam illi*, contra, quam hic loquitur. *Scheffer.* Facere enim verbum πολύσημον aliquando, ut hic, exercere significat. Sic *Facere argentariam l.* 4. §. 1. *ff. de edend. Cic.* 7. *in Verr.* & *pro Cæcina*, & *auctor Lib. de Vir. illustr. Cap.* 72. *Artem*, *l.* 37. *ff. de oper. libert. l.* 4. *ff. de pæn. l.* 42. & *l.* 44. *ff. de rit. nupt.* Et apud *Ulpian. Tit.* 12. *regular. Medicinam l.* 26. *ff. de oper. libert.* Sic & *Factitare medicinam* dixit *Quintilian. Lib.* 5. *Cap.* 2. L.

Falso antidotum nomine] Pro, *falsi nominis antidotum*, id est, quod falso habebat hoc nomen; an potius sub falso illo nomine, quomodo *Juvenalis*, ait, *falso nomine poscere Sat.* 1. *Antidotum* medicamentum est, quod contra venena datur. *Cornel. Celsus* Medicus Latinissimus, & qui sub Augusto vixit, *Lib.* 4. *Antidota raro, sed præcipue interdum necessaria sunt.* Adde cætera. Nam inde discas proprie esse artis nomen, quo propterea & *Plinius* deinde, & *Quintilianus* usi sunt. *Scheffer.*

Verbosis acquisivit sibi famam strophis] Ut solet illud agyrtarum, & circumforaneorum genus, non solum famam, sed & rem facere.

Aures verbis divitant
Alienas, suas ut auro locupletent domos.

Ut *Accius* vetus Poëta de auguribus fecit, quibus nihil se credere ait: Vetsus refert *Nonius in Divit.* Et alius Poëta *Pacuvius*, hoc genus hominum censet magis audiendum quam auscultandum, id est, quam eis obsequamur: Versus ejus sunt apud *Cic. in fin. Lib.* 1. *de Divinat.* Quorum in primo legendum puto, *nam istos*: ubi vulgo, *nam istis*. Istos audiendum, Græcismus est elegans: ἀκροατέον αὐτοὺς. Exempla similia ex *Plauto*, *Lucretio*, *Symmacho*, jam ab aliis præsertim *Schoppio* nostro *Verisimil. Lib.* 3. *Cap.* 3. Sunt observata, quæ non compilabo: sed iis & hoc addendum dico. *Rittersh.* Vetus Glos. Συνεστραμμένη ὁμιλία. *Tortiloquium*, *Martial.* 3. *Epist.* 7.

Nihil stropharum est: jam salarium dandum est.

Lib. 10. *Ep.* 8.

——— *Jam stropha talis abit.*

Vetus Gloss. M. 5. Στροφὰς, ἀντιλογίας, Διαστροφὰς. *Hippocrates* Νόμῳ ταῦτα ὧν χρὴ εἰς τὴν ἰητρικὴν τέχνην ἐνεγκαμένους, καὶ ἀτρεκέως αὐτέης γνῶσιν λαβόντας, οὕτως ἀνὰ τὰς πόλιας φοιτεῦτας μὴ λόγῳ μοῦνον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητροὺς νομίζεσθαι, ἡ δὲ ἀπειρίη, κακὸς θησαυρὸς, καὶ κακὸν κειμήλιον τοῖσιν ἔχουσιν αὐτέην, καὶ ὄναρ καὶ ὕπαρ. Eundem etiam vide, περὶ τέχνης. *Rigalt.* Verbosis strophis, propriè, nam ut monet doctissimus Schol. *Aristophanis*, στροφαὶ λέγονται καὶ οἱ συμπεπλεγμένοι, καὶ δολεροὶ λόγοι. Aliquando latius patet, ut apud *Platonem* in tertio πολιτείων p. 440. Editionis Læmarianæ. Δεινὸς ὢν περὶ τὸ ἀδικεῖν, καὶ ἱκανὸς πάσας στροφὰς στρέφεσθαι. *Fab. Cicero*, *laqueos verborum* appellavit, in *Cæcinna*, & sunt *strophæ* proprie laquei, decipiendis, & captandis feris. *Scheffer.*

Hic cum jaceret morbo confectus gravi,
Rex Urbis, ejus experiundi gratia,
Scyphum poposcit: fusa dein simulans aqua,
Antidoto miscere illius se toxicum,
Hoc bibere jussit ipsum, posito præmio.
Timore mortis, ille tum confessus est,

Non artis ulla, medicum se prudentia,
Verum stupore vulgi factum nobilem.

Hic] Elegantissime pro *nunc, eo tempore*, ita *Lib. 2. Fab. 8. Hic bos lateni. Curt. Lib. 4. Cap. 4. Hic Rex fatigatus statuit Ægyptum petere. Cicero in Verr. 5. Hic illi stentes rogare, atque orare cœperunt.* Particula ex media latinitate deprompta. *Scheffer.* Celeritatem Regis præsentiæ denotat, quasi statim, eo ipso tempore, & momento Rex Medico, aut Medicus Regi ægrotanti adesset. *Hic* enim eleganter sumitur pro eo, qui coram est, & ostenditur, aut digito monstratur *l. 58. ff. de haredib. instit.* L.

Faceret] Decumberet; bene de ægrotantibus, *Cic. 9. Epist. 20. Ego, te jacente, bona tua comedam. Scheffer.*

Confectus] Proprie, de eo, cujus vires omnes sunt consumptæ, & exhaustæ, vi morbi. Ita *Cicero* passim. *Scheffer.*

Rex Urbis ejus] Rex, hic qui summam tenet Reipublicæ. Atque sic antiquitus appellabantur singularum quoque urbium moderatores. *Urbis ejus*; scilicet in qua exercebat medicinam. Quamquam ego mallem hoc pronomen jungere cum sequenti vocabulo *experiendi*, ut sit similis locutio isti *Plinianæ*; *illorum videndi gratia*: nam το experiri, absolute ita poni vix existimo. *Scheffer.*

Ejus experiendi] Experimur eos, qui suam nobis operam locant, mercenarios, inquam, cum eorum opera utimur. *Plaut. Mercat.*

Co. *Vin' me experiri?* Ly. *Volo.* Co. *mercedem cedo.* Nec satis decore sibi consuluit *Lambinus*, dum ibi *experiri*, interpretatur, jure & judicio tecum contendere, quin cocus conductus, ait, se paratum esse operam suam præstare: quam si uti & experiri nolit, debere eum tamen mercedem dare. *Schop.* At *experiri* hic est *explorare, tentare*: Hoc enim noster vult, accersuisse medicum hunc novum, & adhibuisse commentum, de quo sequitur, ut per id cognosceret, artem, atque fidem ejus. Nempe sic in usu fuit apud veteres, cum de medicina esset dubium. Elegans est exemplum apud *Apulejum Lib. 10. Asini.* In sceleratissima fraudulentissimaque muliere. *Non prius*, inquit, *Medicorum optime, non prius charissimo mihi marito trades istam potionem, quam de eo bonam partem hauseris ipse, unde enim scio an noxium in ea lateat venenum? Scheffer.* Estque vulgaris hujus vocabuli *experiri* significatio, ut pro, tentare, & periculum facere usurpetur, sic *experiri* arbiter dicitur an consilio, suo vel auctoritate litem discuti paterentur *l. 13. §. 2. ff. de recept. arb.* Ita alibi: *si mulas tibi dedero, ut experiaris l. 20. §. 1. ff. de præscr. verb. Boves dare experiundos l. 52. §. quidam. ff. ad leg. Aquil. Equos venales experiundos dare d. l. 20. ff. de præscr. verb. Experiundum* quid dare, & accipere *l. 13. §. ff. commod.* L.

Posito] Pro, *propositæ*, imitatione *Virgilij Lib. 3. Æneid.*

Invitat precijs animos, & præmia ponit.

Scheffer. De hoc verbo *ponere*, & variis ejus significationibus vide quæ scripsi infra, *Lib. 2. Fab. 5. Vers. 9.* L.

Timore mortis] Imminentis ex hausto poculi toxatici, sicut credebat, quod scribo, ne quis erret, ac de timore à Rege accipiat. *Scheffer.*

Prudentia] Scientia, peritia, sic *prudentiam literarum* dixit *Cicero*, & *prudentiam operum*, *Ovidius.* Pari sensu apud *Columellam Lib. 2. Cap. 2. Prudens agricolationis* legitur. *Scheffer.* Hinc *jurisprudentia* pro notitia, scientia, & cognitione juris §. 1. *Inst. de just. & jur.* Et *Jurisconsulti* simpliciter *prudentes* dicuntur *l. 4. C. de testam. mil. l. 4. C. de collationib. l. 2. §. 5. ff. de Orig. jur. l. 36. ff. de statu liber.* Qui & *jurisprudentes* dicuntur *l. 1. C. de ingen. man l. 2. in fin. ff. quis ord. in bon. possess. serv.* Aliter *prudens* in genere pro *sapiente* sumitur, sic *prudentes viri l. 6. C. de testam. mil. l. 12. C. ad Sc. Vellej. l. 6. § viris. ff. ad municipal. Horat. Carm. Lib. 3. Ode 29.*

Prudens futuri temporis exitum
Caliginosa nocte premit Deus,
Ridetque si mortalis ultra,
Fas trepidat. ——— L.

Nobilem]

Nobilem] Refertur ad claritatem famæ. Nam præcedit; *acquisivit sibi famam, Curtius: Erat inter nobiles Medicos secutus Philippus. Scheffer.*

Rex advocata concione hæc addidit:
Quantæ putatis esse vos dementiæ,
Qui capita vestra non dubitatis credere,
Cui calceandos nemo commiserit pedes?
Hoc pertinere vere ad illos dixerim
Quorum stultitiæ quæstus impudentia est.

Capita] Vide supra *Fab.* 8. Elegantissime hic autem usurpatur propter sequens *pedes*, augetque dicti acrimoniam ex oppositione. *Scheffer.* De capite tanquam corporis parte principali, cui hic opponuntur pedes, vide quæ scripsi supra, *dict. Fab.* 8. *Vers. penult.* L.

Calceandos] Calceis instruendos, muniendos, probum verbum. Nam & *Plautus*, quamvis per jocum, *dentes calceatos* dixit, *in Capt.* & *calceare soccis* usurpat *Plinius* ex *Varrone Lib.* 36. *Cap.* 5. *Scheffer.*

Commiserit] Eleganter: nam præcedit credere; & pro eodem sumitur, dixi supra *Fab.* 8. *Vers.* 8. L.

Impudentia] Scripserim, *imprudentia*, propter verba præcedentia: *non artis ullæ medicum se prudentia* &c. Cui nunc opponitur *imprudentia*, quæ quamvis *imperitiam* significat, ut *Imprudentia Assessoris l.* 2. *ff. quod quisque jur. Judicis, l.* 51. *ff. de evict. l.* 5. §. *si judex. ff. de oblig. & act. l. ult. ff. de extraord. cognit.* §. *ult. Inst. de oblig. quæ ex quasi del.* Vide Libellum nostrum variarum lectionum huic operi adjunctum. L.

FABULA DECIMA QUINTA.

Aſinus ad Senem Paſtorem.



IN principatu commutando ſæpius,
Nil præter domini mores mutant pauperes,
Id eſſe verum parva hæc Fabella indicat.
Aſellum in prato timidus paſcebat ſenex:
Is hoſtium clamore ſubito territus,
Suadebat aſino fugere, ne poſſent capi.

Aſinus ad ſenem Paſtorem] Eodem fere modo fabulatur *Camerarius* de Aſino, & Vitulo *p.* 232. *Rigalt.*

Principatu] Generatim ſic appellat imperium quodvis. *Scheffer.*

In principatu commutando] Elegans in hanc Fabulam exemplum Politicum vide apud *Tacit.* 1. *Annal. in Princ.* ubi dicit, Auguſtum, licet mutato imperio, eadem Magiſtratuum vocabula retinuiſſe. *Idem* paulo poſt: *Ne dimiſiſſe quidem finem eſſe militiæ, ſed apud vexillum retentos, alio vocabulo, eoſdem labores perferre.* L.

Pauperes] Intelligit eos, qui quacunque ex cauſa ſubeſſe aliis coguntur, nullo ſpeciali reſpectu ad inopiam nummorum. *Scheffer.*

Fugere] Pro *fugam* Græca conſuetudine. Niſi quis exiſtimet ſcripſiſſe noſtrum, *fugeret. Scheffer.*

Ne poſſent capi] Id eſt, ne caperentur, ſic *infra Fab.* 23. *An cibo poſſit capi.* Plane ut

ut Afranius apud *Nonium*. *Ni poſſent homines delinimentis capi*: pro ni caperentur. Vide *Schoppij* noſtri *Verisimil. Lib.* 2. *Cap.* 20. & *Gul. Cauter. Lib.* 2. *Nov. Lect. cap. Rittersh.*

At ille lentus, quæſo, num binas mihi
Clitellas impoſiturum victorem putas?
Senex negavit: ergo quid refert mea
Cui ſerviam, clitellas dum portem meas?

Clitellas] Inſtrumenta lignea, in quibus colligatæ ſarcinæ, imponuntur aſinis, vel equis, *Feſto* teſte. Dicam de his latius, in opere peculiari, *de Re Vehiculari*a. *Scheffer.*

FABULA DECIMA SEXTA.

Ovis, Cervus, & Lupus.

FRaudator homines cum avocat, ſponſore improbo,
Non rem expedire, ſed mala videre expetit.
Ovem rogabat Cervus modium tritici,
Lupo ſponſore : at illa, præmetuens dolum :
Rapere atque abire ſemper adſuevit Lupus;
Tu de conſpectu fugere veloci impetu;
Ubi vos requiram cum dies advenerit ?

FRaudator] Qui in fraudem creditorum, & eorum fraudandorum cauſa conſilio quid fecit, geſſitve, *fraudator* dicitur *l.* 9. §. *ſed & ſi quis. ff. de jurejur. l.* 6. §. *præterea. l.* 10. §. *ſi fraudator. l.* 14. *l.* 25. *l. ult. pr.* & §. 1. *ff. quæ in fraud. credit. l.* 3. *ff. de curat. bon. dand. l. ult. C. de revoc. his quæ in fraud. credit.* Plane in *l.* 8. *ff. depoſ.* fraudator, appellatur Argentarius, qui foro ceſſit. *Creditorum fraudator Cic. Philip.* 3. Idemque *pro Flacco : fraudatorum & inficiatorum impudentiam* conjungit. Hinc *fraudatorium interdictum*, quo in fraudem creditorum geſta revocantur, *l.* 67. *pr. ff. ad Sc. Trebell. l.* 96. *ff. de ſolut. l.* 1. *C. Theod. de in int. reſtit.* Quo pertinet edictum quod proponitur *l.* 10. *ff. quæ in fraud. cred.* L.

Improbo] Dixi ſupra : *Fab.* 5. *Vers. ult.* ubi vide. L.

Præme-

Præmetuens] Statim, & in anteceſſum metuens, Sic *Lucret.* & *Jul. Caſ. B. G. Lib.* 7. *Cap.* 49. Cæterum hic verbum, *inquit*, omittitur ut ſupra *Fab.* 9. nam ovis verba ſunt quæ ſequuntur. *Scheffer.*

Rapere atque abire] Obſerva elegans antitethon in abire, & advenire, ita non erit, cur *rapere abire* mutes in *avere*: ut quidam præter rem argutus divinabat. *Rittersh.* Eleganter. tu, inquit, ſoles primum rapere, & poſtea cum rapinam feciſti celeriter diſcedere, Sc. ne deprehendaris: & eſt iſta luporum conſuetudo; particula *&*, eſt ex media latinitate deſumpta, quæ hic non tam connectit, quam celeritatem ſignificat, & ſic uſurpaſſe *Virgilium Georg. Lib.* 1. *Vers.* 203. *Servius* teſtatur. Adde *Curt. Lib.* 3. *C.* 6. & *ſeq.* Noſter infra, *Lib.* 3. *Fab. ult. Hominem, inquit, quæro, & abit. Scheffer.*

De conſpectu] *E conſpectu*, ait *Terentius*: ſed tamen *de* ſic uſurpavit *Cic. in Verr. de complexu parentum ad mortem raptus. Scheffer.*

Ubi vos requiram] Diſſimili in re ſimiliter Dordelius apud *Plautum in Perſa, Act.* 4. *Sc.* 7.

Argentum accepit, abiit: quid ego nunc ſcio.
An jam aſſeratur hoc manu? quo illum ſequor?
In Perſas? nugas. ———

Nevel.

Hic quaſi non recepturus quod dedi, *Plaut. Trinum. Act.* 4. *Sc.* 3.

Si quis mutuum quid dederit, ſit ex proprio perditum.
Cum repetas, inimicum amicum beneficio invenis tuo.

Sen. Epiſt. 19. *in fin. Quidam quo plus debent, magis oderunt: leve as alienum debitorem facit, grave inimicum.* L.

Cum dies advenerit] Juridice hoc quoque dictum eſt, vide *l.* 213. §. *cedere diem, de Verb. Sign.* Venire diem ſignificat eum diem veniſſe, quo pecunia peti poſſit. *Rittersh.* Atque hic uſurpatur ſolenniter, pro die ſolutioni præſtituta. Atque ita optimi ſcriptores. *Cornel. Nep. Attic. Cap.* 9. *Cum illa fundum ſecunda fortuna emiſſet in diem.* Vide *Pactum* noſtrum *Cap.* 18. Et quæ nos ibi in curis. *Scheffer.*

FABULA DECIMA SEPTIMA.

Ovis, Canis, & Lupus.

SOlent mendaces luere pœnas maleficij.
Calumniator ab Ove cum peteret Canis
Quem commendaſſe panem ſe contenderet.
Lupus citatus teſtis, non unum modo
Deberi dixit, verum affirmavit decem.
Ovis damnata falſo teſtimonio,
Quod non debebat, ſolvit. Poſt paucos dies
Ovis jacentem in fovea conſpexit Lupum:
Hæc, inquit, merces fraudis à Superis datur.

OVIS, Canis, & Lupus] Camerarius: de Cane, & Ove. Hac autem Fabula luſiſſe videtur *Phædrus* in Sejanum, exteroſque delatores, qui multi ſub Tiberio. *Rigalt.*

Maleficii] Delicti, flagitii, criminis, quomodo vox *maleficium* uſurpatur in *l.* 52. §. *ult. ff. pro ſoc. l.* 54. *eod. l.* 5. §. *hæres quoque. ff. de oblig. & act.* Aliter *maleficiorum labe pollutus* dicitur in *l. ult. C. de malefic. mathem.* Id eſt, magicarum, aliarumque ejuſmodi illicitarum artium. Eodemque modo *maleficii crimen* accipe in *l.* 1. *C. Theod. quor. appel. non recip.*

Et

Et ita, *Haruſpicinam nullum cum maleficiorum cauſis habere conſortium*, cenſent Impp. in *l.* 9. *de malef. & mathem. cod. Cod. Theodos.* L.

Calumniator] Ordo eſt turbatior, ſimpliciter ſe ita habet: Canis calumniator cum peteret panem ab ove, quem contenderat ſe commendaſſe ſc. ovi. *Calumniator*, adjectione hic qui calumnias exercet. Sunt autem calumniæ, *Marcello* ICto. auctore, fruſtratoriæ doloque conceptæ, & male fundatæ actiones. *Scheffer.* Dixi ſupra, de *calumniatore*, & vocabulo *calumnia*, quo ſignificatu hic uſurpatur, vide ergo, *Prol. Vers.* 5. L.

Commendaſſe] Commendare, eſt deponere *l.* 24. *&* *l.* 26. *ff. depos. l. commendare.* 186. *ff de V.* 5. At commodare, eſt idem quod utendum dare: repudiata eſt enim Labeonis ſententia, qui aliquid inter hæc duo intereſſe putabat. *l.* 2. §. 1. *ff. commod. Rittersh.* Hac voce eodem ſenſu uſus *Juſtin. Lib.* 35. *Cap.* 3. *Demetrius duos filios apud gnidium, hoſpitem ſuum, cum magno auri pondere commendaverat.* Ubi videſis amplißimi *Bongarſii* notas, qui aliquot exemplis id confirmat. *Nevel.* Commendare corpus in *l.* 14. §. *impenſa. junct. l.* 4. *ff. de relig. & ſumpt. funer.* eſt temporis cauſa deponere, donec juſtæ ſepulturæ tradatur, & quaſi æternæ ſedi detur. Sic inſcriptio antiqua: OPPRESSUS NECESSITATE CORPORA EORUM FICTILI SARCOPHAGO COMMENDAVERIM DONEC IS LOCUS QUEM EMERAM ÆDIFICARETUR. Unde, *commendatur corpus* dixit *Paul. Lib.* 1. *Sentent. Tit.* 25. L.

Contenderet] Crebro, & conſtanter affirmaret, *Cornel. Nep. in Epam. Cap.* 8. *Sua opera factum contenderent, ut Legi non obedirent. Scheffer.* Vel judicio certaret, & diſceptaret; ſic *Contendere de libertate l.* 2. *ff. ſi ingen. eſſe dic. l.* 24. *ff. de dol. De mutua pecunia l.* 42. *ff de furtj. Cedere vel contendere ultra l.* 1. *ff. de edend.* Eſt quoque in judicio dicere, allegare, affirmare, *l.* 5. *ff. de his quæ ut indign. auf. l.* 10. §. *quod ait. ff. quæ in fraud. credit. l.* 45. *ff. famil. erciſc. l.* 68. *ff. de rei vind.* Atque ita *contendere*, & *negare* adverſantur *l.* 2. *ff. ſi ſerv. vind.* L.

Lupus citatus teſtis] Quaſi miniſter, & aſſeſſor furis judicis. Vide *Vet. Interpr. Juven. Sat.* 3. *Verſ.* 46. *Rigalt.*

Jacentem in fovea] Infra *Lib.* 3. *Fab.* 2.

Panthera imprudens olim in foveam incidit.

Vide *l.* 28. *ff. ad leg. Aquil.* Fovea, ὀρύγμα, ποδάγρα, ποδοκλαστή. Non ſolum ferarum, ſed & hoſtium capiendorum cauſa facta *Suid. in* ποδάγρα. Τάφρος ὤρυξε καὶ ποδάγρας ὑφῆκεν ὡς θηρίοις τοῖς πολεμίοις. *Curius Fortunatian. Leno qua parte venturos ad ſe adoleſcentes ſciebat, nocte foveam fecit occultam, & juvenes perierunt. Rigalt.*

FABULA DECIMA OCTAVA.

Mulier Parturiens.



NEmo libenter recolit, qui læsit locum.
Instante partu, Mulier, peractis mensibus
Humo jacebat, flebiles gemitus cieus.

NEmo libenter recolit, qui læsit locum] Sententia hæc expressa est ex *Amphidis* Comici versibus:

Ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις
Ἥκιστα τούτοις πλησιάζων ἥδεται.

Rittersh. Prudens *Nasonis* consilium 2. *de Remed. Amor.*

Et loca sæpe nocent, fugito loca conscia vestri
Concubitus, causa illa doloris habent.

Sic nebulo quidam in *Petron. Satyr.* locum in quo nihil fecerat, metuebat: *in idem Platanona descendi, etiamsi locum inauspicatum timebam. Rigalt.* Docte *Ovid. Trist.* 3. *Eleg.* 1.

At nunc (tanta meo comes est insania morbo)
Saxa meum refero rursus ad icta pedem.
Scilicet ut victus repetit gladiator arenam,
Et redit ad tumidas naufraga puppis aquas.

Sic apud *Justin. Lib.* 18. *Cap.* 9. *Fingit se ad eum migrare velle, ne amplius ei mariti domus, cupidæ oblivionis gravem luctus imaginem renovaret, neve ultra amara admonitio oculis ejus occurrat. Nevel.* Sic *Virgilius, Fraudem loci* dixit *Lib.* 9. *Æneid.* & *Curt. Lib.* 5. *Cap.* 5. Ubi videte *Freinshemium. Scheffer.*

Recolit]

Recolit] Denuo, & ſæpius ad eum venit, repetit, eum revisit, ſic *reclamant* infra. *Lib* 4. *Fab.* 16. *Scheffer.*

Læſit] Lædi proprie corpus dicitur, vulnere aliquo, vel calamitate illata *l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec. l. ult. ff. de muner. & honor.* Sic *Alterum non lædere l.*10. §. 1. *ff. de Juſtit. & jur* Id eſt, damno, vel injuria adficere. *Si ignis alienam ſegetem vel vineam læſerit l.* 30. §. *ult. ff. ad leg. Æquil.* Hic autem pro calamitate, & afflictione corporis uſurpatur. L.

Peractis menſibus] Novem ſcilicet, & decimo inchoato. Idem frequentiſſimum partus tempus. *Varro Myſterii: Naſcimur enim ſpiſſius quam emorimur. Vix duo homines decem menſibus edolatum unum reddunt puerum, contra una peſtilentia hoſtica aciès puncto temporis immanes acervos facit, Rittersh.* Vocabulum, *peractis*, quaſi exactis, finitis. Sic *Plaut. Amphitr.*

——*menſes jam tibi exactos vides.*

Schop. Vide & *Plaut. Ciſtell. Act.* 1. *Sc.*3. *Vers.* 13. Et *Curt. Lib.* 10. *Cap.* 25. *Exactos menſes ſolus exſpectat, & jam divinat marem eſſe conceptum. Nevel.*

Humo] *Ovid. Epiſt. Heroid.* 14.

——*nuda recumbit humo.*

Et *Lib.* 4. *Metamorph.*

Et jacuit roſupinus humo. ——

Et poſt:

Sedit humo nuda. ——

Scheffer. Eleganter hic *humo jacebat* Jacere enim proprie dicitur, quod humi ſitum eſt. *Res quæ in littore poſt naufragium jacent. l.* 1. §. *ult. ff. de incend. ruin. Jacens res ex naufragio l.* 5. *ff. eod. Qui alienum quid jacens, lucri faciendi cauſa ſuſtulit l.* 43. §. *qui alienum. ff. de furt. Facet in ſtabulo ſtercus. l.* 7. *ff. de action. empt. Alicubi jacebant merces in angulo aliquo l.* 4. §. *ult. ff. de leg. Rhod. de jact.* L.

Flebiles gemitus ciens] Venus apud *Columbum*:

——Φιλότητ' ἰμείρειν ἰμερόεσσαν ἐνιπλῆσαι
Πολλάκις ἀδῖνας νηΐ ἐνὶ σκαπτῇ γυναῖκας.

Rigalt. Poëtam ſuum reſpicit, qui ſic *Lib.* 3. *Georg.*

Extremoque ciet gemitu. ——

Eodem modo, infra. *Lib.* 4. *Fab.* 21. *Scheffer.*

Vir eſt hortatus, corpus lecto reciperet
Onus naturæ melius quo deponeret.
Minime, inquit, illo poſſe confido loco
Malum finiri quo conceptum eſt initio.

Vir eſt hortatus] Vir, pro marito, abſolutum pro relato, quo nihil fere, quicquam apud *Plautum* frequentius. Sic *Amphitr. Tuus ego vir ſum?* Similiter apud eundem, mulier alicujus, pro uxore, ſæpius ſic Penelope ad procos de Ulixe ſuo in libero Carmine:

Qui quoniam periit, modo vos intendite: qualem
Eſſe virum ſciero, vir ſit ut ille meus.

Schop.

Reciperet] Pro, *ut reciperet*, recipere corpus lecto, ut, *recipere aliquem domo, lare*, & ſimilia. *Corpus* laſſa & defatigata membra ſignificat; & ſic *Sen. Herc. Oet. reddere corpus morbo. Scheffer.*

Onus naturæ] *Pondus uteri*, dixit, *Propert. Lib.* 4. *Eleg.* 7.

Idem ego cum Cynaræ traheret Lucina dolores
Et facerent uteri pondera lenta moram.

Nevelet. Num intelligit impoſitum à natura, an potius partes muliebres, per *naturam* innuit? Poſteriori modo dictum eſſet, *Onus naturæ*, ſicut *Onus ventris*, & *Onus uteri*, apud *Ovidium. Scheffer.*

Malum finiri] Hoc tamen malo laborans mulier, ſana cenſetur: maximum enim, ac præcipuum fœminarum munus eſt, hoc malum accipere, & conceptum tueri. Vide *l.* 14. §. 1. *ff. de Ædilit. edict. Rigalt.* Eas enim ad hoc natura progenuit, ut

ut partus ederent, & maxima eis cupiditas in hoc constituta est, *l. 2. C. de indict. viduit.* Tamen propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem, multa mulieribus privilegia sunt indulta, *l. ult. C. qui pot. in pign.* Mater enim parturire liberos parere, & nutrire dicitur, pater tantum superfluum eis voluptatis originem facere *Nov. 162. Cap. 3. in fin.* Et ex recenti puerperio decumbenti mors præ foribus consistere dicitur *Nov. Leon. 17.* Sed de Illyricanis mulieribus refert *Varro Lib. 2. de re Rust. Cap. 10. in fin.* Eas prægnantes sæpe cum venit pariendi tempus, non longe ab opere discedere, ibique enixas, pueros referre, quos non peperisse, sed invenisse putes. Idemque de Iberis mulieribus refert *Clemens Alexandrin.* 42. L.

Conceptum est] Vetus Gloss. Συνέλαβεν ἐπὶ γυναικός. *Concepit. Rigalt.* Acceptum. Sic, *Concipere maculam*, dixit *Cic. pro Rosc. Amer.* Sed hic elegans est, in respectu ad conceptionem partus, de qua hoc loco agitur. *Schiffer.*

FABULA

FABULA DECIMA NONA.

Canis Parturiens.

HAbent inſidias hominis blanditiæ mali;
Quas ut vitemus, verſus ſubjecti monent.
Canis parturiens cum rogaſſet alteram,
Ut fætum in ejus tugurio deponeret,

CANIS parturiens] Vide *Camerar. p.* 173. *Rigalt.*

Habent inſidias hominis blanditiæ mali] De hujusmodi homine recte uſurpabis verſum *Lucilianum:*

Quanto blandior, hoc tanto vehementius mordet.

Refert *Nonius* in improbus. *Rittersh.* Habent, *id eſt*, continent in ſe, optime. Sic enim *Lucilius*, quem forte reſpexit:

Virtus eſt homini ſcire id quod quæque habeat res.

Cornel. Nep. vita Treſibuli Cap. 3. *Corona nullam habuit invidiam* Adde *Vellej. Paterc. Lib.* 3. *Cap.* 76. *Sen. Troad. Vers.* 862. *Scheffer.* Atque ita frequentius etiam ICtis. uſurpatur pro continere ſcilicet, & recipere. *Nullum habet in ſe delictum. l.* 1. §. *ſed ſciendum. ff. de Ædil. edict. Habet ſummam æquitatem l.* 15. *ff. de precar. Juvenal. Sat.* 8. *Vers.* 141.

Omne animi vitium tanto conſpectius in ſe
Crimen habet, quanto major qui peccat habetur.

L.

Rogaſſet] Id eſt, petiiſſet ab altera, *rogare* enim ſimpliciter petere, vel utendum petere ſignificat *l.* 5. §. 10. *ff. commod.* Sic *rogare commodatum l.* 5. §. *interdum.* & *l.* 22.

l.22. ff eod. Rogare mutuam pecuniam, id eſt, petere *l.9. §. ult. ff. de reb. cred. rogare precario l.10. l.21. §. ult. l.36. ff. de acquir. poſſeſſ.* Item *Rogatio precarij l.3. ff. de piger. act. l.33. §. ult. ff. de precar.* L.

Alteram] Alter, pro, alio quovis, ſicut viciſſim, *alius* pro altero. *Plaut. Captiv.*

Captus fuit in pugna Hegionis filius,
Alium quadrimum fugiens ſervus vendidit.

Apulej. 4. de Aſin. Namque ille alius aſinus divinato, & ante capto meo cogitatu &c. Et *Lib. 5.* de colloquio duorum ſororum: *ſuſcipit alia*, id eſt, altera reſpondet. Et *eod. libro: pervenit ad civitatem aliam, in qua pari modo ſoror morabatur alia. Schop.* Sic *alter*, pro, alio. *Cic. de Offic. 3. Detrahere autem alteri, ſui commodi cauſa*, &c. *Plaut.*

Qui de altero obloquitur, ipſum ſe contineri oportet.

Adde infra *Verſ. 7. Scheffer.*

Deponeret] Pro, *deponere liceret.* Proprie autem *deponeret*, & in reſpectu ad fœtum quem ſupra *Fab. præc.* dixit, *onus*, ubi pariter ſic *το deponere* uſurpat. *Ponere*, ait, infra, *Lib. 2. Fab. 4. Scheffer.*

Facile impetravit; dein repoſcenti locum
Preces admovit; tempus exorans breve,
Dum firmiores poſſet catulos ducere.
Hoc quoque conſumpto flagitare validius
Cubile cœpit. Si mihi, & turbæ meæ
Par, inquit, eſſe potueris, cedam loco.

Preces admovit] Sic & infra loquitur *Lib. 3. Fab. 16.* & *Lib. 4. in fin. ubi Poëta ſect. 2.* Et *Ovid. Lib. 3. Eleg. 7.* de Ponto:

Quam quas admorint, non valuiſſe precer.

Alia in hanc rem adfert *Schoppius* noſter, *Suſpect. Lect. Lib. 3. Epiſt. 3. Rittersh. Plaut. in Ciſtel. Act. 2. Sc. 2.*

Quot illi blanditos? quid illi promiſi boni?
Quod admovi illi fabricas? quot fallacias?

Nevelet. Eleganter, de eo, qui ab initio ſtudet obtinere, ſicut, *machinæ admoveri*, dicuntur. *Scheffer.*

Exorans] Diu multumque orans. Et ſic puto uſurpaſſe *Virgilium. 3. Æneid. Verſ.* 370. ubi canit:

Exorat pacem Divum. ——

Servius, ait, *impetrat pacem*, quia *orare*, ſit *petere*, *exorare*, autem *impetrare*, fruſtra: Nam *Plautus* ante *Virgilium* hoc modo: *Mil. Glor. Act. 4. Sc. 6.*

——— *Veneri pol habeo gratiam,*
Tandemque exoro, & quæſo ut ejus mihi ſit copia
Quem amo, quemque expetiſſe, benignuſque erga me & fiet.

Ita habet editio *Gryphiana*; nam vulgo qui non intelligebant, fecerunt *orat.* *Scheffer.* Certum eſt vocabulum hoc ICtis. noſtris ita uſurpari ut ſit cum effectu orare, & orando, ac precibus impetrare. Sic in *l. 3. ff. de obſeq. par. & patr. præſt. Poſtea exoratus, accepto ab eo pretio, eum manumiſit. Si pater precibus exoratus injuriam ſuam remiſerit l. 5. §. ult. ff. ad leg. Jul. de vi Publ. Exorato accuſatore, Sueton. in Auguſt. Cap. 56.* L.

Ducere] Proptie de beſtiis, cum catulos ſuos ægre adhuc incedentes, poſt ſe trahunt. Eſt qui pro, *educere* poſitum exiſtimat; ſed alterum magis probo. *Plinius* de cervis & eorum hinnulis *Lib. 7. Cap. 32. Ad prærupta ducunt. Scheffer.* Duci, & ferri, ſeparantur, in *l. un. ff. ſi quis in jus voc. non jer. l. 87. ff. de evict.* Hoc ad ea quæ anima carent, illud ad ſe moventia pertinet. *Duci in jus, Liv. Lib. 2.* Eoque ſenſu accipiendum eſt verbum hoc in Titulo *Edicti Prætorii:* Qui neque ſequantur, neque ducantur: Cujus fit mentio in Inſcriptione *l. 48. ff. de Verb. Sign. Duci in carcerem l. 2. ff. de in jus voc. Duci*, quoque in vincula duci ſignificat *l. 2. §. exactis. ff. de orig. jur. l. 13. §. ſi quis. ff. de injur.*

Et

Et *Cic. Lib. 2. de orat. Qui judicatum duci videns.* Etiam de funeribus usurpatur: *Virgil. 4. Georg.*

——— *& tristia funera ducunt.*

Ubi *Servius: Ducunt, cum exequiali scilicet pompa, & ducere proprie funerum est.* Unde *Persius:*

——— *Nerio jam tertia ducitur uxor.*

L.

FABULA

FABULA VIGESIMA.

Canes Famelici.

STultum Conſilium non modo effectu caret,
Sed ad perniciem quoque mortales devocat.
Corium depreſſum in fluvio viderunt canes
Id ut commeſſe extractum poſſent facilius,
Aquam cæpere bibere; ſed rupti prius
Ibi periere, quam quod petierant, contingerent.

CANES famelici] *Camerarius p. 389. Rigalt.*

Effectu caret] Nequit effici: quomodo *culpa caret*, pro, nequit culpari, apud *Terentium* & alios, aut *reditu carent vela*, apud *Ovidium* pro, nequeunt redire. *Scheffer.*

Stultum Conſilium] Imperitum; *ſtultus* enim imperitum ſignificat, *l. 9. §. ſi quis jus. ff. de jur. & fact. ignor. l. 4. ff. quod vi aut clam.* Et ſtultitia, imperitia eſt *l. 51. ff. de evict.* Sic *ſtultitia emptoris l. 3. ff. ad leg. Falcid.* Et *ſtultitia teſtatoris, l. 13. ff. de manumiſſ. teſtam.* L.

Ad perniciem quoque mortales devocat] Sic & infra loquitur. *Lib. 3. Fab. 5. ſucceſſus ad perniciem multos devocat. Rittersh.* Eſtque rarum hoc verbum, quo & *Cornel. Nep.* utitur; *ut quos invocatos in foro viderat, omnes devocaret. Schop.* Hic idem ſignificat, quod *vocat*, eleganter in reſpectu ad celeritatem; qua pernicies ſequitur.

quitur. Sic & *Devocare ad auxilium*, apud *Livium* ligitur *Lib. 6. Scheffer.* Ita *Devocare ad munus*, *l. ult. C. de filiis fam. & quemadm. Lib. 10.* Et *Devocari ad obsequium l. 1. C. ne ruſtican. Devocari in judicium quæſtio l. 1. C. de ord. judic. Devocari in irritum l. 41. C. de liber. cauſ. l. 3. C. ſi ex falſ. inſtrum.* L.

Depreſſum in fluvio] Ab alutario videlicet. Sic enim ſolent, unde ſimul liquet, *Corium*, hic denotari ſicut eſt detractum pecori. *Scheffer.* Atque ita *Corium* bovis mortui uſurpatur in *l. 49. pr. ff. de legat. 2.* L.

Rupti] Diſrupti, nimio videlicet aquæ potu; quomodo apud *Virgil. 8. Eclog.*

——— *Cantando rumpitur anguis.*

Vide infra, *Fab. 24. Scheffer.*

Contingerent] Tangerent, attingerent, manente ſcilicet, eadam fluminis altitudine. *Virgilius*, rurſum 2. *Eneid.*

——— *Funemque manu contingere gaudent.*

Scheffer.

FABULA VIGESIMA PRIMA.

Leo Senex, Aper, Taurus, & Aſinus.

QUicunque amiſit dignitatem priſtinam,
Ignavis etiam jocus eſt, in caſu gravi.
Defectus annis, & deſertus viribus
Leo cum jaceret, ſpiritum extremum trahens.

Leo Senex] Camerarius *p.* 179. *Rigalt.* *Ignavis*] Ignavus, pro timido. Congruit autem cum hac ſententia illud quod eſt apud *Ciceronem*: *Ubi non ſis qui fueris, non eſt cur velis vivere. Rittersh.*

Jocus] Eleganter hoc dictum: Nam jocus, ut & ludus, pro re abjecta, & levi, quæ merito ludibrio haberi poſſit. *Cic. pro Flacco*, de Græcorum levitate: *Num illos idem putatis? quibus jusjurandum jocus eſt, teſtimonium ludus*, &c. *Catullus*:

Jocum me putat eſſe mæcha turpis.

Propert:

Fallaci Dominæ me putat eſſe jocum.

Scheffer.

Defectus annis] Quem ſcilicet anni deficiebant:

Nam vita morti propior eſt cotidie.

Hominem ſexagenarium, cui ſexaginta quinque annorum vita vivenda eſt, anni deficiunt: Nempe quinque tantum illi ſuperſunt. *Martial.* 13. *Epigr.* 77.

Dulcia defecta modulatur carmina lingua.

Et *Tacit. Annal.* 4. *Lentulus ſenectutis extremæ, Tubero defecto corpore.* Defectæ domus, & fanci defective homines *C. Theod. de indulgent. debit.* Atque ita rectiſſima lectio *Apul. Aſin. Aur.* 4. *Jamque confecta bona parte itineris, & vitæ ſpatio defectus, & ſarcinæ pondere depreſſus.*

Vide

Vide *Vet. Interp. Iuven. Sat. 3. Vers.* 289. Vetus Gloſſa: *Deficit κάμνει, λειποψυχεῖ. Defectus* ut contrario ſenſu, *refectus. Defectus annis*: ut infra *Lib.* 5. *Defectus pilis.* Suſtine igitur mutandi pruriginem. *Rigalt. Columella Lib.* 5. *Cap.* 6. *Primam quamque arborem ſenio defectam tollere. Ulpian. l.* 3. *ff. ad Sc. Silan. Ignoſcitur etiam his qui ætate defecti ſunt. Rutgers. Lib.* 5. *Var. Lect. Cap.* 10. Vocabulum hoc vindicat *Terentio* quoque ex Scholiaſte *Juvenalis*; qui ſic verſum ejus *Adelph. Act.* 2. *Sc.* 2. retulit: *Ego vapulando ille verberando, uſque ambo defecti ſumus. Scheffer.* Sic *Deficere ætate* dicitur *Quintilian. declamat.* 206. *Deficere judicium l.* 16. *C. famil. erciſc.* Similiſere ſignificatu *deficere* eſt animam agere, exſpirare, mori, *l.* 8. §. *hoſtes. ff. de pan. l.* 32. §. *ſi ambo. ff. de donat. int. vir. & uxor. l.* 22. §. *nec vero. C. de admin. tut. Deficiens*, id eſt, moriens *l.* 3. *C. Theod. de teſtam. Deficientis voluntas l.* 1. *C. Theodoſ. ad leg. Cornel. de falſ. Martialis*, de ſervo quem in extremis conſtitutum Dominus manumiſerat:

Senſit deficiens ſua præmia. ——

L.

Defertus viribus] Omiſſa præpoſitione *à*. Sic *Tacit.* 3. *Annal.* 20. *Neque prælium omiſit, donec defertus ſuis caderet. Scheffer.*

Jaceret] Sic fere ſolent de ægrotis. Noſter ſupra: *Fab.* 14. *Cum jaceret morbo confectus gravi. Scheffer.* Hic quaſi proſtratus eſſet, quomodo uſurpatur ab *Ovid. Lib.* 13. *Metamorph. Vers.* 198.

—— *per me jacet inclytus Hector.*

Et ſic *Virgil. Lib.* 2. *Æneid.*

Jacet ingens littore truncus,
Avulſumque humeris caput, & ſine nomine corpus.

L.

Trahens] Eleganter difficultatem, & ultimos conatus vivendi exprimit. *Columel. Lib.* 7. *Cap.* 9. *Cum quodam impedimento tractus ſpiritus. Curt. Lib.* 3. *Cap.* 6. *Spiritus meus ſemper quidem ex te pependit, ſed nunc vere ſacro, & venerabili aure trahitur. Scheffer.*

Aper fulmineis ad eum venit dentibus,
Et vindicavit ictu veterem injuriam.
Infeſtus Taurus mox confodit cornibus
Hoſtile corpus; Aſinus ut vidit ferum
Impune lædi; calcibus frontem exterit.

Aper fulmineis dentibus] Ovid. 10. *Metam.*:

Fulmen habent acres in aduncis dentibus Apri.

Auſon. Monoſyllab. Hiſtor.

Cædis Adonæ mala gloriâ fulmineus ſus.

Et idem *Epiſt. ad Theonem*:

Stringere fulmineo venabula tergmine hoſti.

Quæ de Apro intelligenda eſſe, ex præcedentibus intelligitur:

Aut ſpumantis Apri curſum clamoribus urges.

Oppianus noſter *Lib.* 3. *Cyneget. Verſ.* 379. Luculentis verſibus, hanc vim dentis aprugni, deſcribit:

Ἐπὶ δὲ τις κάπροιο φάτις πίεν, λευκὸν ὀδόντα
Λάθρῃσιν φῶτος ἧμεν μαλερὴν πυρόεσσαν ἐείκτην.
Σῆμα δ' ἐφημερίοισιν ἀειφανὲς ἱερίζουσι.
Ὁππότε γὰρ πολὺς ἔχλῳ ἐπίτεμῳ ἀγειτίῃσιν,
Σὺν κυσὶν ἰυλέγμοισι ποτὶ χθόνα θῆρα βάλωσιν.
Λιχμήσιν δλιχῇσιν ὑπασύπτερον ἀμμαπέντες,
Δὴ τότ' ἀπ' αὐχένος εἶπε ἀειρόμενον τελέκκ λιπτήν.
Θηρὸς ἴτ' ἀθμαίνοντος ἀνιχέλμυσιν ὀδόντι,
Αἵματι μέλαν σφιγηδὸν ἀνίδαμεν ἀγκύλον ἕλκ.

E 2 Καὶ

Καὶ δ' αὐτοῖσι κύνεσσιν ἐπὶ πλευρῇς ἐκάτερθεν,
Ἔνθα συὸς γενύων πέλασαν αἴθωνες ὀδόντες.
Ἴχνια πυρσευθέντα διὰ ῥινοῖο τέτανται.

Rittersh. Mutuatus hoc est noster ab *Ovidio* qui de apro scripserat:

Fulmineo celeres dissipat ore canes.

Fab. Ac proprie de apro dicitur, propter candorem inter nigras setas. Notat & ictus repentinos, ut vult *Rittershusius*. *Fulmineum ensem*, binis locis dixit *Virgilius*, propter splendorem, candoremque, quem puto hic ut alias imitatum esse nostrum. *Scheffer.*

Ictu] Proprie de morsu Aprorum. *Ovid.* 8. *Metam. Vers.* 344.

——— *obliquo latrantes dissipat ictu.*

Scheffer. Et sumitur pro percussione, qua vulnus infligitur *l.* 11. §. *sed si plures. l.* 15. §. *ult. l.* 51. *ff. de leg. Aquil. l. ult. ff. ad leg. Cornel. de sicar. Prope uno ictu, & uno impetu utrumque occidere l.* 23. §. *ult. ff. ad leg. Iul. de adult. Si equa à te ictu percussa, l.* 27. *ff. ad leg. Aquil.* Eleganter autem hic: *fulmineis dentibus, ictu vindicavit* &c. Quoniam vocabulum *ictus* frequentius de fulmine usurpatur, propter vim ejus majorem. Sic *Ictu fulminis decistis armamentis l.* 6. *ff. de leg. Rhod. de jact. Cic.* 3. *offic. Ictu fulminis deflagravit. Horat. Lib.* 3. *Ode* 16.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Ictu fulmineo. ———

Sic *Icta fulmine domus*; *Sueton. in August. Cap.* 29. L.

Frontem exterit] Ἐξεγκεφαλίζει, excerebrat. *Rigalt.* Comminuit, terendo, & calcitrando confringit. Ita *Stat. Thebaid.* 10.

——— *gravis exterit artus*
Ungula. ———

Consule & *Ovidium* 1. *Amor. Eleg.* 9. *Vers.* 12. Ibique doctissimas N. *Heinsii* notas. *Scheffer.*

At ille exspirans: fortes indigne tuli
Mihi insultare; te, naturæ dedecus,
Quod ferre certe cogor, bis videor mori.

Indigne] Cum indignatione, refertur ad personam hoc loco, quod notandum, *Cicero* usurpavit de re: *Suetonius* absolute posuit hoc sensu. *Scheffer.*

Insultare] De iis qui injurias per ludibrium inferunt. *Serv. ad Virgil. Æneid.* 2. *Vers.* 330. *Insultare est in alienum dolorem gaudere. Scheffer.*

Naturæ dedecus] Sic eleganter vocat asinum. *Rittersh.* Infra: *Sinistra quos in lucem natura extulit. Rigalt.* Eleganter de quo formato, natura non tam laudem meruit, quam dedecus. Asinum intelligit. Et sic *Cicero Dedecus familiæ*, pro Rabirio usurpavit. *Scheffer.*

Quod ferre cogor, bis videor mori] Æsopus præceps mittendus: ὦ Ζεῦ, εἶπε, τί ποτέ σε ἠδίκησα, ὅτι οὕτω παρὰ λόγον ἀπόλλυμαι; καὶ ταῦτα οὐθ' ὑφ' ἵππων γεννάιων, οὐθ' ἡμιόνων ἀγαθῶν ἀναρίων εὐτελεστάτων. *Avien. Fab. ult. Rigalt.* Ab adversario magno vinci, vel detrimentum accipere, solatium quoddam est, & lenius ferri potest, unde illud apud Principem Poëtarum:

Æneæ magni dextra cadis. ———

Et *Ovid.* 12. *Metamorph.*

Quisquis es, ô juvenis, dixit, solamen habeto
Mortis, ab Æmonio quod sis jugulatus Achille.

Pulcherrime *Accius* in armorum judicio, referente *Macrobio Lib.* 6. *Satural. Cap.* 1. *Nam trophæum ferre me à forti viro pulchrum est. Sin autem & vincar, vinci à tali, nullum est probrum.* At à vili, & abjecto, atque ignavo superari, summum probrum, maximeque pudendum, & dolendum est: formula illa *bis mori*, vel *interimi*, vel *perire*, quasi proverbialis est, usurpata etiam ab aliis: ut in Senario Mimographi. *Bis enim mori, est alterius arbitrio*

arbitrio mori. Et: *Bis interimitur, qui ſuis armis perit.* Sic ſupra: *Fab. 8. Bis peccat.* Sic *Publius Syrus: Bis vincit, qui ſe vincit in victoria. Rittersh.* Bis mori, intellige ſemel per vim, iterum per infamiam ex auctore ejus, cum fama bona ſit velut altera vita, & ob id vitæ æquiparetur. *Scheffer. Ferre* hic *pati* ſignificat, modo uti ſæpius; *Nec enim ferre debet Prætor,* *l. 7. §. 2. ff. de injur. Quis ferat? l. 11. C. comm. utr. judic.* L.

Quod ferre certe cogor] Alexandri milites apud *Curt. Lib.* 10. *Cap.* 14. Idem voluere, dum ajunt: *Milites tui, cives tui cognita cauſa, captivis ſuis ducentibus trahuntur ad pœnam, ſi mortem meruiſſe judicas, ſaltem miniſtros ſupplicii muta. Nevelet.*

FABULA VIGESIMA SECUNDA.

Muſtela, & Homo.



MUſtela ab homine prenſa, cum inſtantem necem
Effugere vellet, quæſo, inquit, parce mihi
Quæ tibi moleſtis muribus purgo domum;
Reſpondit ille, facerem, ſi cauſa mea
Gratum eſſet, & dediſſem veniam ſupplici:

MUſtela & homo] *Camerarius p.* 188. & 312. *Rigalt.*

Homine] Ita ſolent de ignoto, ac incerto, *Virgil.* 7. *Æneid.* & *Plaut. Pſeud. Act.* 4. *Sc.* 2. *Quis hic homo Chlamydatus eſt? Scheffer.*

Tibi] Num cohæret, *tibi purgo*, an, *tibi moleſtis*? poſterius puto. *Scheffer.*

Moleſtis muribus purgo domum] *Pallad. de Cato:* 4. *Epigram: Vet:*

Mordaces morſu ſolitus conſumere mures,
Invisũ & domibus perdere dente genus.

Rigalt. Omiſſa præpoſitione, quam fere alii apponunt. *Cato de re Ruſt.* 66. *A foliis & ſtercore purgato.* Sed ut noſter, ita & *Pallad.* in *Apr. T.* 8. *Purganda ſunt alvearia fordibus.* Adde *Tacit.* 3. *Annal.* 17. 1. *Scheffer.*

Moleſtis] Quaſi qui te tædio afficiunt, & continuo vexant: ſic *Moleſtus adverſarius* dicitur *l.* 4. §. 1. *ff. de alien. judic. mut. cauſ. fact.* L.

Gratum eſſet] Gallicè, *je t'en aurois obligation.* Ita, *Terentius*, intelligendus, *dum gratum eſſe potuit* &c. *Fab.*

Supplici] Quia ſuppliciter oras, ſignificanter, ita *ſupplicem* uſurpat. *Curt.* 3. 2. 17. *Scheffer.*

Hanc

Nunc quia laboras, ut fruaris reliquiis,
Quæ sunt rosturi, simul & ipsos devores,
Noli imputare vanum beneficium mihi:
Atque ita locutus, improbam leto dedit.
Hoc, in se dictum debent illi agnoscere
Quorum privata servit utilitas sibi,
Et meritum inane jactant imprudentibus.

Laboras ut] Propterea *ut*, absolute, *laborare*, hic est quoquo modo negotiosus esse. Ita *Cic. Tusc.* 9. *Laboro ut assentiar. Epicuro.* Adde, infra *Lib.* 3. *Fab.* 11. *Scheffer.* Hoc sensu *Cic.* Lib. 2. *Tusc. quæst. Laborem*, ait, *esse functionem quandam animi, vel corporis gravioris operis, & muneris.* L.

Reliquiis quæ sunt rosturi] Nota, *reliquium*, & plurali *reliquia*, etiam neutro genere à Latinis dici, ut alimonium, deliquium; sic muscipulum infra *Lib.* 4. *Fab.* 2. Nisi dicamus pro *quæ*, legendum *quas*, *Rittersh.* *Reliquia* neutro genere usurpasse; olim *Plautum in Milite Glorioso*, ex veteribus Libris constat:

At pedites tibi reliquia erant, si viverent.

Ita *ut cupedia*, & *cupediæ*, *decipulum*, & *decipula*, apud *Martianum Capellam*, & *Apulejum. Fab.*

Imputare beneficium] Non est hoc loco acceptum referre, sed exemptum vel collatum alicui, Phrasis *Senecæ*, & *Plinio* potius, quam *Ciceroni* usitata. *Rittersh.* Imputare aliquid alteri, est in expensi creditique rationes referri, exprobrare tanquam beneficium. Dico latius in Curis Secundis ad *Pacatum* nostrum, *Cap.* 13. *Scheffer.*

Vanum] Quod habet speciem exterius, sed intus nihil est. *Serv.* ad *Virgil.* 4. *Æneid. falsum* reddit, *vana fides*, id est, *falsa. Scheffer.*

Leto dedit] Sic infra *Lib.* 3. *Fab.* 16. Sic in Veteri Formula Mortuali: *Ollus est leto datus.* De qua *Brisson. Lib.* 7. *de formul. Rittersh. Ælian. Lib.* 4. *Cap.* 14. *de animalib.* Κακὸν θνητὸν ἡ γαλῆ. Vide *Artemid. Oneir.* 3. *Cap.* 28. *Rigalt.*

In se] Contra se, *Terent. Adelphi Act.* 1. *Sc.* 2. *Nolo in illum gravius dicere. Scheffer.*

Privata] Existit, fit privata, & servit sibi; privata est, quæ respicit dominum suum, eum à quo proficiscitur, quomodo apud *Horat.* 1. *Epist.* 3.

——— *monendus.*
Privatas ut quærat opes. ———

Scheffer.

Utilitas] Est *usus*, sive id, quo quis potest esse utilis. Quomodo *Cicero.* Alicubi in *Epist. Utilitatibus tuis possum carere. Scheffer.*

Et meritum inane jactant imprudentibus] Istuc ipsum est, quod dicit, *Terentius*:

Ego, Charine, neutiquam officium liberi esse hominis puto,
Cum is nil promereat, postulare id gratiæ apponi sibi.

Id supra rotundissime dixit *Phædrus: Vanum beneficium cuipiam imputare. Fab.* Inane enim, dicitur quod est inutile, nullius momenti, sine vi, sine effectu: ita *inanis actio* appellatur, *quam inopia adversarii, vel aliqua exceptio, ratione excludit, & eludit l.* 6. *ff. de dol. l.* 24. *ff. de liber. caus. Inanis cautio l ult.* C. *si pignor. convent. Inanis clamor l.* 1. §. *excusantur. ff. ad Sc. Silan. Inanis timor*, id est, vanus, *l.* 5. §. *ult. C. si cert. pet.* De vocabulo *meritum* vide quæ notavi supra *Fab.* 8. *Vers.* 1. L

Jactant] Id est ambitiosius gloriantur, uti *Nonius* explicavit. Sic *Licet id se facturum jactaverit, l.* 225. *ff. de verb. sign. Qui se Imperatorem facturum hæredem esse jactaverat. L ult. ff. qui test. fac. poss. Quod pro salute principis habere se dicere jactant l.* 6. *ff. de pæn. Quæcunque sic dicuntur, ut præstentur, non ut jactentur l.* 19. §. *illud. ff. de Ædil. edict.* Ita *jactatio* pro ambitiosa gloria, sumitur *l.* 6. §. *ejus qui. ff. de injust. rupt.* L.

FABULA VIGESIMA TERTIA.

Canis Fidelis.

REpente liberalis, ſtultis gratus eſt;
Verum peritis irritos tendit dolos.
Nocturnus cum fur panem miſiſſet Cani,
Objecto tentans an, cibo poſſet capi:

Canis fidelis] *Camerarius. pag.* 183. *Rigalt. Fac. Mycillus* in Carmine elegantiſſimo de Canibus:

Inter quadrupedes Canis fidelis.
Rittersh.

Repente] Ex improviſo, præter ſpem, quippe præter conſuetudinem ejus, ita *Cicero Lib.* 4. *Epiſt. Famil.* 4. *Cæſar repente præter ſpem dixit* &c. *Scheffer.*

Stultis] Obſerva hic etiam *ſtultum* pro imperito dici, quod notavi ſupra, *Fab.* 20. *Vers.* 1. ſequitur enim *peritis*, cui hoc *ſtultis* opponitur. L.

Tendit dolos] *Tendere* verbum eſt venaticum, nam, tende retia, dicuntur feris, cum captantur; Cæterum ſic & *falluſtias tendere inſidias*, dixit, in *Catil.* Vide *Horat. Epiſt.* 2. *Scheffer.*

Nocturnus] Noctu furari ſolitus, ſic ſolenniter vocatur à ICtis. & à diurno diſtinguitur. Vide *Cic. in Orat. pro Mil. Scheffer.* Uti & *Nocturnus populator l.* 1. *C. quand. lic. fin. jud. Nocturni effractores l. ult. ff. de effract. Nocturnus*, autem, *fur*, in *l.* 9. *ff. ad leg. Cornel. de ſicar. l.* 1. *ff. de fur. balnear.* Et apud *Cicer. pro Mil. Sulpit. Sever. Lib.* 1. *Sacr. Hiſt. D. Auguſtin. Lib.* 2. *Quæſt. ſuper Exod* eſt *noctu deprehenſus* ut loquitur *l.* 4. *ff. ad leg. Aquil. Quintil. Lib.* 5. *Inſt. Cap.* 10. *Si noctu-*

nocturum furem occidere licet, quid latronem? Aliter *Plin. Lib.* 10. *Cap.* 40. *Caprimulgi appellantur grandioris merulæ aspectu, fures nocturni, interdiu enim visu carent.* Id est qui noctu furantur. L.

Misisset] Objecisset proprie; Noster infra *Lib.* 3 *Fab.* 2. Pantheræ perituræ *misere panem.* Hinc *missilia* quæ jactantur, & sparguntur in vulgus passim. Adde *Lib.* 2. *Fab.* 3. *Scheffer.*

Tentans] Absolute, ut apud *Cicer. Parad. Tentare volui, an ita dici possent. Scheffer.*

Capi] Decipi, ac in partes trahi, ut mansuetior evaderet; ita *Cic. pro Cluent.* & alii. *Scheffer.*

Heus, inquit, linguam vis meam præcludere.
Ne latrem pro re domini: multum falleris.
Namque ista subita me jubet benignitas,
Vigilare, facias ne mea culpa lucrum.

Pro re domini] Rei appellatio generalis est, continet enim omnia quæ vel in patrimonio sunt, vel extra patrimonium, & ad omnem contractum causasque, & jura pertinet, *l.* 5. & *l.* 23. *ff. de Verb. Sign.* Hic autem pro, *re familiari* sumitur, ut, *Rem pupilli salvam fore*, quæ cautio Prætoria est, quam *Theoph. Inst. de satisd. tut.* & de *divis. stip.* sic explicat: Ὁ πράιτωρ τὸν καθιςαμενον ἐπίτροπον ἐγγύας διδόναι κελεύει ὅτι σῶα καὶ ἀκέραια τὰ τῶν κηδεμονευομένων φυλαχθήσοντα πράγματα. *Juvenal. Sat.* 3. *Vers.* 165.

Haud facile emergunt quorum virtutibus obstat.
Res angusta domi ——

Et *Sat.* 6. *Vers.* 355.

Multis res angusta domi ——

Item *Sat.* 12. *Vers.* 10.

Si res ampla domi ——

L.

Vigilare] Curam, & solicitudinem denotat, *Plaut. in Rud. Act.* 4. *Sc.* 2.

Vigilare decet hominem qui volt suo tempori conficere officia.

Scheffer.

Facias] Ne quid furto lucreris, optime, ita *Plautus* iterum in *Mercat. Prol.*

—— *Vendidi ex sententia,*
Lucrum ingens facio. ——

Scheffer.

FABULA VIGESIMA QUARTA.

Rana Rupta, & Bos.

INops, potentem dum vult imitari, perit,
In prato quodam Rana conſpexit Bovem,
Et tacta invidia tantæ magnitudinis,
Rugoſam inflavit pellem: tum natos ſuos
Interrogavit, an Bove eſſet latior?

Rana rupta] *Horat. Serm.* 2. *Sat.* 3. *Camerarius p.* 188. *Rigalt.*

Inops potentem] *Martial. Lib.* 10. De Torquato, & Otacilio:

Grandis ut exiguam bos ranam ruperat olim,
Sic puto Torquatus rumpet Otacilium.

Rigalt. Id voluit *Syrus Vers.* 746.

Ubi cœpit pauper divitem imitari pervit.

Nevelet. Refertur ad divitias hoc loco, ut vel opposito indicat. Sic uſurpavit & *Horat. Carm.* 2. *Od.* 10.

——— *nec potentem amicum*
Largiora flagito. ———

Plautus addit, *potens auro* in *Epid. Act.* 1. *Sc.* 2.

——— *eſt Euboicus miles, multo auro potens.*

Scheffer. De paupere, potentiorem imitante eleganter *Juvenal. Sat.* 11. *Vers.* 1.

Atticus eximie ſi cœnet lautus habetur
Si Rutilus demens ———

Et *ibid. Vers.* 35.

Noſcenda eſt menſura ſui, Spectandaque rebus
In ſummis minimisque: etiam cum piſcis emetur
Ne Mullum cupiat, cum ſit tibi Gobio tantum
In loculis: ———

L.

Facta] Elegantiſſime, pro commota, de perturbatione ſubitanea. Plane ad eundem modum *Lucanus Lib.* 3. Et *Lucret. Lib.* 1.

——— *nec tangitur ira.*

Similia & *Livius*, habet. *Scheffer.*

Invidia] Senſu activo, qua hempe illi eam invidebant, quomodo *Cic.* 1. *Epiſt. famil.* 1. *Religionis calumniam malevolentia, & illius regiæ Cargitionis invidia comprobat. Scheffer.*

Illi negarunt; rurſus intendit cutem
Majore niſu: & ſimili quæſivit modo
Quis major eſſet, illi dixerunt, Bovem.
Noviſſime indignata, dum vult validius
Inflare ſeſe, rupto jacuit corpore.

Indignata] Irata, & quæ hoc ægre tulerit, ita ICtus. in *l.* 2. §. 3. *ff. ad leg. Jul. de adult. Qui contaminatione ſuæ non indignatur*, id eſt, non iraſcitur uxori adulterium committenti. L.

Jacuit] Uſurpatur de iis, qui violenta morte pereunt, Vide *Virgil.* 5. *Æneid.* & aliis locis. *Sen. Troad. Vers.* 224.

Et cauſa litis regibus, Chryſe, jacet.

Hinc *jacentes* pro occiſis, apud *Cornel. Nep. Thras.* 2. *Neminem jacentem veſte ſpoliavit.* Cæterũ hoc loco cum riſu quodam uſurpatur, ſimul atque exprobratione, eleganter: quomodo mox *Fab.* 27. *O Canis, merito jaces. Scheffer. Ovid. Metam.* 13.

——— *per me jacet inclytus Hector.*

Dixi ſupra *Fab.* 21. *Vers.* 4. *Sen. Troad. Act.* 3. *Vers.* 748.

O Machinator fraudis, & ſcelerum artifex,
Virtute cujus bellica nemo occidit,
Dolis & aſtu maleficæ mentis jacens
Etiam Pelasgi ———

L.

Corpore] Hic eleganter pro cadavere uſurpatur, Sic *Corpus inferre l.* 40. *ff. de religios. Terra conditum corpus l.* 39. *ff. eod. Condendi corporis cura l.* 88. §. 1. *ff. de legat.* 2. *Sen. Troad. Vers.* 368:

Verum eſt? an timidos fabula decipit?
Umbras corporibus vivere conditis?

L.

FABULA

FABULA VIGESIMA QUINTA.

Canis & Crocodillus.



Conſilia qui dant prava cautis hominibus
Et perdunt operam, & deridentur turpiter.
Canes currentes bibere in Nilo flumine
A Crocodillis ne rapiantur traditum eſt.

Currentes bibere in Nilo] Malim *è Nilo*, notum eſt autem Proverbium: *tanquam Canis è Nilo.* De nimia feſtinatione. *Rittersh. Ælian. Lib. 6. Cap. 53. de animalib.* De Nilo, & Crocodilis egregie *Achilles Tatius*, vide *Leucip. & Clitoph.* *Rigalt.* Hinc jocus in Antonium, apud *Macrobium Lib. 2. Poſtfugam Mutinenſem quærentibus quid ageret Antonius, quidam familiaris ejus reſpondit, quod Canis in Ægypto, bibit, & fugit. Nevelet.*

A Crocodillis] Ex hoc loco *Phædri* probatur, ſcriptum olim Græce κροκοδιλος, ut κροκόδιλος; Neque enim me moveant Etymologiæ *Euſtathii*, & aliorum, quas ſi refellerem, otioſus haberer. Quidni etiam hic vitilitigator *Scheppius* ignorationem legum metricarum *Phædro* objecit? *Fab.*

Ne rapiantur] Per vim capiantur, & violenter etiam auferantur, ſic *Rapere mulierem l. 5. §. ult. ff. de vi publ. Rapere puerum l. 6. eod.* Et *Raptum* dicitur quod per vim ablatum eſt, l. 4. *ff ne quis eum qui in jus voc.* Atque ita in *Tit. vi bon. rapt.* Hoc verbum accipitur, ex quo delicto nata eſt, *Actio de bonis raptis l. 52. §. ult. ff. de furt.* Quæ alias *Vi bonorum rapto-*

raptorum, dicitur. *Rapere vero in jus*, eſt adverſarium juris experiendi cauſa, recuſantem cunctantemque trahere, *Horat. Lib.* 1. *Serm. Sat. ult.*

——*rapit in jus clamor utrinque.*

Idem, *Sat.* 3.

Cum rapias in jura malis ridentem alienis.

L.

Igitur cum currens bibere cœpiſſet Canis,
Sic Crocodillus: quamlibet lambe otio,
Accede, pota leniter, & noli dolos,
Inquit, vereri; at ille: facerem mehercule,
Niſi eſſe ſcirem carnis te cupidum meæ,

Quamlibet] Pro, *quantumlibet. Cic. pro Cæl. Quam velit, ſit potens.* Sic *Terent. Hec. Act.* 4. Sc. 4.

Leniter] Tarde, abſque feſtinatione, opponitur celeriter. *Scheffer.*

Noli] Serio, & vehementer negat, *Cic. in Epiſt. ad Attic. Noli putare, me quicquam maluiſſe, quam ut mandatis tuis ſatis facerem. Scheffer.*

Mehercule] Formula jurantis elleptica ut fere fit in talibus, tota eſt: *Ita mehercule juva*: ſcio alios aliter judicare, ſed hanc ſententiam veriſſimam exiſtimo. *Scheffer.*

FABULA

FABULA VIGESIMA SEXTA.

Vulpis, & Ciconia.



NUlli nocendum : si quis vero læserit,
Multandum simili jure, fabella ammonet.
Vulpis ad cœnam dicitur Ciconiam
Prior invitasse, & ei liquidam in patena
Posuisse sorbitionem, quam nullo modo
Gustare esuriens potuerit Ciconia.

VUlpis & Ciconia] *Camerarius p.* 185. *Rigalt.*

Læserit] Hic est damnum dederit, offenderit, nocuerit; Sic *læsus* dicitur, qui damnum passus, *l.* 44. *ff. ex quib. caus. maj.* vel minor, qui captus fraudatusque est *l.* 1. *C. de temp. in int. rest. l.* 1. *C. qui & advers. quos. Si immodice læsa es, l.* 5. *C. de dolo.* Id est decepta, *Alterum non lædere* id est, alterum damno vel injuria non afficere *l.* 10. §. 1. *ff. de just. & jur.* Atque ita *læsio* pro damno, & injuria sumitur, *l. ult. C. de magistr. conven.* l. 28. *ff. Com. divid.* L.

Multandum simili jure] Talione, κατὰ τὸ ἀντιπεπονθὸς. De quo jure Rhadamanti, antiquus refertur ab *Aristotele* versus *Lib.* 5. *Ethicor.*

Εἴκι πάθοι τὰ κ' ἔρεξε δίκη ἰθεῖα γένοιτο.

Id est:

Si

Si quis quod fecit patiatur, jus erit æquum.

Ad quam. Faciem *Crinagoras* quoque 4. *Antholog.* scripsit in quendam, πέπονθας ἃ ἔρεξας. Ἐσθλὸν ἡ δίκη. *Rittersh.* Hinc *Edictum* Prætoris. *Quod quisque Juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Quod & Ciceronis ætate in usu fuisse videtur, *Cic. Epist. 1. ad Quint. Fratr.* Summamque habet sine justa cujusquam indignatione æquitatem: quis enim aspernabitur idem jus sibi dici, quod ipse aliis dixit vel dici effecit, *l. 1. ff. quod quisque jur.* Aut quis justissimam illam, & à natura profectam, *Cic. de invent. Lib. 2. Cap. 5.* & 12. Talionis legem deprecari juste possit? Cum hæc ἀναλογία retineat civitates. *Aristot. Polit. Lib. 2.* & 5. *de morib. Cap. 8.* L.

Posuisse] Proprie de ferculis, id est, *apposuisse*, ita infra *Lib. 5. Fab. 4. Ovid. 4. Fastor.*

Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte.

Scheffer.

Quæ vulpem cum revocasset, intrito cibo,
Plenam lagenam posuit; huic rostrum inserens
Satiatur ipsa; & torquet convivam fame,
Quæ cum lagenæ collum frustra lamberet;
Peregrinam sic locutam volucrem accepimus;
Sua quisque exempla debet æquo animo pati.

Cum revocasset] Vocare (ut Græcis φωνεῖν vel καλεῖν: ut *Hesiod. Lib. 1.*

Τὸν δὲ μάλιστα καλεῖν ὅστις σέθεν ἐγγόθι ναίει.

Quod versu præcedenti plenius dixerat, ἐπὶ δαῖτα καλεῖν) absolute usurpari de invitatione ad convivium, jam ante observatum est à *Jano Guilielmo*, & *Fr. Modio* nostro: illud non item *revocare*, esse rursum invitare eum, qui te convivam habuerit, exemplo sit hic locus, cui addo *Lactantium Lib. 6. Cap. 13. Idem Deus præcepit, ut si quando cænam paraverimus, eos in convictum adhibeamus, qui revocare non possunt, & vicem reddere, ut omnis actus vitæ nostræ non careat misericordiæ munere:* Locus quem laudat, est *Luc. 14.* Μήποτε καὶ αὐτοί σε ἀντικαλέσωσι. Ubi Vet. interpr. *Ne forte te & ipsi reinvitent. Erasmus, ne vicissim invitent; Beza, ne vicissim vocent.* Sed omnium optime reddit *Lactantius*, nam & *Varro* sic loquitur: ut apud *Nonium* videre est. *Rittersh.* Vocare, & revocare, verba conviviorum sunt. *Plauto*, & aliis: unde illud *Catulli:*

Quærunt in triviis vocationes.

Hinc *Plutarcho* δείπνων κλήσεις. Hinc servi *vocatores*, in eam rem apud *Plinium Secundũ.* Græcè δειπνοκλήτορες & ἐλέατροι: qua in voce emendandus *Hesychius*, apud quem vulgo legitur, ἐλέατοι, malè. Quod autem hic *Phædrus* dicit, *revocare*, id proprie dixit *D. Lucas* ἀντικαλεῖν, *Cap. 14.* Quod verbum an alibi reperiri possit dubito. *Fab.*

Intrito cibo] Plenè, ac propriè, quod alias simpliciter, *intritum*, dicitur, fiebatque ex comminuto pane, macerato lacte, addito nonnunquam allio, caseo, & similibus, unde & *Alliatum*, & *Moretum* vocabatur, Sic *Donatus* ad illud *Terentii*; *tute hoc intrivisti*, ubi de moreto, seu alliato exponit: *Propriè intrita dicitur hujusmodi cibus. Varro 2. de Re Rust.* de cibo canum agens: *Nec non ita panem ordeaceum dandum, ut non potius eum in lacte des intritum.* Vocem culinariam esse patet. *Scheffer.*

Lagenam] Vetus Gloss. 270. *Lagæna*, λαγύνιον. in vetuste Marmone M. UL. PIO. AUG. LIB. PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AUG. A. POTIONE. ITEM A. LAGUNA. *Rigalt.* Monuit V. C. *Nic. Rigaltius* in

in Veteribus Libris legi *Lagonam*, videlicet hic itidem factum, ut in aliis nominibus Græcis, in queis Y in O conversum fuit; ita ex νὺξ, nox, μύλα (quod Doricum pro μύλη) mola, item ex λάγυνος & λαγύνιον, quæ, *Pollux*, & *Etymologus* agnoscunt, fit *Lagona*, & *Laguna*, quod posterius video ex Marmoribus afferri: *Gruter.* in *Inscript.* p. DCCLXXVIII. L. TROPHIMUS. AUG. LIB. A. VESTE, ITEM. A. LAGUNA. *Fab.*

Torquet] Torquere, hic est ægre alicui, facere. ita *Cicero*, *Torquere exspectatione* dixit, in *Epist. ad Attic. Scheffer.*

Lagenæ collum] *Petron. Sat. amphorarum cervices*, dixit. *Rigalt.*

Peregrinam volucrem] Sic vocat Ciconiam, quæ & *Publio Syro*, apud *Petron. Arb.* est, *peregrina, hospita avis, exul hiemis, titulus tepidi temporis. Varro* hoc genus aves advenas appellat. (*de re Rust. Lib.* 3. *Cap.* 5.) Quibus vernaculas volucres opponit. *Rittersh.* Videatur *Plin. Lib.* 10. *Cap.* 23. *Pacatus Paneg. Th. A. Neminem unum inveniri, qui auderet ad penum regiam flagitare, remotorum littorum piscem, peregrini aëris volucrem, alieni temporis florem. Rigalt.* Sic *Philostratus Epist.* quæ incipit εἰς ξένος ὤν. Καὶ ὁ ὄρνις ὁ φοίνιξ Τῶν Ἰνδῶν. οὗτος μὲν ὁ ξένος καὶ βραδὺς. Τὸν δὲ πελαργὸν οἱ πρᾷτοι θεασάμενοι, καὶ προσκυνοῦσι. *Nevelet.* Verum *peregrina*, hic usurpatur pro, peregrinante, sicut *festina*, pro festinante, quæ quotannis peregre abire, & reverti solet; nec satis circumspecte *Rigaltius*, ad hunc locum adducit verba *Pacati*, quibus loquitur de *Peregrini aëris volucri*: nam illa non est talis, nec sic à *Pacato* usurpatur, sed ea, quæ ex terris peregrinis, ad convivia & luxum petitur, quod notandum, ne quis forte fallatur. *Scheffer.*

Sua quisque exempla] Sic alias dicitur, *Debere unumquemq; eam legem pati quam ipse tulerit: & quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur.* Quod edictum summam habere æquitatem scribit *Ulpian. Lib.* 1. *D. quod quisque jur.* imo in hoc fere summam justitiæ consistere ait *Lactantius Lib.* 6. *Cap.* 23. & *Epitome Cap.* 3. *Rittersh.* Apparet igitur vocem *exempla*, active sumi, quasi ea, quæ quis statuit in alios. *Scheffer.*

Pati] Eleganter, *pati exemplum*, quia exemplum sæpe pœnam, & supplicium notat, quo respicitur hac formula. *Scheffer.*

FABULA

FABULA VIGESIMA SEPTIMA.

Canis, & Theſaurus, & Vulturius.



HÆc res, avaris eſſe conveniens poteſt,
Et qui humiles nati, dici locupletes ſtudent:
Humana effodiens oſſa, Theſaurum Canis
Invenit: & violavit quia Manes Deos,
Injecta eſt illi divitiarum cupiditas,
Pœnas ut Sanctæ Religioni penderet.

Vulturius] Vultur, *Lucilianum* verbum, de quo *Chariſius Lib.*1. *Plautus*, quoque in *Trucul.*

Jam quaſi Volturii triduo prius prædivinabat.

Scheffer.

Res] Fabulam, & fabellam, & narrationem, & exemplum alias vocat. Sic & ſupra *Fab.* 13. *Hac re probatur.* &c. *Scheffer.*

Humiles] Opponuntur hic locupletibus, nati in humili, & tenui fortuna, paupe-

peres; ſic videtur & *Cicero* uſurpaſſe *de Offic.*2. ubi plura. *Scheffer.*

Locupletes] Ita dicti, ut ait, *Quintilian. Lib.*5. *Cap.*10. *Cic.*2. *de Republ:* citante *Nonio Marcello*, quia *olim res erat in pecore, & locorum poſſeſſionibus, ex quo pecunioſi, & locupletes vocabantur. Plin. Lib.*18. *Cap* 3. *Hinc & locupletes dicebant, loci, hoc eſt, agri plenos.* Nigidius teſte *Agell. Lib.*10. *Cap.*5. *Locupletem* dicturi ajebat, *ex compoſitis vocibus, qui pleraque loca, id eſt, multas poſſeſſiones tenet. Feſtus;*

locupletés locorum multorum domini. Ovid. Lib. 1. Faſtor.

Cætera luxuriæ nondum inſtrumenta vigebant;
Aut pecus aut latam, dives habebat humum:
Hinc etiam locuples, hinc ipſa pecunia dicta eſt.

L.

Effodiens] Cibi ſcilicet gratia. *Scheffer.* Sic *Effodere* oſſa, vel *eruere*, dixit ICtus. *in l. 2. ff. de religios. l. ult. ff. de ſepulchr. viol. Effodere theſaurum l. 22. ff. Famil. erciſc. l. 15. ff. ad exhib.* L.

Theſaurum] In *Pandect. Florentin.* Perpetuo retenta antiquæ ſcripturæ ratione, legitur *Thenſaurus*, Eſtque *vetus quædam depoſitio pecuniæ, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat l. 31. l. 62. ff. de acquir. rer. dom. l. 67. ff. de rei vind. l. 3. §. mercatores. l. 44. ff. de acquir. poſſeſſ. l. 1. l. 3. §. pen. & ult. ff. de jure fiſci. l. 39. §. 1. ff. de aur. & arg. leg. Theſaurum* etiam, Leo Imperator interpretatur, *condita ab ignotis Dominis, tempore vetuſtiori mobilia, l. un. C. de Theſaur. Lib. 10. Papinianus* vocat, *pecuniam in terra cuſtodiæ cauſa conditam, l. 47. ff. de acquir. poſſeſſ.* Sic dicitur, *Theſaurus poſitus ſundo, l. 3. §. Neratius. ff. eod.* Et *Theſaurus in monumento inventus l. 4. §. non fit. ff. ad leg. Iul. peculat.* L.

Manes Deos] Monumentis inſcribi ſolebat, D. M. vel D. M. S. *Diis Manibus Sacrum.* Vide *Briſſon. Lib. 7. de Formul. Rittersh. Manes*, ait, *Apul. Lib. de Dæmon. Socr.* Dicuntur *Animæ melioris meriti.* Unde ſepulchra, & monumenta Imperator *Iulianus*, *manium ædificia* vocat *l. 4. C. Theod. de ſep. viol. Virgil. Lib. 4. Æneid.*

Id cinerem aut manes credis curare ſepultos.

Plin. Lib. 7. Epiſt. 27. Domus poſtea rite conditis manibus caruit. Macrob. in Somn. Scip. Cap. 12. Cum Sol Aquarium tenet, manibus parentetur. Manibus accitis l. 6. C. de Malef. & Mathem. Horat. Lib. 1. Sat. 8. de Veneficis.

——— Cruor in foſſam confuſus, ut inde Manes elicerent, animas reſponſa daturos.

Id eſt, *manes mortuorum evocarent*, ut vetus interpres explicat. *Sen. Troad. Verſ. 290.*

Nullumne Achillis præmium manes ferent?

L.

Injecta] Valde eleganter, velut à Diis & in reſpectu ad ultionem, malique ipſius gravitatem, ſub quo quaſi onere incedebat. *Cornel. Nep. Dione Cap. 3. Quod factum omnibus maximum timorem injecit. Scheffer.*

Sanctæ Religioni] Sepulchrorum ſeu momementorum. Huc pertinet *Tit. Digeſt. de Religios. & ſumpt. funer.* Item quod *Cicero in Top.* æquitatis partem unam facit ſanctitatem, quam ad Deos Manes dicit pertinere. Sic ex eodem *Cicerone 4. de Republ.* Hæc refert *Nonius: Sic Pontificio jure ſanctitudo ſepulturæ.* Et *Ioan. Chryſoſtom. Homil. 13. ad Epheſ.* Juſta mortuorum, ait, à Græcis τὰ ὁσίαν τῶν ἀπολλύντων vocari. *Modeſtinus* ICtus. *Solemnia mortis* appellat. Aliter autem *Phædrus* ſanctam Religionem uſurpat infra *Lib. 4. Fab. 10. Rittersh.* Hic *ſanctæ*, quaſi jure manium & auctoritate legum ſtabilitæ. *Ulpian. l. 9. ff. de rer. diviſ. Quod ſanctione quadam ſubnixum eſt, id ſanctum eſt, & ſi non ſit Deo conſecratum.* Et religionem, vocat grandius religioſam rem, ut ſolet etiam in aliis, intelligit autem ſepulchrum. Vide *Kirchman. de funer. Lib. 3. Cap. 22. Scheffer.* Andromache, de tumulo Hectoris apud *Sen. Troad. Verſ. 507.*

Sanctas parentis conditi ſedes, age, Aude ſubire. ———

L.

Itaque aurum dum cuſtodit, oblitus cibi,
Fame eſt conſumptus: quem ſtans Vulturius ſuper
Fertur locutus: ô Canis, merito jaces,
Qui concupiſti ſubito regales opes,
Trivio conceptus, & educatus ſtercore.

Stant

Stans Vulturius ſuper] Quaſi Cani exprobrans avaritiam, & aviditatem cum impierate conjunctam, ut qui ante omnia ſacris abſtinere debuiſſet: De Milvio enim notat *Plin. Lib.* 10. *Cap* 10. Eam quamvis rapaciſſimam, & famelicam ſemper alitem, nihil eſculenti rapere unquam, ex funerum ferculis, nec Olympix ex ara. Eſt autem *Vulturius* avis eadem cum vulture, rapax imprimis, & carnivora, unde factum eſt, ut homines inſatiabilis rapacitatis, *Vultures*, appellemus. *Cic. pro Sext. Exierunt malis omnibus, atque execrationibus; duo vultures paludati. Idem* de Piſone *in Piſoniana*? *Appellatus eſt hic Vulturius, illius Provinciæ (ſi Dis placet) Imperator.* L.

Super] De eo, qui ſtare in cadavere cœperat, laniaturus illud; nam eſt *Stans ſuper eum*, collocans ſeſe. **Der ſich auff jhm ſtelte.** Adde *Lib.* 2. *Fab.* 1. *Scheffer.*

Regales] Majores, quam privatas, & tibi competentes, maximas; Sic *Horat.* 1. *Epod* 12. *Scheffer.*

Trivio conceptus, & educatus ſtercore] Vide quæ viri doctiſſimi notaverunt ad illud *Petronii*: *Quod purgamentum in nive calcaſti in trivio, aut cadaver?* Phædrus infra *Lib.* 4. De Canum legatis. *Rigalt.* Hic propoſitione omiſſa, pro *in trivio*, ſic *Fab. ſeq. Poſuit nido. Scheffer.*

Educatus] Nutritus. Vide quæ note infra *Lib.* 4. *Fab.* 17. *Scheffer.*

FABULA VIGESIMA OCTAVA.

Vulpis, & Aquila.



QUamvis ſublimes debent humiles metuere,
Vindicta docili quia patet ſolertiæ.
Vulpinos catulos Aquila quondam ſuſtulit,
Nidoque poſuit pullis, eſcam ut carperent.

Vulpis & Aquila] Æſop. *Fab.* 1. *Camerarius p.* 71. *Rigalt.*

Quamvis] Licet ſint ſublimes aliqui, tamen &c. Num potius *quamvis*, hic eſt *quantumvis*? Quomodo apud *Plautum*; *Quamvis ridiculus eſt, ubi uxor non adeſt.* Et *Varronem de Re Ruſt. Lucienus Senator, homo quamvis humanus & jocoſus introiens. Scheffer.*

Quamvis ſublimes] Inde Indorum ad Alexandrum legati apud *Curt. Lib.* 7. *Cap.* 47. *Leo quoque aliquando minimarum avium pabulum fit, & ferrum rubigo conſumit, nihil tam firmum eſt, cui periculum non ſit, etiam ab invalido.* Hinc Græcus ille verſus:

Ἔνεστι καὶ μύρμηκι καὶ σίδηρῳ χολή.

Nevelet. Intelligit autem per vocabulum *ſublimes*, potentes, honoribus, & dignitatibus inſignes, ita *ſublimiſſimi* judices dicuntur Præfecti Prætorio, Quæſtores, Magiſtri Officiorum, *l.* 37. §. *pen. l. pen. C. de appell.* Inde ſedes Prætoriana, *ſublimiſſima* appellatur in *l.* 14. *C. de judic.* L.

Patet] Ita *Cicero pro Balbo*: *Præmia patere* uſurpavit; *Injuriosum eſt, his præmiis excluſos eſſe fideliſſimos ſocios, quæ patean*t

teant ſtipendiariis, poteant hoſtibus, pateant ſæpe ſervis. Scheffer.

Suſtulit] Proprie de raptu avium, ex *Virgilio* 4. *Æneid.*

Qualis ubi aut leporem, aut candenti
corpore cygnum,
Suſtulit, alta petens, pedibus Jovis
armiger uncis.

Scheffer.

Poſuit] Dixi *Fab. præced.* poſt, *pullis*, comma eſt ſcribendum, nam cohæret cum *poſuit*, ut ſupra: *Illi liquidam poſuiſſe ſerbitionem. Scheffer.*

Eſcam ut carperent] Pro *eos*, quo eſca eſſent; *carpere* eſt *diſcerpere*, uſurpaturque de cibo, ſicut vel ex titulo *Carpianum*, apud *Iuvenalem Sat.* 9. *Verſ.* 110. intelligimus. *Ovid.* 3. *amor.*

Carpe cibos digitis, eſt quiddam geſtus
edendi.

Scheffer.

Hanc perſecuta mater, orare incipit,
Ne tantum miſeræ luctum importaret ſibi,
Contempſit illa, tuta quippe ipſo loco.

Perſecuta] Notat ſollicitudinem, & feſtinationem. *Terent. Phorm. Act.* 3. *Sc.* 3. *Quoquo hinc aſportabitur terrarum, certum eſt perſequi. Scheffer.*

Importaret] Afferret. Ita plane *Cicero Ægritudines importare*, dixit, 4. *Tuſcul.* Et pro *Sest. Tantam importare meis defenſoribus calamitatem. Scheffer.* In jure noſtro etiam inferre, intendere ſignificat, ſic *Importare actionem l. ult. §. ult. ff. de divort. Importare crimen l.* 14. *§. is demum. ff. de bon. libert. l.* 9. *§.* 1. *ff. de ſtatu liber.* Etiam irrogare, uti *Importare ignominiam l.* 5. *ff. de decurionib. Importare infamiam l.* 7. *ff. de publ. judic. l.* 22. *ff. de his qui not. infam.* L.

Vulpes ab Ara rapuit ardentem facem,
Totamque flammis arborem circumdedit,
Hoſti dolorem damno miſcens ſanguinis.
Aquila, ut periculo mortis eriperet ſuos,
Incolumes natos ſupplex Vulpi tradidit.

Ardentem facem] Puto otioſum, vel παρέλκον eſſe epitheton, magis mirè *Propert.* de amore:

Nam tibi non tepidas ſubdidit ille faces. Schop. Sed fellitur iterum *Olympius Grammaticorum*; fax enim nihil aliûd eſt quam fuſtis inciſus, & ita comparatus, ut flammam, ſi ita uſus poſtulet, concipere poſſit: ſaltem meminiſſe illius debuerat, quod à *Virgilio* 1. *Georgic.* ſcriptum eſt:

——*ferroque faces inſpicat acuto.*

Ejuſmodi ligna olim apud Græcos γαίβια vocabantur, ut oſtendit apud *Athenæum* Seleucus, quod & apud *Euſtathium* legere eſt p. m. d. lxxi. editionis Romanæ. *Fab.* Similia rectiſſime obſervavit & *Phraſcius*, quem vide. *Scheffer.* Eleganter *Sen. Troad. Verſ.* 40.

Meus ignis iſte eſt; ſacibus ardetis meis.

L.

Damno ſanguinis] Damno prolis, progeniei, fratres ὅμαιμοι, conſanguinei, *paternus maternuſque ſanguis, Cicer. Sanguinis pignus. Petron. Cognatus ſanguis, Martial.* 12. *Epigr.* 44. *Longus ſanguis. Juvenal. Sat.* 8. *Alius ſanguis. Hieron. Epiſt. ad Principiam.* Et pro *ſanguine*, *Caſſiodorus* elegantiſſime *venam* dixit, 3. *Var. Epiſt.* 6. *Seculis ſuis producit nobilis venæ primarios. Perſ. Sat.* 1.

Hæc fierent ſi teſticuli vena ulla paterni
Viveret in nobis? ——

Etſi magis videatur alludere ad *venam*, melioris ſexus notam, ut *Sat.* 6.

Ut tuus iſte nepos olim ſatur anſeris extu,
Cum moroſa vago ſingultiet inguine vena,
Patriciæ immetiat vulvæ. ———

Nec non & Satyrico more dixit Idem in *ead. Sat.*

——— *ô medici mediam pertundite venam.*

Sic in *Priapeis*:

Najades antiqui, Dryadeſque habuere Priapi:
Et quas tenta Dei vena ſubiret erat.

Horatius, Satyrica, eademque licentia *Sat.* 2. *Lib.* 1.

Nam ſimul ac venas inflavit tetra libido.

Et *Ovid.* 1. *de Arte amandi*:

Et Venus in venis, ignis in igne furit. *Rigalt.*

Miſcens] Tranſlatum à conviviis, in quibus miſceri potus dicitur, qui apparatur aliis, ſicut apud *Ciceronem de Finib. Miſcere mulſum alteri*, dicitur. Et ſic ille ipſe *Cicero in Catilin.* 4. *Ego magnum in Republ. verſari furorem, & nova quædam miſceri, & concitari mala, jam pridem videbam. Scheffer.*

Incolumes natos] Sanos, & ſalvos, ita *incolumes filij*, dicuntur *l.* 1. *C. de ſumpt. & recuper. Lib.* 10. *Quinque incolumium liberorum pater l.* 4. *ff. de muner. & honor. l.* 1. *C. de legationib. Cic. Lib.* 1. *de Invent. Nemo eſt, qui non liberos ſuos, & incolumes, & beatos eſſe cupiat. Incolumes ædes*, id eſt, integræ, non vitioſæ, *l.* 13. §. *cum inter. ff. de damn. infect.* L.

FABULA

FABULA VIGESIMA NONA.

Aſinus, irridens Aprum.



PLerumque ſtulti, riſum dum captant levem,
Gravi diſtringunt alios contumelia,
Et ſibi nocivum concitant periculum.

Aſinus irridens Aprum] Hanc Fabulam refert *Camerarius*, verum *Phædri* nequitiam diſſimulat, *pag.* 174. Fabularum ſcriptor ante centum annos Venetiis excuſus, & in Bibliotheca P. Petavii, V. C. & S. Victoris Pariſ. Manuſcriptus:

Audet aſellus Aprum riſu tentare protervo:
Audet iners forti dicere, frater, ave,
Vibrat aper pro voce caput, nam verba ſuperbit
Reddere, ſed dentem vix tenet ira truncm.
Sua tamen iſta monet, vilem dens nobilis eſcam
Spernit, deſidia tutus es ipſe tua.
Non debet ſtolido lædi prudentia riſu;
Nec ſtolidus doctum debet adire jocis.
Rigalt.

Levem] Exiguum, parvum. *Scheffer.*

Diſtringunt] Sic infra *Lib. 4. ubi Phad. Naſute ſcripta diſtringis mea. Rittersh.* Verbum balneorum, quo utuntur ad ſignificationem deterſionis, quæ fit ſtrigili, & deſcribitur à *Mercurial. 1. Gym. Cap. 8.* Hinc ad frictiones transfertur, quæ fiunt acrimonia verborum. *Ovid. 2. Triſt.*

Non ego mordaci diſtrinxi carmine quenquam.

Ubi tamen pro *diſtrinxi*, politiſſima *Nic. Heinſii* editio, quam munere ipſius poſſideo, *deſtrinxi*, habet, ut in noſtro legitur. *Scheffer.*

Contumeliæ] Vide quæ de vocabulo hoc notavi ſupra, *Fab.* 3. *Verſ.* 15. L.

Nocivum concitant periculum] Sic miſericordiam nocivam dicit infra. *Plinius* quoque hoc voce utitur, & *Guntherus* meus: *Nocivum & petulans vulgus. Rittersh.* Idem eſt, quod nocens, noxium, damnoſum. Sic *Ovid. in Remed. Amor. Verſ.* 45. Ubi vide Notas *Heinſii* accuratiſſimas. *Scheffer.*

Aſellus, Apro cum fuiſſet obvius:
Salve, inquit, frater. Ille indignans repudiat
Officium, & quærit, cur ſic mentiri velit.

Frater] Notum illud *Horatii Epiſt. Lib.* 1.

——— *Frater, pater, adde;*
Ut cuique eſt ætas, ita &c. ———

Fab. Solennis formula ſalutationis inter æquales. *Scheffer.*

Repudiat Officium] Officium ſalutationis: *Sueton. Auguſt. Cap.* 27. & *Cap.* 52. *Ne quem officii cauſa inquietaret. Sidon.* 4. *Epiſtol.* 10. *Rigalt.* Officium aliquando eſt quod Gallice dicimus *la cour*, ut *faire ſa cour. Plin. Lib.* 1. *Epiſt.* 5. *Paucos poſt dies ipſe me Regulus convenit in Prætoris officio.* Gallice, *eſtant allé faire ma cour* &c. Ad quem locum adſcripta eſt interpretatio, ſed improbanda, (an potius, inquit, Scholiaſtes, quod tunc ego in Prætura officium Prætoris agerem) neque vero hæc à *Catanæo* viro docto ſcripta arbitror; ſed eſſe à ſcioli alicujus manu, qui alienum opus inquinarit, apud *Juvenalem* autem:

——— *Et præcedentia longi*
Agminis officia. ———

Pro iis ſumitur, qui officium faciunt potentioribus, eos ſolutant, deducunt &c. Apud *Phædrum* autem in *Prol. Lib.* 3.

Momentum ut hora pereat officii tui.

Debet explicari de officioſa divitum, magiſtratuum, & principum ſalutatione, licet à viris doctis aliter intellectum; ſed ὄνος φθονῶ. Ita apud *Horatium in Epiſt.* Ubi de Ariſtippo:

Officium facio; ———

Gallice, *je fay ma cour aux grands*: At vero in hac Fabula *officium* nil aliud eſt, quam quod dicimus, *civilité des paroles*, vel *compliment. Fab.* De tali officio, & ſalutatione *Martialis*:

Mane ſalutatum venio, tu diceris iſſe
Ante ſalutatum, jam ſumus ergo pares.

L.

Velit] Nec abundat, nec deſtinatum conſilium denotat, quod vult *Phraſcius*, ſed eleganter arguit impudentiam. Plane ſicut Germani dicunt; **wie magſt du doch diſes thun.** *Scheffer.*

Aſinus demiſſis pedibus; ſi ſimilem negas,
Tibi me eſſe, certe ſimile eſt hoc roſtro tuo.
Aper cum vellet facere generoſum impetum,
Repreſſit iram, &; facilis vindicta eſt mihi,
Sed inquinari nolo ignavo ſanguine.

Demiſſis pedibus) *Plautina*, & *Ciceroniana* locutio. *Rittersh.* Sed omnino legendum, ex vetuſtiſſimo codice, *dimiſſo pene*: Aſinus ſcilicet diſtento immani, & vaſto faſcino, ſimile illud eſſe, ait, apri roſtro. Aſelli homines bene peculiati, eaque voce luſit etiam Quartilla apud *Petron. Satyr. Hodie poſt aſellum diaria non ſumo. Juvenal. Sat.* 9.

——— *alium bipedem ſibi quærit*
aſellum.

Vide Vet. Interp. Et *Fab. Aſinariæ Paſiphaës*

phaës *Aſ. Aurei* 10. *Puellæ quoque ſive cinædorum chorus, aſinum maritum ſuum vocant. Miles.* 8. *Rigalt.*

Hoc roſtro tuo] Hoc, id eſt, penis. Roſtro autem, propter eminentiam glandis: hactenus enim inter ſe conveniunt optime: ſed hæc fœda. Illud *hoc*, cum ſono eſt pronunciandum, nam habet vim demonſtrantis, & velut digitum intendentis. *Scheffer.* In hunc ſenſum eleganter *Perſ. Sat.* 1. *Verſ.* 42.

At pulchrum eſt digito monſtrari, & dicier hic eſt.

Et *Juvenal. Sat.* 1. *Verſ.* 161.

Accuſator erit, qui verbum dixerit, hic eſt.

L.

Generoſum] Dignum genere ac ortu ſuo. *Cicero in Bruto: Vox, motus, forma quoque magnifica & generoſa.* Sic *Generoſi diſcipuli* apud *Cornel. Nep. in vita Attic. Cap.* 1. *Scheffer.*

Inquinari nolo ignavo ſanguine] Talis apud *Guntherum* noſtrum *Lib.* 2. *Verſ.* 486. Deſcribitur generoſus Leo:

——— *Spernitque minori*
Tingere cæde genas, & vili ſanguine paſci.

Ritterſh. Hic idem eſt ac ſi dicat ignavi animantis ſanguine. *Ignavus* autem hic imbellis invalidus, ita ſupra, *Fab.* 21. *Scheffer.* Hoc ſenſu Cæſar ad milites, apud *Lucan. Lib.* 5. *Verſ.* 358.

——— *Diſcedite caſtris:*
Tradite noſtra viris, ignavi ſigna Quirites.

Idem *Lib.* 1. *Verſ.* 514.

——— *facilem venturo Cæſare prædam*
Ignavæ liquere manus. ———

Poſſet etiam non incommode pro vili, & abjecto, ſumi, præcedit enim: *Generoſum impetum*, & jam: *Inquinari nolo ignavo ſanguine*, id eſt, vili, & abjecto cui illud vocabulum *generoſum* opponitur, *Lucan. Lib.* 4. *Verſ.* 185.

Ne lucrat pavidis ignava accumbere morte.

Id eſt, turpi, & abjecta. L.

FABULA TRIGESIMA.

Ranæ Metuentes Taurorum Prælia.

HUmiles laborant, ubi potentes diſſident.
Rana in palude pugnam Taurorum intuens,
Heu quanta nobis inſtat pernicies! ait,
Interrogata ab alia, cur hoc diceret,
De Principatu cum illi certarent gregis,
Longeque ab illis degerent vitam boves.

RAnæ metuentes Taurorum prælia] Vide *H. rat. Lib. 2. Sat. 3. Rigalt.*

Humiles laborant] Prudenter apud *Juſtinum* Philippus ait, *Lib. 29. Cap. 3. Cernere ſe quam cruenta, & ſanguinaria inter ſe bella utrique populi, & viribus copiarum, & ducum actibus gerant: quæ rabies finiri ſolo partis alterius interitu, ſine ruina finitimorum non poſſe. Nevel.* Sic *Horat. Epiſt. Lib. 1. Epiſt. 2.*

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Homer. Iliad. A. Verſ. 9.

—— ὁ γὰρ βασιλῆϊ χολωθεὶς
Νοῦσον ἀνὰ στρατὸν ὦρσε κακὴν
(ὀλέκοντο δὲ λαοὶ)

L.

Pugnam Taurorum] Quomodo tauri ſuper excellentia, & principatu armenti decertare ſoleant, & victus in ſilvam, ac ſola loca ſeſe proripiat, ubi vires recuperet, ex pluribus auctoribus docui ad *Oppianum*: Vide *Stat. Papin. Lib. 2. & 12. Thebaid. Rittersh.*

Gregis]

Gregis] Gregem κατ' ἐξοχὴν dixit, pro armento. *Rittersh.* Et sic *Cicero* aliique. Et principatus gregis, est principatus, seu regnum in gregem, vide supra ad *Fab.* 15. *Scheffer.*

Ratio est separata, ait, ac diversum genus,
Expulsus regno nemoris, qui profugerit,
Paluats in secreta veniet latibula,
Et proculcatas obteret duro pede;
Caput ita ad nostrum, furor illorum pertinet.

Ratio est separata] An legendum, *natio est separata?* Sic videtur doctissimo viro, & in pecoribus natio dicitur. *Rigalt.* Et eleganter de bovibus usurpatur. *Festus*, sive *Paulus*: *In pecoribus quoque bonus proventus fœturæ bona natio dicitur. Scaliger* hoc loco: *præterea vult, nequenationem tantum de hominibus, sed & de pecoribus dici, quod non sine Græcorum imitatione dictum est.* Ut *Homerus Odyss. Scheffer.*

Regno nemoris] Non dubium, quin ex *Virgilio*, de tauro victo, 3. *Georgic.*

Et stabula aspectans, Regnis excessit avitis.

Et in 12. *Æneid.*

——— *mussantque juvencæ,*
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.

Fab. Regnum gregis, dixit *Silius Italicus Lib.* 16. *Punic.* Eadem in re:

Abditus in sylva, stabulis cum cessit ademptis,
Amisso tauro, regno gregis. ——

Regnatorem itidem agelli, dixit, *Martial. Lib.* 10. *Epist.* 61.

Quisquis eris nostri, post me regnator agelli.

Nevel. Nemus, proprie est sylva pecori alendo, vide *Varr. de Ling. Lat. Scheffer.*

Secreta veniet latibula] Plene, vulgo secreta ponunt absolute, sunt autem loca remota a quotidiana conversatione. Sic *Horat. Loca secreta*, & *Columella*, *Pabulationes secretas* dixere. *Scheffer.*

Obteret] Id est, opprimet, de quo dixi supra, *Fab.* 1. *Vers. ult.* Ut, *Si mulæ alienum hominem obtriverint l.* 8. *ff. ad leg. Aquil.* Sic *Vehiculo obtritus l.* 5. §. *ult. ff. de cond. cauf. dat.* L.

Ita] Hoc modo, hac ratione, respicit priorem interrogationem, quare sc. ac quomodo ipsis tantum malum possit imminere. *Scheffer.*

Pertinet] Eleganter, eo usque velut se porrigit, nempe quia sermo est de capite, ac antecessit: *Longeque ab illis degerent. Scheffer.*

FABULA

FABULA TRIGESIMA PRIMA.

Milvius, & Columbæ.

QUi ſe committit homini tutandum improbo,
Auxilia dum requirit, exitium invenit.
Columbæ, ſæpe cum fugiſſent Milvium,
Et celeritate pennæ vitaſſent necem,
Conſilium raptor vertit ad fallaciam,
Et genus inerme tali decepit dolo:

Milvius & Columbæ] *Camerarius p.* 182. *Rigalt.*

Pennæ] Singularis, pro plurali: alas intelligit, atque ita ſolent Poëtæ, *Seneca* in *Oedipo*:

——— *Levis penna ſecat alta cœli.*
Scheffer.

Conſilium] Vim ingenii, facultatem conſultricem innuit, *Cicero* eodem modo in *Catilin.* 3. *Erat ei conſilium ad facinus aptum, conſilio autem neque lingua, neque manus deerat. Lucret. Lib.* 3.

Primum animum dico, mentem quem ſæpe vocamus,
In quo conſilium vitæ, regimenque locatum eſt.
Scheffer.

Fallaciam] Dolum, fraudem, & calliditatem ſignificat, quomodo etiam uſurpatur in *l.* 1. §. 1. *ff. de dol. l.* 7. §. *dolo. ff. de pact.* Sic, *Per fallaciam ablatum l.* ;. *ff. de pignerat. Per fallaciam cohæredis l.* 9. § *qui per. ff. de tranſact Fallacia evadere l.* 26. *ff. de capt. & poſtlim. rev. Ultro juvando,*

rando, vel alia quadam fallacia perſuaſerit l. 23. ff. de dol. Fallacia venditorum | *Edictum Ædilium occurrit l. 37. ff. de Ædilit. Edict.*, id eſt, dolo, & fraudi. L.

Quare ſollicitum potius ævum ducitis,
Quam regem me creatis, icto fœdere,
Qui vos ab omni tutas præſtem injuria?
Illæ credentes, tradunt ſeſe Milvio;
Qui regnum adeptus cœpit veſci ſingulas,
Et exercere imperium ſævis unguibus,
Tunc de reliquis una: merito plectimur.

PHÆDRI, AUGUSTI LIBERTI, LIBER PRIMUS EXPLICIT.

Singulas] Unam poſt alteram *ſingulas*, pro *ſingulis*, & ſic *Tacitus*, & alii loquuntur, ipſe *Virgilius* quem vix dubito quin, ut alias, ſic hic reſpexerit, ita enim legitur in libris antiquiſſimis, *Pierio* teſte, *Lib. 3. Æneid.*

Quid puer Aſcanius? ſuperatne, & veſcitur auras?

Scheffer.

Plectimur] Id eſt, punimur, *l. 29. §. plectitur. ff. ad leg. Jul. de adult.* Sic *Plecti pœna* dicitur in *l. 13. C. qui accus. non poſſ. l. 4. ff. de cuſtod. & exhib. reor. l. 52. ff. ad leg. Cornel. de fals. l. 1. ff. ad leg. Jul. ambit. l. ult. ff. de term. mot. Capite plecti l. 7. C. ad leg. Fab. de Plagiar.* id eſt, capitis pœna. L.

EXPLICIT] Solebant veteres in fine librorum ſcribere, EXPLICIT: ſignificare volentes perventum eſſe ad finem voluminis, quod plane *explicuerunt* eſſet, & *evolutum Hieronymus* ad Marcellam: *Solemus, completis opuſculis, ad diſtinctionem rei alterius ſequentis, medium interponere*, EXPLICIT, *aut*, FELICITER, *aut aliquid ejusmodi.* Quod & nos quoque lector, huic capiti adponemus, ut ad ſecundum tranſeamus. *Fab.*

PHÆDRI

PHÆDRI,
AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI,
FABULARUM ÆSOPIARUM,
LIBER SECUNDUS.

PROLOGUS.

EXemplis continetur Æſopi genus,
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Acuatque ſe diligens induſtria.
Quicunque fuerit ergo narrandi locus,
Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum,
Re commendatur, non auctoris nomine.

CONtinetur] Id eſt ad modeſtiam revocatur, & in officio continetur; idem enim hic quod Græcis κρατεῖται, continere ſignificat, reprimere ſcilicet cohibere, moderari, temperare, coërcere, atque ita *Juvenal. Sat. 5. Vers. 99.*

— *Nam*

—— Nam dum se continet Auster,
Dum sedet, & siccat madidas in carcere pennas
Contemnunt mediam temeraria lina Charybdim.

Et *Sat.* 10. *Vers.* 80.

—— Nam qui dabat olim
Imperium, fasces, legiones, omnia, nunc se
Continet, atque duas tantum res anxius optat,
Panem, & Circenses ——

Ita uxor maritum, & contubernalis villicum *continere*, id est in officio retinere, & ad modestiam revocare dicitur. Vide *Columell. Lib.* 1. *Cap.* 8. Hinc continens, pro abstinente, & integro, cujus contrarium est incontinens. *Lactant. Lib.* 3. *Da libidinosum, adulterum, ganeonem, jam sobrium, castum, continentem videbis.* L.

Æsopi genus] *Genus Æsopi*, significare arbitror, eam scribendi rationem (δι' ἀπολόγων scilicet) qua utebatur *Æsopus*. ita in *Prolog. Lib.* 4.

Usus vetusto genere, sed rebus novis.

Ubi τὸ *genus* nihil esse aliud queat, quam via, scribendi ratio, μέθοδος, quemadmodum apud *Terentium*, quem aliquando, adsit modo Ιασὼ, libello Commentario ornabimus,

Olim isti fuit generi quondam quæstus apud seclum prius.

Scimus quidem dici Græce Ἱστοριγράφων γένος pro Historicis ipsis apud *Diodorum*: & apud excerptorem *Athenæi*, ἀοιδῶν γένος, pro ἀοιδοὶ, quemadmodum dixit, alicubi *Phædrus*:

Nunc Fabularum cur sit inventum genus.

(ubi *Fabularum genus*, ipsæ Fabulæ sunt) ita *Ardelionum natio*, pro ardeliones: Sed si quis dici posse existimet *Homeri genus*, pro *Homero*, ipso, & *Phædri genus*, pro *Phædro*, fallitur: id enim verum esse, non potest, nisi in nominibus multitudinis, aut quæ speciem aliquam includant; Quamobrem non possum facere, quin improbem, *N. Rigaltij V. C.* explicationem, qui *Æsopi genus*, pro *Æsopo*, dici vult, ceterum istud *Continetur*, nihil aliud est, quam constat, *Cicero*: *Dis non venis, & nervis, & ossibus continentur, nec escis vescuntur. Fab.* Aut, absolute pro continetur in officio, coërcetur, docetur, ita *Cicero Tuscul.* 4. *Regere, ac continere appetitiones animi*, dixit. *Scheffer.*

Nec aliud quidquam] Supra dixit, *Phædrus*:

Duplex libellis mos est, quod risum movet,
Et quod prudentis vitam consilio monet.

Nevelt.

Locus] Fortè *jocus*, nam & alibi, *Fictis jocis. Rittersh.*

Capiat aurem] Delectet, teneat, eleganter, propter vim oblectandi, quæ est in Fabulis, *Cic. in Orat. Nimis insidiarum ad capiendas aures adhibere videtur. Scheffer.* Ita & infra Noster in *fin. Lib.* 4.

Quare, Particulo, quoniam caperis Fabulis.

Id est, delectaris. L.

Equidem omni cura morem servabo Senis:
Sed si libuerit aliquid interponere,
Dictorum, sensus ut delectet varietas;
Bonas in partes, lector, accipias velim.
Ita sic rependet illi brevitas gratiam,
Cujus verbosa nescit commendatio.

Senis] *Æsopum* intelligit, sic infra *Lib.* 3. *Fab.* 3. *Naris emunctæ Senex. Scheffer.*

Dictorum] Specialius intelligit facetias, jocos, imo ipsas Fabulas. Sensus est: velle quidem se eas persequi quas habet *Æsopus*, aliquando tamen inserere, quas ipse invenerit; & talis à *Phædro* primum excogitata Fabula est quinta hujus Libri.

Plane

Plane ſic accepit locum hunc & N. *Heinſius*, quod gaudeo. *Scheffer.*

Senſus ut delectet varietas] Ut ſimilitudo faſtidium gignit, ſic varietas delectationem adfert, in quovis rerum genere, vide *Symmachum*. *Rittersh.* Hoc autem vocabulum à Pictoribus in ſuos uſus tranſtulit Poeta: *Varietas* enim proprie in diſparibus coloribus dicitur, cum transfertur in multa diſparia, ait *Cic. Lib.* 2. *de Finib.* Atque ita metaphorica ſignificatione ICtis. noſtris uſurpatur, ut, *Poſt multas varietates obtinuit* &c. *Poſt multas varietates placuit l.* 55. §. *ult. ff. de legat.* 2. L.

Ita ſic] Tale eſt illud *Ergo igitur*, quod *Apulejo* valde frequens, & apud *Arnobium* quoque noſtrum occurrit. *Meurs.*

Rependet illi brevitas gratiam] Quia χάρις βαιοῖσιν ὀπηδεῖ, ſed tamen & brevitate nimia quoſdam offendi ſcribit, *Lib.* 3. *Fab.* 10. *Rittersh.*

FABULA

FABULA PRIMA.

Juvencus, Leo, & Prædator.

Attende cur negare cupidis debeas,
Modestis etiam offerre quod non petierint.
Super Juvencum stabat dejectum Leo,
Prædator intervenit, partem postulans:

JUvencus] Vide *Avien. Fab.* 18. & 28. *Rigalt.*

Attende cur negare] Archelai egregium factum, de quo *Plutarchus* in *Apophthegm.* Ἀρχελαος αἰτηθεὶς παρὰ πότον ποτήριον χρυσοῦν ὑπὸ τινας τῶν συνήθων, οὐ μὴν ἐπιεικῶν, ἐκέλευσεν Εὐριπίδῃ τὸν παῖδα δοῦναι, θαυμάσαντος δὲ τοῦ ἀνθρώπου, Σὺ μὲν γάρ, ἔφη, αἰτεῖν, οὗτος δὲ λαμβάνειν ἄξιος ἐστι, καὶ μὴ αἰτῶν. *Nevelet.*

Modestis] Opponuntur hic *cupidis*, petacibusque, ac intelliguntur tales, qui modicis sunt contenti, *Donatus* apud *Terent. Hec. Act.* 4. *Sc.* 1. *modeste*, interpretatur, *adhibito modo. Scheffer.*

Stabat] Dixi supra *Lib.* 1. *Fab.* 27. Nisi quod hic simul signum sit victoriæ; ideo & tali habitu depinguntur victores. Consule *Barth. Lib.* 8. *Advers. Cap.* 13. & *Lib.* 18. *Cap.* 2. David quoque in *Ps.* 90. *Super Aspidem, & Basiliscum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem. Ovid.* 11. *Metam. Vers.* 552

——— *spoliisque animosa superstans*
Unda velut victrix, sinuatas despicit undas.

Sic enim optime Nob. *Heinsius* ibi scribit. *Scheffer.* Eleganter *Sen. Troad. Vers.* 22.

Stat avidus victor, & lentum Ilium,
Metitur oculis. ———

Dejectum] Proprie de victis. *Cornel. Nep. Thras. Cap.* 3. *In secunde prælio cecidit Critias, hoc dejecto Pausanias venit Atticis auxilio.* videtur & venatorum esse verbum, & solet fere talis ferarum captura, venatio vocari, *Curt. Lib.* 8. *Cap.* 1. *Ille quatuor millibus ferarum dejectis, in eodem saltu epulatus est. Virgilius* quoque, quem forte respexit, 3. *Georgic.*

——— *& sibila colla tumentem:*
Dejice. ———

De venatione anguis loquitur. *Scheffer.* Alias etiam per vim majorem prosternere significat, ut: *Dejecta arbores vento, vi ventorum & turbine l.* 12. & *l.* 19. §. *ult. ff. de usufr. l.* 55. §. 1. *ff. de legat.* 3. §. *cum autem. Inst. de empt. & vend. Dejecta vento tegula l.* 24. §. *Servius. ff. de damn. infect. Dejecta spica in messe l.* 30. §. 1. *ff. de Verb. Sign. Dejecti termini l.* 4. §. *sed etsi. ff. fin. regund.* Ita & *Juvenal. Sat.* 13. *Vers.* 119.

Annosam si forte nucem dejecerit Eurus.

Et *Liv. Lib.* 2. *Dejectam cum stramento segetem* dixit. L.

Partem petulans] Quasi inventi titulo, infra *Lib.* 5. *Rigalt.* Quo dimidiam sibi deberi contenderet. Vide §. 39. *Inst. de rer. divis.* & de variis legibus & moribus circa inventa vide *Grot. de jure Bell. ac Pac. Lib.* 2. *Cap.* 8. *Peregr. de Jure Fisci Cap.* 2. Observandum vero hic partis appellatione si non sit portio aliqua specialiter adjecta, dimidiam intelligi *l.* 164. *ff. de Verb. Sign. l.* 43. *ff. de usufr.* Proinde, *si interrogatus quis in jure heredem se ex parte responderit, si ex dimidia heres sit, nihil ei nocet responsum, alioquin nocet. l.* 12. §. *si interrogatus. ff. de interrog. in jur. fac.* Adde *Ulpian. Tit.* 25. *Regular. l.* 29. *ff. pro soc.* L.

Darem, inquit, nisi soleres per te sumere,
Et improbum rejecit. Forte innoxius
Viator est deductus in eundem locum,
Feroque viso retulit retro pedem.

Rejecit] Verbum hoc juris erat, quod significabat recusare, seu repudiare judices, ut frequentissimum est in *Orat. in Verr.* 34. & 5. *Plin. Paneg. Traj. Sors & nova fisco judicem ad signat, licet rejicere, licet exclamare hunc nolo. Cic. in Vatin.* *Et quoniam crebro usurpas legem te de alterius consiliis rejiciendis tulisse.* Et post: *Commodiorem inimico suo contentionem rejectionis dari noluisse.* In Lexico *B. Germani, Rejectio* ἀποβολὴ, ἀπόληξις χειρῶν. Sic etiam miles *rejici militia* dicitur *l.* 6. §. *quia. ff. de re milit.* & *rejici castris l.* 29. *ff. de liber. caus.* L.

Innoxius] Active, pro eo, qui nemini nocet, ut opponatur *improbo*, id est, violento, sic *innoxium serpentem* dixit, *Virgil. Æneid.* 5. *Scheffer.*

Deductus] De eo qui forte fortuna incidit in tale quidpiam. Sic *Deductus in casum* apud *Cæsarem*, 2. *de Bell. Belg. Scheffer.*

Retulit retro] Geminationem hanc bonis auctoribus familiarem esse docet *Is. Casaub. Animadvers. in Sueton.* Et *Brisson. Lib. Pareng. sing. Rittersh.* Poterat oratio carere ista vocula, *retro*, sed ejusmodi pleonasmi veteris elegantiæ sunt; ita *Terentius: Ante præcepisse.* ita *Subtristius aliquantulum*, ita *Perparce nimium.* Scio quidem Priscianum aliter citare, nempe *pernimium*; sed hoc loco audiendus non est. *Fab.* Imitatio Virgiliana est, *Virgil. Lib.* 9. *Æneid.*

Haud aliter retro dubius vestigia Turnus.

Improperata refert. ———

Usurpatur eleganter de ambiguo, & incerto. *Scheffer.* Hoc modo *Retro restituere* dixit ICtus in *l.* 6. *ff. de fideic. libert. l. ult.* §. *ult. ff. de publican.* & *Retrorsum se actio referre l.* 18. §. 1. *ff. de pecun. constit.* Item *Retrorsus reducere l.* 42. §. 1. *ff. de pecul.* L.

Cui

Cui placidus ille: non eſt quod timeas, ait:
Et quæ debetur pars tuæ modeſtiæ,
Audaciter tolle, tunc diviſo tergore,
Silvas petivit, homini ut acceſſum daret.
Exemplum egregium prorſus & laudabile,
Verum, eſt aviditas dives, & pauper pudor.

Non eſt, quod] Pro, non eſt quicquam in cauſa propter quod; Ellipticum genus, optimis ſcriptoribus familiare, de quo vide *Voſſ. Conſtr.* 19. *Scheffer.*

Audaciter] Abſque timore, aut perturbatione, libere, *Plaut. in Mil. Act.* 3. *Sc.* 2. *Age, loquere audaciter mihi.* Bono ſenſu. *Scheffer.* Sic *audenter* dixit ICtus in *l.* 29. §. *videndum. ff. de Liber. & poſth.* & *l.* 1. §. *ult. ff. Si pars hereditis pet.* L.

Verum] Hoc vult: Licet ſit laudabile præſens exemplum, pauci tamen id ſequuntur, nempe quia paupertas cum pudore juncta eſt; at qui avidi ſunt, divitias, & cum eis cætera conſequuntur. *Scheffer.*

FABULA SECUNDA.

Anus diligens Juvenem, item Puella.

A Feminis utcunque ſpoliari viros,
Ament, amentur, nempe exemplis diſcimus.
Ætatis mediæ quædam mulier non rudis
Tegebat annos, celans elegantia,
* * * * *
Animoſque ejuſdem pulchra juvenis ceperat.

ANus diligens juvenem] *Babrius, Cametrarius*, de Sene, & Concubinis illius: *Rigalt.*

A feminis ſpoliari viros] Spoliatricem amicam dixit *Martial. 4. Epigr. 22.*

Sic ſpoliatricem commendat Faſtus amicam.

Idem *5. Epiſt. 44.*

Diſpenſatorem fallax, ſpoliabit amica.

Plautus Menæchmis Scen.

——— *Anime mi.*

Meretrix tantiſper blanditur, dum illud quod rapiat videt.

Apud eundem *Trucul.* meretrix ait:

Probus eſt amator, qui relictis rebus, rem perdit ſuam.

At nos male agere prædicant viri ſolere ſecum,

Noſque eſſe avaras.

Tota inde Scena eſt in ejuſmodi narrationibus, *Epicteti:*

Nuda Venus picta eſt, nudi pinguntur amores:

Nam quos nuda rapit, nudos amittat oportet.

Sidon. Epiſt. 6. Lib. 9. Per rei familiaris damna

damna vacuatus, ut primum intelligere cœpit, & retractare, quantum de bonusculis avitis, paternisque sumptuositas domesticæ Charybdis abligurisset, quanquam sero resipiscens, attamen tandem veluti frenos momordit, excussitque cervices, atque Ulyxeas (ut ferunt) ceras, auribus figens, fugit adversum vitia surdus, meretricij blandimenta naufragij. Scite *Sidonius* meretricem appellavit domesticam Charybdim: optimeque ad *Sidonij* simul, & *Phædri* mentem dixit, *Nicetas Choniates, in Alex. Manuel. Com. filio, Lib. 2.* Καὶ τὸ τῆ Ἀχελώῳ ἄντικρυς ἐπεφέρετο, ὅ φησι, εἰς ὑπερβολὴν πόρνης πολλάκις μεταρρυέντα τὸ χεῖρον, καὶ πόντῳ συλλέγοντα μᾶλλον. *Codex Augustanus*: Εἰς χιλίαν πόρνης ἀφανίσθησαν χρήματα ὅσα διὰ πολλῶν ἡμερῶν. Bulga meretricis, ὑπερβολὴ χιλίας, cavum, fossa, specus, profunda vorago. *Rigalt.* Videsis *Plautum Curcul. Act. 1. Sc. 1. Martial. Lib. 2. Epigr. 50.* Technas, & fraudes mulierum detegit, quem vide. *Nevelet.* Hinc *Plaut. Curcul. Act. 1. Sc. 2.*

——— *Qui amat, si eget, misera*
afficitur
Erumna. ———

Et *Bacchid. Act. 1. Sc. 1.*

——— *istoc illecebrosius*
Fieri nihil potest, nox, mulier, vinum,
homini adolescentulo.

L.

Spoliari] Proprie & ἐμφατικῶς quasi exui, & undequaque distrahi. *Spolia* enim appellabantur pannicularia ea, quibus indutus erat quis cum ad supplicium deducebatur *l. 6. ff. de bon. damnat.* Unde locum illum in quo exui solebant, *Spoliarium* appellatum esse credo. *Plin. Paneg. Nunc templum, nunc vere Deum, non Spoliarium civium, cruentarumque prædarum sævum receptaculum. Lamprid. in Commod. Gladiatoris cadaver trahatur: Gladiatoris in Spoliario ponatur.* Et *Sen. Lib. 13. Epist. Nunquid aliquem tam cupidum esse vitæ putas, ut jugulari in Spoliario, quam in harena malit.* Et sic *spoliare* pannicularia ea, & vestes reorum exuere, quæ à lictoribus plerumque distrahi, & inter eos dividi solebant: Præses enim Provinciæ, ea pro lubitu illis donare, vel officialibus, vel militibus qui fortiter fecerunt, aut barbaros legationis causa ad se venientes inde munerari solebat, ut scribit *Ulpian.* in *d. l. 6. ff. de bon. damnat.* Quo ex loco obiter intelligimus qua juris specie milites vestimenta Salvatoris nostri crucifixi vindicaverint; haud dubie enim ea à Pilato, qui pro Præside tunc provinciis præerat, donata fuerunt *Ant. Matth. Tract. de Crim. ad Lib. 48. Tit. 17. Cap. 6.* Vide & *Matth. Euangelist. Cap. 27. Vers. 35.* Inde etiam *spolia* quæ cui latro abstulit vocantur, *l. 31. §. 1. ff. depos.* Et *spoliare* de sacrilegis, & latronibus dicitur *l. 22. §. qui eadem. & l. 26. §. non omnia. ff. mandat.* L.

Ament amentur] Id est, sive ament, sive amentur. *Rittersh.*

Nempe] Etiam hæc particula, ut aliæ nonnullæ, desumpta ex latinitate media, eleganter locum istum occupat, & vim habet affirmationis amplioris. *Scheffer.*

Ætatis mediæ] Sic *Plautus Aulul.*

Post mediam ætatem, qui mediam ducit uxorem domum.

Plura dixi *Suspect. lect. Lib. 4. Cap. 19. Schop.* Inter juvenilem & senilem Μεσαιπόλιον. Talem vocat *Longus in Pastoralib. p. 123.* Ubi vide quæ eruditissimus *Mollius* in nitidissima editione nupera notavit. *Scheffer.*

Tegebat annos celans elegantia] In *Epistolis Theophylacti Simocattæ Theano Euridice*: Ὁ φυσικός σοι κόσμος παρέχει, καὶ ῥυτίδων ἔχεις ἡ ὑπερέπεια· σὺ δὲ χαράττειν ἐπιχειρεῖς τὴν ἀλήθειαν ἐπιπλάστῳ κόσμῳ τὰς ἐχούσας ἐκφαυλίζειν· πειθάρχει κρύπτῳ σχεδίου· ἐπεὶ γὰρ ὑπερεπεῖς οἱ λειμῶνες ἐν μετοπώρᾳ τοῖς ἀνθεσι· μέμνησο καὶ θανάτου. *Rigalt. Tegebat*, expono, obtegebat, occultabat. *Annos* autem, ætatem inclinantem; sicut usurpatur *Lucretio Lib. 3. Marcet corpus annis*; quanquam ne quid dissimilem scripsisse noster *canos* videatur; erat primo *anos*, omissa prima litera, ut fit ob similitudinem proxime præcedentis. Id alius mutabat in *annos*. Tegere sic usurpavit quoque *Nepos in Vita Dionis Cap. 1. Crudelissimum nomen Tyranni, sua humanitate tegebat.* Sic enim, non *lenichat*, legitur in

Cod. M. S. notæ optimæ, quem dono ſibi à me traditum Vir. Cl. *Jo: Henr: Boeclerus* in adornationem tertiæ, ac optimæ editionis non ſine fructu multiplici adhibuit, ac ille ipſe eſt, cujus meminit in Præfatione ad Lectorem. *Scheffer.*

Elegantia] Puto cultum, & ornatum intelligere, ut apud *Plautum* accipitur, *in Prol. Mercat.*

Nec pol profecto quiſquam ſine grandi malo
Præterquã res patitur ſtudet elegantiæ.
Scheffer.

Juvenis] *Juvenula*, puto autem hæc duo diviſim eſſe accipienda, velut poſita Ellipſi, pro *pulchra*, & *juvenis*, nam *juvenis* in femineo genere non invenitur. Vide *Voſſ. de Anal. Cap.* 15. *Scheffer.*

Ambæ videri dum volunt illi pares,
Capillos homini legere cæpere invicem.
Qui ſe putaret pingi cura mulierum
Calvus repente factus eſt. Nam funditus
Canos Puella, nigros Anus evellerat.

Pares] Similes, refertur ad externam ſpeciem. *Virgil.* 4. *Georgic.*

——— *paribus lita corpora guttis.*

Scheffer. Par etenim pro ſimili, & æquali in jure ſumitur ita *Par ſimiliſque cauſa* dicitur *l.* 4. *C. de tut. vel cur. qui Sat. non dedit.* Et, *Si par & dierum, & contractuum cauſa ſit. l.* 8. *ff. de Solut.* Item, *Paria delicta mutua penſatione diſſolvi. l.* 39. *ff. ſol. matr.* L.

Homini] Habet elegantem ſenſum, & quaſi cum commiſeratione infortunii dicitur. Sicut Germani: **Sie haben dem guten many das und das gethan.** Ita infra *Lib.* 3. *Fab.* 3. *Terent. Eunuch. Act.* 2. *Sc.* 2. *Ibi homo cæpit me obſecrare &c. Scheffr.*

Legere] Proprie ac eleganter hic, qua ſeligebant una canos, altera nigros evellendos, quomodo *Flores legi*, *Virgilio* dicuntur. *Ovid. de Arte Amandi Lib.* 2. *Verſ.* 666.

——— *Albentes jam legit illa comas.*

Vide N. *Heinſium*, Poëtæ ejus unicum reſtauratorem. *Scheffer.* Eadem ſignificatione *Legere glandem* dixit ICtus. in *l.* 1. *ff. de glande leg. Oleam*, *Cato de Re Ruſt. Cap.* 144. Sic *Plin. Lib.* 18. *Cap.* 31. *Uvam ſqualidam ne legito.* L.

Pingi] Id eſt, *ornari*; ſic infra: *Picte ſcribere*, eſt ornate ſcribere. *Rittersh.* Ita etiam apud Plautum. *Fab.*

Repente calvus factus eſt] *Babrius*: ψιλοθεὶς πᾶσιν αἰφνίδιος γάλως. *Rigalt.*

Canos evellerat] Congruit Hiſtoria Juliæ, evelli ſibi canos curantis, cui ſupervenit Auguſtus: ut eſt apud *Macrobium*. *Rittersh.*

Evellerat] Proprie de iis dicitur, quæ cum radicibus extrahuntur, ut *Evellere arborem ex fundo l.* 21. *ff. de uſu & uſufr. leg.* Et *Evulſæ arbores l.* 12. *pr. ff. de uſufr.* Vel quæ violenter, & non niſi lacerata, auferuntur, vel dejiciuntur, ſic *Evellere aliquid affixum ædibus. l.* 9. *ff. quod vi aut clam.* Et *Evolſa ſtatua de monumento l.* 2. *ff. de ſepulchr. viol.* L.

FABULA

FABULA TERTIA.

Æſopus ad Quendam, de Succeſſu Improborum.

LAcratus quidam morſu vehementis canis
Tinctum cruore panem immiſit malefico,
Audierat eſſe quod remedium Vulneris.

Lacratus quidam] *Plannd. Κυνόδηκτος. Rigalt.*

Vehementis] Fit *συνίζησις* primarum duarum ſyllabarum in unam: ut apud *Horat. 2. Epiſt. 2.*

Vehemens, & liquidus, puroque ſimillimus amni.

Et apud *Catullum*, de Nemeſi:

Eſt vehemens Dea, lædere hanc cavete.

Rittersh. Hic quaſi irati, rabioſi, vide *Gell. Lib. 16. Cap. 5. Rigalt.* Concitati ira, *Horat. 2. Epiſt. 2.*

——*poſt hæc vehemens Lupus, & ſibi, & hoſti,*
Iratus pariter, jejunis dentibus acer. Scheffer.

Immiſit] Id eſt, objecit, offam ſcilicet, ut canis mordere amplius deſineret. L.

Malefico] Proprie qui malum fecerat, qui morſu læſerat; ita *Varro Lib. 3. de Re Ruſt. Cap. 16.* De api: *Minime malefica, quod nullius opus vellicans facit deterius. Scheffer* Atque ita *maleficium* delictum, flagitium, crimen ſignificat *l. 52. §. ult. & l. 54. ff. pro ſoc. l. 5. §. heres quoque. ff. de oblig. & act.* Sic *Pœnas ob maleficia ſolvi magna ratio ſuadet l. 70. §. ult. ff. de fidejuſſ.* Et *Maleficia impunita eſſe non oportet l. 51. §. ult. ff. ad leg. Aquil. l. 18. §. 1. ff. de jud.* L.

Tunc ſic Æſopus: noli coram pluribus
Hoc facere canibus, ne vos vivos devorent,
Cum ſcierint eſſe tale culpæ præmium.
Succeſſus improborum plures allicit.

Tale] Tam bonum, magnumque. *Scheffer.*

Succeſſus improborum plures allicit] *Planudes*: Τῶν ἀνθρώπων οἱ πονηροὶ ἐυτυχέστερον μᾶλλον ἀδικεῖν παροξύνονται. *Rigalt.* Sed finem reſpicere oportet, & cogitare, quam ſit omnis illa, quæ videtur, felicitas momentanea; *Cito improborum læta ad perniciem ruunt.* Inquit, *Mimographus*, pulcherrimè. *Electra Euripidea*:

——— *Ne quis improbus, licet*
Felice greſſu primitus pergat bene,
Viciſſe ſua omne arbitretur ſe illico.
Exſpectet uſq; lineam dum ad ultimam
Perveniat, vitæque metam inflexerit:
Nam maximum jus falſa robur obtinet.

Quæ cum ſacrarum tabularum teſtimoniis mirifice congruunt. *Ritterſh.* Elegans in hujus Fabulæ argumentum extat de Hadriano Imperatore hiſtoria, qui in balneo veteranum quempiam, ſervuli penuria ſeſe marmoribus fricantem conſpicatus, eum ſervulis aliquot, & ſumptibus donavit. Quod reliqui veterani feliciter ceſſiſſe videntes, cœperunt & ipſi complures ſub oculis Imperatoris ſeſe marmoribus affricare, ut hoc modo Principis elicerent benignitatem. At ille, evocatis ſenibus juſſit, ut alius alium viciſſim defricarent, atque ita pueris nihil opus fore. Is jocus poſtea in vulgi Fabulam ceſſit. *Spartian. in Hadr.* L.

FABULA

FABULA QUARTA.

Aquila, Feles, & Aper.

AQuila in ſublimi quercu nidum fecerat,
Feles, cavernam nacta, in media pepererat,
Sus, nemoris cultrix, fœtum ad imam poſuerat,
Tum fortuitum Feles contubernium
Fraude, & ſceleſta, ſic evertit malitia.

Sublimi quercu] Pro in ſublimitate ejus, in ſummo ejus; quomodo Poëta vetus apud *Cicer. Tuſc.* 2.

——— *ex ſublimi vertice ſaxi.*

Ideo & mox ſequitur, *in media quercu*, quod ſimiliter eſt in medietate ejus. Adde *Lib.* 3. *Fab.* 13. *Scheffer.*

Cavernam nacta] Caverna arboris, cavum, rima, foramen, *Marius Victorin.* in 1. *Rhethor. Cic. Cap.* 75. Cavernam Clepſydræ dixit: *Aquam enim per totum diem exceperunt, tenuiſſima caverna defluentem. Rigalt.* Huic Feli perſimilis Macedo Philippus, apud *Juſtin. Lib.* 9. *Cap.* 2. *Gratiam fingere in odio, inſtruere inter concordantes odia, apud utrumque gratiam quærere, ſolemnis illi conſuetudo. Nevel.*

Sus nemoris cultrix] Forte, *nemoricultrix*, una voce compoſita, ut mox *Fab. ſeq.* alticinctos atrienſes habebimus. Sic *Catullus* Galliambo, ſilvicultricem cervam, & nemorivagum aprum dixit; *Ubi cerva ſilvicultrix, ubi aper nemorivagus.* Similis plane eſt illa *Publii* Mimographi compoſitio, qua ciconia ipſi pietaticultrix, in verſibus elegantiſſimis, quos retulit

tatulit *Petronius* in *Satyrico*:

Ciconia etiam grata, peregrina, hoſpita,
Pietaticultrix, graciliped, crotaliſtria,
Avis exul hiemis, titulus tepidi temporis,
Nequitiæ nidum in cacabo fecit meo.
Rittersh.

Fortuitum] Penult. longa, ut *Horat. 2. Carm. 15.*

Nec fortuitum ſpernere cespitem.

Sic gratuitus. *Rittersh.* Intelligit autem *Fortuitum contubernium* quod caſus & fortuna dederat, ſicuti *Fortuita mora* dicitur in *l. 26. ff. de fidei com. libert.* Quaſi quæ caſu, & forte fortuna ita obveniſſet, nulla ope, vel conſilio quæſita. L.

Contubernium] Συνοικιον. *Rigalt.* Vocabulum proprie militare, & è caſtris oriundum: manipulum enim militum ſignificat teſte *Veget. Lib. 2. Cap. 13.* Ubi centurias in contubernia diviſas fuiſſe ſcribit: ut decem militibus ſub uno Papilione degentibus unus quaſi præeſſet decanus, qui *Caput contubernii* nominabatur. Et ita vox hæc accipienda eſt in *l. 5 §. a Barbario. ff. de re milit.* Et apud *Sueton. in Jul. Cæſ. Cap. 11.* & 42. Rurſus que *in Calig. Cap. 10.* & *in Veſpas. Cap. 3.* Unde & commilitones, *contubernales* appellantur, à communibus tabernaculis *l. 183. l. 184. de Verb. Sign. l. 21. §. 1. ff. commod. l. 39. §. pen. ff. de legat. 3. l. ult. ff. de aur. & arg. leg. l. 2. C. ubi de ratiocin.* Atque ita à cohabitatione ſervi cum ancilla, *Contubernium* etiam ſervilem conjunctionem ſignificat *l. 23. C. ad leg. Jul. de adult.* Et inter ſerviles perſonas non matrimonium, ſed contubernium contrahi dicitur. Sic *Pedisſequa Actori ſervo in contubernio tradita* proponitur *l. 39. ff. de manum. teſtam.* Similique loquendi genere, *Perſonas contubernio ſibi conjunctas* veniſſe, dicit *l. 35. Ædilit. edict.* Unde quæ à ſervis in contubernio habentur, ſervæ, non uxores, aut conjuges, ſed contubernales appellantur. Sic *Colonorum, & ſaltuariorum contubernales l. 20. §. liberto. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg. Stichus cum contubernali ſua liber eſto l. 81. ff. de condit. & dem. l. 31. ff. de Statulib.* Ita *Columel. Lib. 1. Cap. 8. Sed qualiscunque villico contubernalis mulier aſſignanda eſt, quæ contineat eum, & in quibuſdam rebus adjuvet.* Imo etiam *Contubernalem villicæ*, pro marito, dixit idem *Columel. Lib. 12. Cap. 1.* & 3. L.

Everſit] Eo ſenſu, ſicut *Cicero, Evertere amicitiam*, uſurpat ſæpius, plus eſt, quam diſſolvit. *Scheffer.* Sic *Evertere ſtatuam Paul. Lib. 1. Sent. Tit. ult.* Et *Everſæ arbores in tempeſtate* dicuntur *l. 59. ff. de uſufr.* id eſt, *dejectæ*, ut *l. 12. ff. eod.* Ita *Plin. Lib. 10. Epiſt. 3. Cum everſione reliquæ dignitatis* dixit. *Evertere patrimonium l. 1. ff. ſi fam. furt. fec. l. 7. de curſ. publ. in Cod. Theodos.* id eſt, dilapidere. Unde *everſores* à *Gajo Lib. 1. Inſtit.* vocantur prodigi, qui finem & modum expenſarum non faciunt, ſed bona ſua dilacerando, & dilapidando profundunt ut loquitur *Ulpianus* in *l. 1. ff. de curat. fur. vel prod.* Sane *D. Auguſtinus* in *libris Confeſſionum* irriſores eodem nomine appellatos tradit. L.

Malitia] Dolo, & fallacia. *Malitiam* enim *Cic. Lib. 3. de Natur. Deor.* definit, *Verſutam & fallacem nocendi rationem*, & pro dolo uſurpatur *l. 1. ff. de dol.* Sic *Malitia fidejuſſoris l. 11. ff. quod met. cauſ. Malitioſe adire l. 8. ff. de edend.* & *Malitioſe verſari l. 9. ff. de pignor.* id eſt, fraudulenter. L.

Ad nidum ſcandit volucriſi pernicies, ait,
Tibi paratur, forſan & miſeræ mihi,
Nam fodere terram quod vides cotidie
Aprum inſidioſum, quercum vult evertere,
Ut noſtram, in plano, facile progeniem opprimat.

Miſeræ] Infauſtæ, infelici, quomodo ſæpe uſurpatur ab optimis: eleganter hoc addit, per fictionem metus, & ad commovendum affectum in Aquila. *Scheffer.*

Scheffer. Ita *Virgil. Lib. 2. Æneid.*

——— non ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.

Id eſt, infelicem. L.

Inſidioſum] Quomodo, *inſidioſum Aprum*, cum ſermo ſit, de ſue fœmina? Puto *Aprum* eſſe ex eo genere, quod vocant epicœnum, ſicut, *mulus, cervus*, & hujuſmodi, atque ideo efferri maſculine, licet fœminine intelligatur, ita *Virgilius*, lupum uſurpavit fœminino genere, *Ennii* exemplo, de quo ibi *Servius*. Et *Plinius*, de vitulo marino loquens *Lib. 9. Cap. 3. Hic parit in terra.* Et *Lib. 10. Cap. 51. Mus marinus parit ova. Scheffer.* Intelligit autem *inſidioſum*, callidum doloſum, qui Aquilæ, inſidias ad perniciem ſtruat, atque hoc modo *inſidioſa loca* dicuntur in *l. 36. §. 1. ff. de rei vind. l. 4. ff de mort. cauſ. donat.* Et *inſidioſe* quis *diſſimulare l. 43. ff. de contrab. empt.* Id eſt, callide, & fraudulenter. L.

Quercum] Elliptica oratio, ex conſuetudine metuentium, integra ſic ſe haberet; *Per id quod vides fodere, vult evertere*, id eſt, hoc eſt propoſitum ejus negocii, quod vides eam ſuſcepiſſe, per eam foſſionem vult, &c. *Scheffer.*

In plano] *Lib. 1. Epigr. Vet. 33.*

In plano tua ſemper ſit fortuna.

Sen. Nat. Quæſt. 6. Cap. 2. Quid porro? mors lenior in plano eſt? Planum ἐπιπεδον, ὁμαλον, *Planata ædificia, Plin. Plano pede inſtituta, Vitruvio. Rigalt.* Et ſic *planum* quoque *ſublime & editum* adverſantur. Unde *de plano opus facere*, & in machina operari, contrarie relata invenimus in *l. 5. §. plane ſi ſic commodavi. ff. commod.* Itaque *de plano cognoſcere interloqui, diſcutere* (quo genere loquendi utuntur noſtri in *l. 1. ff. de Conſtit. Princ. l. 9. §. de plano. ff. de offic. Proc. l. 6. ff. de accuſat. l. 11. §. ſexaginta. ff. ad leg. Jul. de adult.*) Significat *ex plano*, & *æquo loco* non ex ſuperiore cognoſcere, ut *Cic. pro Cæcin.* & *Lib. 3. Epiſt. Fam. 8.* & *Lib. 3. de Orat.* Loquitur, id eſt, non *pro tribunali*, ſed in via, in tranſitu, cum vel lavandi, aut geſtandi, aut ludorum gratia magiſtratus prodierit *l. 7. ff. de manum. vind. §. ſervi autem. Inſt. de Libertin.* L.

Terrore effuſo, & perturbatis ſenſibus,
Direpit ad cubile ſetoſæ Suis,
Magno, inquit, in periculo ſunt nati tui;
Nam ſimul exieris paſtum, cum tenero grege,
Aquila eſt parata rapere porcellos tibi.

Terrore effuſo] Pertractatum hoc eſt, ſolere multas à quadrigis ad adfectus animi tranſlationes fingi; dicuntur *effuſæ quadrigæ*, cum feruntur prono impetu quadrupedes, nec audit currus habenas. Sic, *effuſa lætitia*, niſi quod fallor apud *Apuleium: effuſus riſus*, quare emendationem tuam, *Rittershuſi*, vereor ut cuiquam ſatis probare poſſim. *Schop.* Simili ſignificatione etiam hoc vocabulo uſus eſt Imperator in *l. 1. pr. C. de annal. except.* Ubi *Effuſe interpretari*, & in *l. ult. §. 1. C. ubi & apud quem cognit. in int. reſt. Ne quis ita effuſe intellectum noſtræ conſtitutionis audeat eſſe trahendum*, legimus. L.

Cubile] Sic *Lucret.*

——— inſtrata cubilia fronde.

Idem hic infra, de Panthera. *Schop.* Proprie, ita ſupra *Lib. 1. Fab. 19. Flagitare validum cubile cœpit. Scheffer.*

Setoſæ ſuis] Infra *Lib. 5. Fab. ult.* dixit:

——— objectus hiſpidi pugnæ Suis.

L.

Simul] Statim poſtquam exieris, *Livius*, *Qui ſimul in poteſtate veſtra erunt, extemplo omnia tradent. Scheffer.*

Paſtum] Reſpexit *Plautum* qui ſic *Moſtel. 4. Sc. 1. Ire vin, mula, foras, paſtum. Scheffer.*

Hunc

Hunc quoque timore poſtquam complevit locum,
Doloſa toto condidit ſeſe cavo.
Inde evagata noctu, ſuſpenſo pede,
Ubi eſca ſe replevit, & prolem ſuam,
Pavorem ſimulans, proſpicit toto die.

Complevit locum] Cubile Suis intelligit; ita *Cic. in Orat. Plangore, & lamentatione complere forum*, dixit. *Scheffer.*

Toto condidit ſeſe cavo] Toto, imò, ultimo, ſic *ſpeluncam ultimam Draconis* dixit, *Lib. 4. Fab. 18.* Et *Lib. 3. Fab. 1. Totis avida traxit naribus. Rigalt.*

Cavo] Supra *cavernam* dixit, *Plaut. Men. Act. 1. Sc. 2. Concede audaciter ab Leonino cavo. Scheffer.*

Evagata] Βαχεύειν, πλανητεύειν. *Rigalt.* Sic *Evagari ignis* dicitur in *l. 27. §. Si fornicarius. ff. ad leg. Aquil.* Eodemque modo *Evagatus & progreſſus ignis ulterius* in *l. 30. §. ult. ff. eod. L.*

Suſpenſo pede] *Arnob. 5. adverſ. Gent. Ibat pavens, ac trepidus, anhelitu oris preſſo, ſuſpenſis per formidinem greſſibus. Pſyche Miles. 5. Thoro delapſa, nudoque veſtigio, penſilem gradum, paulatim minuens. Pacat. Paneg. Th. A. Altorum vulnerum cicatrices, poſtquam cum ſanitate duxerunt, manu pendente tractabo. Rigalt.* Sic, *Suſpenſo gradu placide ire*, dixit *Terent. Phorm. Sc. O fortuna. Ovid. 6. Faſt.*

Et fert ſuſpenſos corde micante gradus.

Idem 1. *Faſt. gradus:*

ſuſpenſus digitis. ——

Virgil. Ciri:

Tum ſuſpenſa levans digitis veſtigia primis,

Stat. Papin. Lib. 5. Silv.

—— *aut leniter ſuſpenſo poplite tranſi.*

Sed & *ſuſpenſa manu* dixit *Plinius* in *Epiſtolis. Rittersh.* Locis à te, *Rittershusii* laudatis, addo *Lucretianum* de canibus earumque catulis:

At catulos blande cum lingua lambere tentant,
Aut ubi eos lacient, pedibus, morſuque petentes,
Suſpenſis teneros imitantur dentibus hauſtus.

Errorem in tertio verſu eſſe ajo, cum enim id quod à *Lucretio* deſcribitur, catulis ſuis faciunt canes, dic, quæſo, lector, quid tandem imitantur? nonne *veros* hauſtus? id eſt, nonne *revera* catulos ſuos diducto rictu, jam jam hauſturæ videntur? quod ipſum & Feles factitare videmus, ubi cùm parvulo grege ſeſe oblectare volunt legendum itaque eſt:

Suſpenſis veros imitantur dentibus hauſtus.

Fab. Pede *ſuſpenſo*, leni, tacito, ut ambulans non poſſit exaudiri. *Scheffer.*

Proſpicit] Velut, & ipſe non auderet egredi, ac obſervaret molimina Scrophæ. Abſolute. *Scheffer.*

Ruinam metuens Aquila, ramis deſidet:
Aper rapinam vitans, non prodit foras,
Quid multa? inedia ſunt conſumpti cum ſuis,
Feliſque catulis largam præbuerunt dapem,
Quantum homo bilinguis ſæpe concinnet mali,
Documentum habere ſtulta credulitas poteſt.

Deſidet] Pro ſimplici *ſedet*, vel *conſidet*, eleganter, ad ſubinuendam ignaviam ex pavore. *Terent. Hecyr, Act. 1. Sc. 3. Fruſtra ubi totum deſedi diem. Scheffer.*

Bilin-

Bilinguis] Sumpſit ex *Virgil. Lib.* 1. *Æneid.*

——— *Tyriosque bilingues.*

Ubi *Servius*: Bilingues, fallaces, *nec enim ad linguam retulit, ſed ad mentem.* Dubitatorem nonnemo exponit, minus apte. *Scheffer.* Græci vocant γλώσσαν δίπλην, de qua vide *Syrac. Lib. Sap. Cap.* 28. *Vers.* 15. & *ſeqq.* Et *Plautus* in *Pœnulo* Hanonem, ut bilinguem, dicit eſſe *Biſulca lingua*, quaſi ſerpentem beſtiam, quales erant Carthaginenſes. L.

Concinnet] E meliori Latio: *Concinnare* nil aliud hoc loco valet quã *facere. Plaut.*

——— *qui me inſanum dictis concinnat ſuis.*

Fab. Et ſic *Nonius* exponit alio loco *Plauti.* Puto tamen amplius quid hic inſinuare, nempe illam artem ſubdolam exornandi mendacia, & fraudes ſpecie egregia. *Scheffer.* Hinc *Concinnatores cauſarum* dicti in *l.* 9. §. 2. *ff. de offic. Procons.* Vide *Feſt.* in verbo *concinnare*, & *Alex. ab Alex. Lib.* 4. *Gen. dier. Cap.* 5. Ut & *Concinnatores criminum*, apud *Siden. Apollinar. Lib.* 3. *Epiſt.* 12. L.

FABULA QUINTA.

Cæsar ad Atriensem.

EST Ardelionum Romæ quædam natio
Trepide concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens
Sibi molesta, & aliis odiosissima.

Atriensem] Servi qui atrium observant & custodiunt, *Atrienses* dicuntur *l.* 15. §. 1. *ff. de usufr. l.* 8. *ff. de instruct. vel instrum. leg. l.* 203. *ff. de Verb. Sign.* & apud *Cicer.* 5. *Paradox.* Qui & *Atriarii* in *l.* 1. §. *caupones. ff. Naut. Caup. stab.* Vetus Glossarium Latino - Græcum, *Atriensis* διαιτάριος, διαιτάρχης. Et in *Lib.* 1. *de offic. Proconf.* Hanc significationem inveniri adnotat. Aliud Vetus Glossarium Latinum, *Atriarij*, seu *Atrienses*, *sunt custodes atrij.* L.

Est ardelionum] *Martialis* quoque in ardeliones lusit *Lib.* 2. & 4 *Sidon. Epist.* 20. *Lib.* 5. *Multi frequenter quas exsecrabilis popularitas agit, civium maximos manu prensant, èque consessu publico abducunt, ac sequestratis oscula impingunt, operam suam spondent, sed non petiti. Utque videantur in negotii communis assertione legari, evectionem refundunt, ipsosque sumptus ultro recusant, & ab ambitu clam rogant singulos, ut ab omnibus palam rogentur.* &c. Vide *Theophrast. Charact.* Περὶ κολακείας, & περὶ περιεργίας. *Rigalt.* Hi sunt, qui se omnibus negotiis immiscent, ab *ardendo*, dicti, quod pro *festinando* usurparunt veteres, *Nonio* auctore; itaque cum sint avidi negotiorum, inquietique, semperque cursitent, festinentque

nentque tanquam magni aliquid habeant ad agendum, ita nominantur. *Scheffer.*

Quadam natio] Id eſt, *genus*, velut ille in *Catalecta Virgilij*:

Scholaſticorum natio madens pingui.

Plura in hanc rem eaque oppido quam bona, videbis apud *Robertum Titium Libro Loc. Controv. 2. Cap. 18.* Qui laudat illud *Cicer. de Natur. Deor. Ita ſaltem iſtum, quo caret noſtra natio, in irridendis nobis nolitote conſumere.* In quibus verbis tamen pruriebam olim noſtrum officium facere, id eſt, quod iſti noſtri Critici ſolent, quæ non intelligebam corrigere, & *ratio* reſcribillare, quod ſcirem rationem à *Cicerone*, & ejus familiari *Lucretio*, dici ſectam, philoſophandi genus, ut *Lib. 1. Offic. Cynicorum vero ratio, tota eſt ejicienda, eſt enim inimica verecundiæ*, &c. *Schop. Cicero, Nationem candidatorum, pro Mur. Nationem optimatum, pro Sext.* dixit. Vide *Lib. 1. Fab. 30. Scheffer.*

Tripide] Cum dubitatione, ac incertitudine cauſæ & propoſiti, & ſic interpretatur *Servius ad Virgil. Æneid. 3. & 12. Trepidi, neſcientes quid agant. Scheffer.*

Concurſans] Huc illuc curſitans, notat multitudinem negotiorum, *Cicero in Verr. 5. Cæteri Prætores ubire Provinciam, & concurſare conſueverunt. Scheffer.*

Occupata in otio] ὀχύμωρον. Sic *Mimus*: *Amor otioſæ eſt cura ſollicitudinis. Rittersh.*

Gratis anhelans] Hic negotioſum, occupatumque denotat, qui ob diſcurſationes crebras ſpiritum ægre ducit. Sic *Virgil. Lib. 12. Æneid.*

——— *certamine Martis anheli.*

Gratis autem, *fruſtra* eſt, vel nullo cum fructu, nullo cum effectu, ut mox, *nihil agens. Scheffer.*

Multa agendo nihil agens] Movens, ſed nihil promovens, ut ait, *Terentius*, vel ut noſter intra, *Lib. 4. Fab. 21.*

Qui magna cum minatur, extricat nihil.

Eſt autem elegans hæc παρονομασία ardelionum, ut avari infra, *Lib. 4. Fab. 19. Rittersh.* Sunt etenim *ardeliones* iſti homines inquieti, ac jactabundi, qui omnibus ſe negotiis ingerunt, atque ultro citroque diſcurſant, miriſque utuntur geſtibus, manus jactantes togam modo dejicientes, modo reponentes, curioſi, contraque rationem officii ſui actuoſi: quos etiam ex oculis deprehendere licet, ex vultu, inceſſu, veſtitu, totoque corporis habitu, quorum ſingula variis modis componunt, atque immutant: aliamque perſonam ſubinde ſibi adſciſcunt, nempe vel hiſtrionis, vel palæſtritæ, aut denique agyrthæ, hoc eſt, circumforanei circumlatoris, qui ad nugas plebem convocat: qualem fuiſſe Attalum legimus, ad quem ſic ſcribit *Martial. Lib. 2. Epigr. 7.*

Declamas bene, cauſas agis, Attale, bene
Hiſtorias bellas, carmina bella facis.

Deinde ſubjungit:

Nil bene cum facias, facis attamen omnia bene,
Vis dicam quid ſis? magnus es ardelio.

Sic & *Lib. 1. Epigr. 30.*

Semper agis cauſas, & res agis, Attale, ſemper,
Eſt, non eſt quod agas, Attale, ſemper agis.

Ita Galli ſuo proverbio: *Tant d'affaires, point des beſoignes.* Græcis πολυπραγμων, qui ut videatur aliquid eſſe in omnibus, nihil eſt in ſingulis: *Nuſquam* enim *eſt, qui ubique eſt, Sen. Epiſt 2.* Dictos autem *ardeliones* exiſtimant alii ab *ardore*, & impetu, multa tentantis, nihil proſequentes; alii ab *ardeola*, avi quæ in volatu multum movet parum promovet. L.

Hanc emendare, ſi tamen poſſum, volo,
Vera Fabella, pretium eſt operæ attendere.
Cæſar Tiberius cum petens Neapolim
In Miſenenſem villam veniſſet ſuam,

Quæ

Quæ monte ſummo poſita Luculli manu,
Proſpectat Siculum, & proſpicit Tuſcum Mare.

Vera Fabella] Quaſi dicat, non fictis Fabulis, ut ſupra, *Lib.* 1. *Prol.* & infra, *hoc Lib. ubi Auctor.* & *Lib.* 3. *Prol.* Significat ſe hic veram expoſiturum hiſtoriam: unde & temporis & loci τοῦ ἱστορικοῦ addit. Tales narrationes veras, his Fabellis immiſcuit plures. *Rittersh.* Dixi *ad Præfat. Lib.* 1. *Scheffer.*

Attendere] Abſolute, pro attendere animum ad eam. *Scheffer.*

Cæſar Tiberius] *Sueton. in Tiber. Cap.* 27. *Rigalt.*

Miſenenſem villam] *Corn. Tacit.* 6. *Annal. Sueton. Tiber. Cap.* 72, 73. *Rigalt.* Expreſſe ad hanc rem *Tacitus Annal.* 6. *Mutatiſque ſæpius locis* (Tiberius) *tandem ad Promontorium Miſeni conſedit, in villa, cui L. Lucullus quondam dominus.* Eſt autem vicinum illud promontorium, *Monte Miſeno*, Italis. *Fab.*

Summo] Præpoſitione omiſſa, *Virgil.* 4. *Æneid.*

——— *ſummoque ulularunt vertice Nymphæ.*

Scheffer.

Poſita] Proprie de iis qui ædificant, *Varro Lib.* 1. *de Re Ruſt. Cap.* 12. *Dandæ operæ ut potiſſimum ſub radicibus montis Sylveſtris villam ponas.* Adde reliqua. Sic *Domos ponere*, dicit *Virgil.* 1. *Georgic.* Et 8. *Æneid. Ponere urbem. Balnearia ponere Cic.* 2. *Epiſt.* 1. *Scheffer.* Ita infra *Lib.* 3. *Fab.* 9.

Quæſo tam anguſtam, talis vir, ponis domum.

Et ICtus. in *l.* 37. *ff. de rei vind.* & *l.* 2. *ff. fin. regund. Ædificium ponere.* Et in *l.* 5. *ff. de rer. diviſ. Caſam in littore ponere.* Alia etiam ſignificatione, *ponere* plantare, & defigere ſignificat, ſic *Ponere arborem l.* 2. *ff. fin. regund. Si arborem ponat, ut lumini officiat l.* 17. *ff. de ſervit. præd. urban.* Et *Horat. Lib.* 2. *Ode* 13.

Ille & nefaſto te poſuit die
Quicunque primum & ſacrilega manu
Produxit arbos.

Vel ſtatuere; ſic *arbiter terminos poſuit l.* 44. *ff. de recept. arb. Virgil. Lib.* 12. *Æneid.*

Limes agro poſitus, finem ut diſcerneret agris.

Et *Ovid. Lib.* 2. *Faſtor.*

Limes erat poſitus finem ut diſcerneret agris.

Sic *Imaginem ponere l.* 7. *ff. de ann. legat. l.* 17. §. *ult. ff. de uſur.* At *Poſitum habere* in Edicto Prætoris quem ſenſum habeat vide *l.* 5. §. *ſupra ff. de his qui eſſud. vel dejec. Ubi corpus meum poſitum fuerit l.* 18. *ff. de alim. vel Lib. leg.* Id eſt, conditum. Plura huc congererat, cui id per otium licet. Nam infinitis aliis ſignificationibus vocabulum hoc in jure, & apud ICtos. uſurpatum reperies. L.

Luculli manu] Nota res eſt. De hujus ſubſtructionibus, & ædificiis magnificis vide, *Symmach. Lib.* 2. *Epiſt.* 59. ubi, *opera Lucullana*, Jam pridem de conjectura correxi. Idem *Lib.* 6. *Epiſt.* 71. *Quadam Lucullanis operibus æquanda feciſſe.* Et *Lib.* 7. *Epiſt.* 36. *Succeſſiſti in famam Luculli* &c. *Rittersh.* In prædicto autem *Symmachi* loco qui eſt *Lib.* 6. *Epiſt.* 71. *Siquidem ſermo detulit, quædam vos Lucullanis operibus æquanda feciſſe*, quaſi prætereundo moneo cum M. S. legendum: *ſermo diſtulit.* Hæc enim vis eſt præpoſitionis in verbo differre, ut ſignificet diſſipare, & in varias partes diſpergere, quomodo etiam *Rumorem didi, Virgilius* dixit. Cæterum ut ad *Luculli* magnificentiam revortar, idem ille urbi præfectus de ea innuerat *Lib.* 2. *Epiſt.* 59. Sed locus hodie peſſime adfectus eſt, & Genevenſis correctoris, ſi non ibi deliravit, at certe more ſuo dormivit acumen. Sic enim alios, ſecutus edidit; *Jacui apud Neapolim ſoli quod mihi ex tuo adjacet, optaveram & tu mecum operam Luculuma partires.* Ad quæ verba adſcripſiſti tu olim in *Prodromo* tuo *Rittershuſi*, quid hoc eſt verbi, vel monſtri potius? Forte legendum *luculentam*, vel, *opera Lucullana* ut infra *Lib.* 6. *Epiſt.* 71. & *Lib.* 7. *Epiſt.* 36. *Succeſſiſti in famam Luculli.* Notum hujus viri ædificandi ſtudium. Hæc tu olim, quæ ut mihi probentur ſcire cupis? Bonus tu quidem vates

vates esse poteras: Nam & ita fere in veteribus libris scriptum inveni. In *Giphaniano* quidem *operam Luculluna*. In illo vero qui Fuldæ blattis opimum præbet pabulum: *opera Luculuna*, quæ sane sagacem conjecturam tuam sartam tectam præstant. Sed sic nihilominus tamen multis etiam mendis scatet locus ille, quas cum aliis millibus ex isto agro suo tempre exonerabo. *Schop.* De Luculli hujus in ædificando sumptibus, & magnificentia est illud Horatii *Lib.* 3. *Carm.* 1.

Contracta pisces æquora sentiunt
Jactis in altum molibus. Huc frequens
Cæmenta demittit redemptor
Cum famulis, dominusque terræ
Fastidiosus. ———

Plura Historici suggerent, quos omnes evolvere, succisivum hoc temporis emolumentum non permittit. L.

Prospectat] Eleganter de ædificiis, cum huc, aut illuc frontem vertunt. *Columell. Lib.* 1. *Cap.* 6. *Æstiva cubilia spectent meridiem æquinoctialem, sed cænationes ejusdem temporis prospectent hybernum orientem. Scheffer.*

Siculum, Tuscum] Siculum à læva, Tuscum ad dextram. *Fab.*

Ex alticinctis unus atriensibus,
Cui tunica ab humeris linteo Pelusio
Erat destricta, cirris dependentibus,
Alveolo cœpit ligneo conspargere
Humum æstuantem, jactans officium come:
Sed deridetur. Inde notis flexibus,
Præcurrit illum in Xistum, sedans pulverem.

Ex alticinctis] Paratis, *Servius Æneid.* 1. ad illud *Illi se prædæ accingunt. Accingunt, studiose parant: ut alibi accingunt operi.* Accinctos autem industrios dicimus, ut *Horat. Serm. Lib.* 1. *Sat.* 5.

——— *altius ac nos*
Præcinctis, unum. ———

Sicut contra negligentes *discinctos* vocamus, ut,

——— *Discinctos Mulciber Afros: Petr. Raven. Serm.* 24. Ad illa verba: sint lumbi vestri præcincti: *Cingulum*, inquit, *est proprie indicium servitutis, quod & discursus expeditos reddat, & faciat obsequentes* &c. Idem: *parumper servus adstitit in domini sui exspectatione succinctus.* Sic in *Sat. Petron. Statores altius cincti.* Vet. Gloss. Ἀνεσταλμένος, *alticinctus. Minucius: Diana interim est alte succincta venatrix.* Sic operarios γηπόνους ἄνδρας, ἐσταλμένους depingit *Eustath Ismin, & Ismen.* Idem de messore: Τὸν πάντα χιτῶνα παρὰ τὴν ὀσφὴν περιδιεζώσατο. καὶ τὸ πᾶν τοῦ σώματος πλὴν τῆς αἰδοῦς ἐξεγύμνωσεν. Idem de vindemiatore. Ὅλον ἀνεζωσμένος τὸ χιτώνιον περὶ τὴν ὀσφὴν. Rusticus, ut notat, *Theophrast. in Charact.* Solet ἀναβεβλημένος ἄνω τοῦ γόνατος καθιζάνειν ὥστε τὰ γυμνὰ αὐτοῦ φαίνεσθαι. Sic *Martianus Felix* Cyllenium, Deorum apparitorem, ἀνεσταλμένον, & succinctum delineat. *Ac jam pubescentes genæ seminudum eum incedere, clamydeque indutum parva, invelatumque cetera, humerorum cacumen obnubere sine magno risu Cypridis non sinebant.* Nempe brevior cinctus, humeros, & maturam pubem simul velare non poterat. Sic *alticincti*, lascivientes, parati ad opus: *Artemid. Dald. Onerocritic.* 4. Ἐδοξέτις ἀναστειλαμένην τὴν γυναῖκα. Ἐπηδεικύειν αὐτῷ αἰδοῖον. *Arbiter Satyr. Tres enim erant mulierculæ, si quid vellent conari, infirmissimæ, scilicet contra nos, si nihil aliud virilis sexus esset, Et præcincti certe altius eramus* &c. Ibidem: *Cinædus supervenit, mirtea subornatus gausapila, cinguloque succinctus* &c. Paulo post: *Quartilla alte succincta, jussit infeli-*

n felicibus dari miſſionem. Idem: *Rogavi ut in Platanona produceret dominam, placuit puellæ conſilium, itaque collegit altius tunicam* &c. Eo ſenſu apud *Plaut. Suſtolle hoc amictulum.* Threicius vates apud *Arnob.* 5.

Sic effata ſimul veſtem contraxit ab imo. Rigalt. Ὀψιζώνους. *Horat.* 2. *Sat.* 8. Alte cinctos pueros, vocat, ſervos Naſidieni, volens intelligi ſtrenuos, gnavos, induſtrios. Eoſdem mox *præcinctos* dixit. *Sen. Lib.* 4. *Epiſt.* De Mæcenate ait: *Alte cinctum putes dixiſſe, habuit enim ingenium grande & virile, niſi illud ipſe diſcinxiſſet.* Opponitur altecincto, diſcinctus, & diſſolutus. *Rittersh.* Negotioſos intelligit, tales namque cingere veſtes alte ſolent, ne impediantur inter diſcurrendum. Vide *Horat.* 2. *Sat.* 8. Quanquam hic intelligantur potius, qui ſpecie externa tales ſunt, oculiſque ſaltem ſerviunt, quod hic bene *Phraſcius* obſervat. *Scheffer.*

Cui tunica ab humeris] Sic fere, pædagogiani pueri tunica auro diſtincta, induti à calce in pubem, purpureis operti tegminibus pedum. Vide *Cujac. ad Tit. de Caſtrenſian. & Miniſteriam. Cod. Lib.* 12. *Rigalt.*

Deſtricta] *Demſter. ad Roſin.* 1. *p.* 59. *Diſtricta* citat, ſed retineo *Deſtricta*, & expono ad inferiora ſtricta, ut ſit ſenſus: tunicam ab humeris demiſiſſe ad ilia, ibique adſtrinxiſſe linteo, ne madefieret inter aquæ ſparſionem, pectus, brachiaque nuda habuiſſe: quomodo ſolent, qui curioſe laborant, maxime in aquis. Locus obſcurior, & intactus interpretibus, quod miror. *Scheffer.*

Cirris dependentibus] Capillis Contortis & Criſpatis; Sic *Petron. Sat. Crines ingenio ſuo flexi, per totos ſeſe humeros effuderant.* Et *Ovid. Lib.* 3. *Metamorph. Verſ.* 169.

—— *ſparſos per colla capillos*
Colligit in nodum. ——

Eleganter *Horat. Carm. Lib.* 4. *Ode* 10.

Et quæ nunc humeris involitant, deciderint comæ.

L.

Dependentibus] Sic negligenter, ut hac negligentia oſtenderet ſtudium miniſtrandi domino, quaſi eo præpeditus, hos curare omiſerit. *Scheffer.*

Domine, & mox, *Dominus*] Sic Imperatores appellabant, & Auguſtas, ſeu uxores eorum, Dominas. *Oppian.* 1. *Cyneget.*

Τὸν μεγάλη μεγάλῳ Φυτίσσατο Δόμνα Σεβήρῳ.

Nonnulli tamen hanc appellationem ſibi tribui vetuerunt. *Rittersh.* Vide *Sueton. Tiber. Cap.* 27. *Rigalt.* Perquam falſum eſt, quod affert *Rittershuſius* ex *Oppiano* ſuo; nam Δόμνα, eo loco nomen *χύριον*, ſeu proprium eſt, dicebaturque ea mulier Julia Domna. Neque vero negarim vocem hanc *Domna* reperiri pro *Domina* (nam & apud *Gregorium Turonenſem* legas, *Domnæ Brunechildis*, unde & Italicum *Donna*) ſed ſatis conſtat ex nummis Græcis, & Latinis in loco *Oppiani* Δόμνα eſſe nomen proprium Imperatricis: IOYΛIA ΔOMNA KEBHPOY. Et JULIA DOMNA AUG. *Fab.*

Alveolo] Ligneo vaſe, ex uno caudice excovato, *lintrem* alias appellant, **ein trogh**. *Scheffer.*

Conſpargere] Quomodo *Plautus: Conſpargere ante ædes.* Frigida ſcilicet aqua ad mitigandum æſtum, vide *Salmaſ. ad Solin. p.* 327. *Scheffer.*

Jactans] Hic *jactare*, eſt *oſtentare*, quaſi diceret, feciſſe hoc, cum quadam oſtentatione ſui ſtudii, ſuæ diligentiæ. *Scheffer.*

Officium come] Ita V. C. Gloſſæ veteres: Comis, κόσμιος. *Donat. in Phorm.* Comiter Veteres dixerunt, ἀστείως τὸ κόσμιος. Jactans officium come, id eſt jactans officii ſui elegantiam, munditiamque. *Rigalt.* Miniſterium quod jucundum, & gratum ei cui fit. *Scheffer.*

Notis flexibus] Notis divortiis *Virgil. Æneid.* 9.

Objiciunt equites ſeſe ad divortia nota.

Notis flexibus, ut ſupra *Lib.* 1. *Fab.* 9. *Pernicitas nota.* & *Fab.* 11. *Exitus notos.* Sic *Candore notos*; Et *Notum canticum. Rigalt.* Per *flexus* intelligit compendia viarum. Puto ſic & *Ciceronem* uſurpaſſe in illo *ad Attic.* Pons Tiretius, in quo *Flexus eſt ad iter Arpinas. Scheffer.*

Xiſtum] Locum deambulationibus faciendis adornatum, conſitis utrinque Platanis. Vide *Hieron. Mercurial.* 1. *Art. Gymn. Cap.* 9. *Scheffer.*

Agnoſcit

Agnoſcit hominem Cæſar, remque intelligit,
Id ut putavit eſſe, neſcio quid boni:
Heus, inquit, Dominus; illo vero adſilit,
Donationis alacer certæ gaudio.
Tum ſic locuta eſt tanti Majeſtas Ducis:
Non multum egiſti, & opera nequicquam perit:
Multo majores alapæ mecum veneunt.

Hominem] Elegánter, innuit contemptum, vide infra, *Lib.* 3. *Fab.*3. *Terent. Eunuch. Act.*2. *Sc.*2.

Hic ego illum contempſi præ me, quid homo, inquam, ignaviſſime.

Scheffer.

Remque intelligit] Animum, conſilium ardelionis, qui hoc factitabat gratiæ, & libertatis obtinendæ cauſa. *Scheffer.*

Id ut putavit] Exiſtimo de atrienſe intelligendum, ut ſit ſenſus: Dum ex vultu, aut quoquo denique modo animadvertit atrienſis, Cæſarem intelligere inſtitutum ſuum, putaſſe neſcio quid boni ab eo exſpectandum ſibi, interea nomine advocaſſe ipſum, ad ſe Cæſarem; ergo plenum gaudio ob formatas illas prius animo ſpes ampliſſimas accurriſſe, verum retuliſſe nihil præter joca. *Scheffer.*

Neſcio quid boni] *Petron. Satyr. Deinde ut audivi veterem convivam; hic neſcio quid boni debet eſſe*, &c. Idem, *Secreto quicquid boni per facultates poterat, coëmebat. Rigalt.*

Dominus] Tiberius, ſic vocabantur titulo ſolenni poſteriores Principes, videturque ea conſuetudo primum cœpiſſe ſub Tiberio, vel ex hoc præſenti loco, poſtquam nempe ſeſe ad Tyrannidem convertit, cæterum niſi tum invaluiſſet ea conſuetudo, loqui noſtrum ita, atque ſcribere palam auſum, vix opinor. *Scheffer.*

Adſilit] Notat ſtudium obſequii, ac pœne plus eſt quam *accurrit*. Vult feſtinaſſe audire quæ Tiberius vellet. *Scheffer.*

Donationis] Gaudium donationis, eſt gaudium donationis cauſa, vel ob donationem. Sic *Victoriæ gaudium*, apud *Flor. Lib.*3. *Cap.*3. *Scheffer.*

Majeſtas ducis] Hoc ſibi nomen reges, & imperatores, veluti ἐξαίρετον γέρας ceperunt, & tamen ſcimus hujus vocis honorem marito quoque olim fuiſſe, &, ni fallor, patri. Qui *Livium* diligenter legerunt, id mecum ſciunt. *Fab.* Supra *Dominum* vocavit, puto autem pro *Imperatore* poſuiſſe, quod tum uſu fuit receptum in Principibus, licet aliquamdiu Tiberius recuſaverit, vide veteres inſcriptiones, & Nummos. *Scheffer.*

Majores] *Majoris*, archaiſmus. *Rigalt.*

Alapæ mecum veneunt] Servorum libertates per *ῥαπίσματα* ſignificat. *Rigalt.* Senſus eſt, libertas, quam iſta tua ſedulitate ambis, tam exiguo pretio à me non datur. De modo manumittendi paſſim, neque quicquam protritum magis. *Fab.* Alaparum interventu ſignoque dari libertas ſolebat, ut *Sigonio*, & aliis notatum, jocus igitur in utroque, & *alapa*, & *venire*, quod ambiguitate ſua ſalem habet. *Scheffer.* De manumiſſione quæ vindicta vocabatur hoc intelligendum nullus eſt qui dubitabit: Nam cum hoc modo dominus ſervum manumittere ſolebat, tenebat modo caput, modo aliud membrum ſervi, dicebatque, *hunc hominem liberum eſſe volo*, *Feſt. in verb. manumitti*, & cum dicto eum circumagebat, ſignificans ſe ei poteſtatem facere abeundi quo vellet; ſimulque alapam infligebat, unde *Claudianus*, ni fallor, alicubi:

In civem rubuere genæ. ———

Atque eo pertinent hæc *Perſii Sat.*5.

——— *heri ſteriles veri quibus una Quiritem*
Vertigo facit. ———

Et paulo poſt:

Verterit hunc dominus, mentemque turbinis exit.
Marcus Dama. ———

Pluribus hæc explicant *Marcil. ad d. Sat. Briſſon. Lib.* 5. *Antiq. Cap.* 11. *Sigon. Lib.* 1. *de Antiq. Iur. Civ. Rom. Cap.* 6. *Iac. Gall. Neap. in apicib. leg.* Vindictam autem virgulam eſſe ſcribit *Boët. in Topic. Cicer.* Quam lictor juſſu magiſtratus manumittendi capiti imponebat: atque ab hac virgula hunc manumittendi modum appellatum. *Feſtuca Plauto* dicitur in *Mil. Glor.* Alii hunc modum ſic dictum malunt à Vindicio, Vitelliorum ſervo, qui primus dicitur vindicta liberatus, eo quod conjurationem nobilium adoleſcentium de Tarquiniis reducendis detexiſſet, auctore *Livio Lib.* 2. L.

FABULA

FABULA SEXTA:

Aquila, & Cornix.

CONtra potentes nemo eſt munitus ſatis;
Si vero acceßit conſiliator maleficus,
Vis, & nequitia, quicquid oppugnant ruit.

Aquila & Cornix] Camerarius p. 178. Rigalt.

Contra potentes] Publius Syrus:

Fulmen eſt, ubi cum poteſtate habitat iracundia.

Nevelet. Superiores principes, & magiſtratus intelligit noſter quos majeſtas & ferrum tuetur in reſpectu ad inferiores, & ſubditos, atque ita *Sen. Octav. Vers.* 185.

Vis magna populi eſt, principis major tamen.

L.

Conſiliator] A *Conſiliando*, id eſt, *Conſulendo*, ſicut bene *Phraſcius. Plin* 4. *Epiſt.* 17. *Ille in gerendis conſiliator, & rector. Scheffer.*

Maleficus] Eleganter & ἰμφατικῶς non modo conſilio ſed etiam opera, & quidem cum effectu malus, atque hoc eſt quod ICti. dicunt *ope conſilio* §. 11. *Inſt. de Obl. quæ ex del.* quæ verba ita ſeparatim accipienda ſunt ut nemo ope videatur feciſſe, niſi & conſilium malignum habuerit, nec conſilium habuiſſe noceat, niſi & factum ſecutum fuerit *l.* 53. §. *ult. ff. de Verb. ſignif.* Nam conſilium dare videtur, qui perſuadet & impellit, atque inſtruit, opem vero ferre, qui miniſterium atque adjutorium præbet *l.* 50. §. 1. *ff. de furt.* Unde alibi *Opem ferre, vel Conſilium dare l.* 52. *pr.* & §. 19. *ff. eod.* Vide *ſupra Fab.* 3. L.

Vis & nequitia quicquid oppugnant ruit] Sic *Petronius : Nihil est tam arduum, quod non improbitas extorqueat. Rittersh.* Video *Phædrum* non indiligenter in *Lucretio* fuisse: Quare suspicari de hoc loco potui, legendum, & interpungendum:

Vis & nequitia, quicquid oppugnat, ruit.

Potentia, & astutia ruit unumquodque quod oppugnat; Nam & ita *Lucretius*, (ut admonuit *Giphanius* noster) ruere, active dixit, pro adfligere, proruere, ut de vento:

Ingentesque ruit naves & nubila differt.

Et rursum de amnis violentia:

Dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
Grandia saxa, ruit qua quicquid fluctibus obstat.

Qui locus illi apud *Phædrum* perquam similis. Et *Virgil.* 1. *Georg.*

——— *Cumulosque ruit male pinguis arenæ,*

Schop. Ordo talis est: quicquid est, quod vis & nequitia oppugnant, id ruit, si accesserit ad potentem consiliator maleficus, jungit potentem, & consiliatorem maleficum; huic nequitiam, illi vim tribuit, Conjuncta ista, ait, si oppugnent, quicquid sit quantumvis tutum se putet, ruere. Plana omnia. *Scheffer.* Atque hic *nequitia* astutiam, dolum, calliditatem significat, uti & apud ICtum. in *l.* 3. §. 4. *ff. de Lib. exhib. Notæ nequitiæ.* At *Agell. Lib.* 7. *Cap.* 11. *Nequam* dici, ait, *hominem nihili, neque rei neque frugis bonæ.* Quod genus Græci fere ἄσωτον & ἀκόλαστον vocant. Vel qui est *Vitæ sequioris l.* 8. §. 11. *ff. de transact.* Unde *nequitia*, & *mali mores l.* 43. §. 3. *ff. de Ædilit. edict.* & *Propter nequitiam patris* eadem significatione dicitur in *d. l.* 3. §. 5. *ff. de liber. exhib.* L.

Aquila in sublime sustulit testudinem,
Quæ cum abdidisset cornea corpus domo,
Nec ullo pacto lædi posset condita,
Venit per auras Cornix, & propter volans;
Opimam sane prædam rapuisti unguibus,
Sed nisi monstraro, quid sit faciendum tibi,
Gravi nequicquam te lassabis pondere.

Sustulit] Sic proprie loquuntur de avibus, vide supra *Lib.* 1. *Fab.* 28. *Scheffer.*

Cum abdidisset cornea corpus domo] *Pisides Cosmurg.*

Τίς ἐνδιδύσκει τὴν χελώνην ὀστράκῳ,
Καὶ τὴν ταπεινόσωμιν ἐστεγασμένην,
Δείκνυσιν ἐντὸς οἰκίας φρουρουμένην.

Sic Cochlea apud *Cicer.* 2. *de divinat. Domiporta* dicitur. Et in Fabulis *Æsopi* rustici filius exclamat. Ω κάκιστα ζῶα, τῶν οἰκιῶν ὑμῶν ἐμπιπραμένων ᾄδετε. Cæterum pervalde hallucinantur *Erasm. Chil.* 3. *Cent.* 3. *Proverb.* 38. Et *Crinit. Cap.* 7. *Lib.* 11. *de honest. discip.* Qui quod à *Cicerone* de cochlea dicebatur, *terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam*, testudini communicaverunt; iis enim verbis *sanguine cassam*, distinguitur cochlea à testudine, cujus sanguinem *Plin. Lib.* 32. *Cap.* 4. Claritatem visus facere, suffusionesque oculorum tollere ait. *Rigalt.* Eleganter *Cornea*, propter duritiem, quomodo de avibus *Corneum rostrum* usurpavit *Cicero de Nat. Deor.* 1. Mox est *dura.* Per *domum* testam intelligit, ut notum. Hinc *Pacuvii : domiporta. Scheffer.*

Condita] Id est abscondita, sic infra hic *Fab.* 8.

Et opportuno se bovili condidit.

Item *Lib.* 5. *Fab.* 2.

Nunc conde ferrum & linguam pariter futilem.

Sic

Sic *Conditi fructus l. 5. §. non passim. ff. de reb. eor. qui sub tut. Conditæ merces in horreis l. 74. ff. de contrah. empt.* Et *in condito habere l. 97. ff. de legat. 3.* Hinc *Condita* appellabant species & copias publicas in horreis servandi causa repositas *Tit. Cod. de cond. in publ. horr. Lib. 10.* Vide *Capitolin.* in *Gordian. Symmach. Lib. 1. Epist. 19.* & 34. *Ammian. Marcellin. Lib. 29.* L.

Propter volans] Id est, juxta, ut apud *Terentium*, propter dormire, est concumbere. *Rittersh.*

Opimam sane prædam] Ita *Cic. 3. Verr. opima*, est pinguis, *Festus: hostiæ opimæ, præcipue pingues*, ideo *Columell. Lib. 7. Cap. 8. Si pingui, & opimo liquore conficitur*, &c. *Scheffer.*

Nequicquam] Frustra, absque fructu. *Curt. Lib. 3. Cap. 2. Nisi nunc dixero, alias nequicquam confitebor.* Ita *Terentius, Cicero, Livius*, & alii. *Scheffer.*

Promissa parte, suadet ut scopulum super
Altis ab Astris duram inlidat corticem,
Qua comminuta facile vescatur cibo.
Inducta verbis Aquila, monitis paruit,
Simul & magistræ large divisit dapem.
Sic tuta quæ naturæ fuerat munere,
Impar duabus occidit tristi nece.

Altis ab Astris] *Ælian. Cap. 20. Lib. 3.* Περὶ ζώων ἰδιότ. De Cochleis & Laris: Καὶ μέντοι καὶ οἱ λάροι, ὡς Εὐδημός φησι τοὺς κοχλίας μετεωρίζοντες, καὶ ὑψοῦ αἴροντες ταῖς πέτραις βικιότατα προσαράττουσιν. *Rigalt.* Sumitur hic poëtice, pro è sublimi, ex summa parte aëris. *Scheffer.*

Duram Corticem] Supra *Corneam domum*, Sic *Plinius* superficiem testudinis *Corticem* vocavit *Cap. 10. Lib. 9. Nat. Hist.* Sic *Martial. Lib. 10.* Epigr. 37. *Conchæ corticem.* Et *Lib. 12. Epigr. 86.*

Iste licet digitos testudine pungat acuta,
Cortice deposito, mollis echinus erit.

Avien. Fab. 11.

Protinus è rubris conchas præferret arenis,
Quis pretium nitido cortice bacca daret,

Rigalt. Abusive pro testa ponitur, *Plin. Lib. 9. Cap. 12. Aquatilium tegumenta plura sunt, alia corio, & pilo integuntur, ut vituli, alia cortice, ut testudines. Scheffer.*

Cibo] Pleonasmus *Cic. 2. De Nat. Deor. Dii nec escis vescuntur*, &c. *Scheffer.*

Inducta] Plene est, *inducta ad credendum, Corn. Nep. in Conon. 3. Non facile ad credendum, inducebatur.* Sed isto modo etiam *Cic. 2. de Legib.* & alii: usurpatur de eo, cui quid persuadetur ratione probabili, aut verisimili. *Scheffer.*

Magistra] Quæ scilicet ipsam hanc artem docuerat, ut testudinem scopulo illideret: nam Magistros appellari *Paulus* scribit quibus præcipua cura incumbit, & qui magis quam ceteri, diligentiam & sollicitudinem rebus quibus præsunt debent. Quin etiam addit, ipsi magistratus per derivationem, à magistris cognominantur. Uude etiam cujuslibet disciplinæ præceptores, *magistros* appellari, à monendo, vel monstrando *l. 57. ff. de Verb. Sign.* L.

Large divisit dapem] Sic *Horat. 1. Carm. 36.*

Nulli tamen plura dividit oscula,
Quam dulci Lamiæ. ———

Scheffer.

FABULA SEPTIMA.

Muli Duo, & Vectores.

MUli gravati ſarcinis ibant duo,
Unus ferebat fiſcos cum pecunia:
Alter tumentes multo ſaccos hordeo.

Fiſcos cum pecunia] Nota, pecuniam veteres in fiſcum, id eſt, corbem ſparteum, vel vimineum condebant, præſertim quæ majoris eſſet ſummæ, quâ ut in Bulgam, Zonamve recte & commode condi poſſet. Sic *Cic. 2. Verr. Reperiebam fiſcos complures cum pecunia Siculienſi à quodam Senatore ad equitem Romanum eſſe tranſlatos.* Idem *Verr. 5. Ex Fiſco, in ciſtam pecuniam transferre.* Ad quæ *Aſcon. Pædian.* Sic annotat: *Sportæ, ſportuli, ſportellæ, nummùm ſunt receptacula, & ſacci, ſacculi, ſacelli, & crumenæ, & vellæ, & manticæ, & marſupia.* Vide & *Cujac. ad Tit. Cod. de Iure Fiſci. Rittersh.* Notum illud *Taciti 1. Annal. Fiſci, de Imperatore rapti, inter ſigna & aquilas veherentur. Fab.* Vide quæ nos in Curis ſecundis ad *Pacatum. Scheffer.* Adde quæ in hanc fiſcorum ſignificationem habet *Sueton.* in *Claud. Cap. 18. Poſitis ante ſe cum pecunia Fiſcis.* Et in *Auguſt. Cap. ult.* Quantum pecuniæ in *ærario & Fiſcis.* Hoc ſenſu *Fiſcum tanti eſſe, quanti habet*, id eſt, quantum pecuniæ in ſacculo conditæ numerus efficit, dixit *Sen. Epiſt. 27.* Et *Fiſcos in angulo jacentes.* Idem *Lib. 3. de Ira Cap. 33.* Ita & *Juvenal. Sat. 14. Verſ. 260.*

——— *ærata multùm in arca*
Fiſcus, & ad vigilem ponendi Caſtora nummi.

L.

Ille

Ille onere dives, celsa cervice eminens,
Clarumque collo jactans tintinnabulum:
Comes quieto sequitur, & placido gradu.
Subito latrones ex insidiis advolant,
Interque cædem ferro mulum tonsitant:
Diripiunt nummos, negligunt vile hordeum.

Celsa] Sublata in altum, ut fit à superbientibus. *Scheffer.*

Eminens] Sic *Ovidius* de Diana *Lib.* 3. *Metamorph. Lib.* 3. *Vers.* 183.

——— *Colloque tenus supereminet omnes.*

L.

Clarumque collo jactans] *Avienus* de Cane:

Hunc dominus, ne quem probitas simulata lateret,
Fusserat in rabido gutture ferre nolam.
Faucibus & nexis crepitantia subligat æra.
Quæ facili motu signa cavenda darent.

Alia in hanc rem collegit, *Jo: Savaro* musteo in *Sidonium* commentario, ad illa verba: *Inter greges tintinnabulatos per depasta buceta reboantes. Epist.* 2. *Lib.* 11. *Rigalt.* Consuetudo suspendendi tintinnabulum ex collis mulorum, ut occursum eorum evitare possint equi, etiam hodie durat per Italiam, & Galliam. *Scheffer.*

Comes] Alter ille mulus, cum hordeo. *Scheffer.*

Quieto] Sine agitatione multa pedum, ac tumultu. *Scheffer.*

Advolant] Verbum elegans, quo ardor, & cupido nimia pecuniæ eripiendæ significatur. *Scheffer.* Atque ita Æneæ in Mezentium impetum describit *Virgil. Lib.* 10. Æneid.

Advolat Æneas vaginaque eripit ensem,
Et super hæc; ubi nunc Mezentius acer & illa
Effera vis animi. ———

L.

Ferro mulum tonsitant] Non absimilis est *Plauti* locus *Epid. Act.* 2. *Sc. ult.*

Neulmos parasitos faciat, quæ usque attondeant.

Ubi virgæ dicuntur humeros vapulantis attondere, nisi forte huic *Phædri* loco macula inest gravior, quam nondum odoratus sum. *Schop.*

Vile hordeum] Frugis genus, ut docet *Paul. Lib.* 3. *Sentent. Tit.* 99. *Frugumque mollissimum*, quemadmodum *Plin. Lib.* 18. *Cap.* 7. tradit. *Hordeum sive familiæ, sive jumentorum gratia l.* 3. §. *si autem. ff. de pen. legat.* Hordeo utique veteres jumenta pavisse, ut nunc fit avena satis constat. Unde *Hordearium æs*, teste *Festo*, dicebant, quod, pro hordeo, equiti dabatur. L.

Spoliatus igitur casus cum fleret suos,
Equidem, inquit, alter, me contemptum gaudeo,
Nam nil amisi, nec sum læsus vulnere.
Hoc argumento tuta est hominum tenuitas,
Magnæ periclo sunt opes obnoxiæ.

Hoc argumento] Hac Fabula, infra *Lib.* 4. *Fab.* 7. *Hoc argumento se describi sentiat,* &c. Et *Fab.* 14. *Hoc argumentum monet.* &c. Adde *Lib.* 4. *Cap.* 3. Puto autem hic omitti præpositionem *in*; ut sit sensus, occurrere, & extare in hac Fabula tutam tenuitatem, atque adeo exempli loco esse posse, ob quod alii amplectantur.

Phraſcius illud *argumento* ſupplet ita, additque *menti firmiter inſculpto*, ſed illud *eſt* diſſuadet. *Scheffer.*

Tuta eſt hominum tenuitas] Sic *Symmachus* in Relatione *Lib.* 10. *Epiſt.* 54. *Paupertas à diſpendio tuta eſt.* Nec abſimiliter *Salluſt. Conjurat. Catil. Egeſtas facile habetur ſine damno.* Feſtive in hanc ſententiam *Pallad. Lib.* 1. *Anthol. Tit. Εἰς πτωχὸν.* Μηδ' ποτὲ ζήσας ὁ πένης βροτὸς ἀδ' ἀποθάνοι. *Rittersh.* In eandem ſententiam de paupertate *Lucan. Lib.* 5. *Verſ.* 525.

——— *prædam civilibus armis*
Scit non eſſe caſas. O vitæ tuta facultas
Pauperis, anguſtique lares! ô munera nondum
Intellecta Deum! quibus hoc contingere templis,
Aut potuit muris, nullo trepidare tumultu.
Cæſarea pulſante manu. ———

L.

Magnæ periclo ſunt opes obnoxiæ] Quod ſæpe oſtendiſſe *Socratem* conſtat, idque cum alibi feciſſe, tum vero in illo colloquio maxime, quod aliquando cum Antiſthene habuit, uti apud *Ælianum* legere eſt *Lib.* 2. ποικίλης ἱστορίας, *Cap.* 11. Sed quia locus ille gravi ſſimo errore infeſſus eſt, præter morem noſtrum longiuſculam ῥῆσιν huc transferemus, ut vitium quo laborat, πιθανώτερον tollamus; idque certe præſtare debemus, ſi minus *Æliani* cauſa, qui ſcriptor lepidiſſimus eſt, & Græcarum Venerum delicium, at certe *Socratis*, cujus memoria nemini non, qui virtutis aliquem ſenſum habeat, ſummo honore colenda eſt. Verum antequam verba Græci ſcriptoris afferam, totam rem in pauca contraham. *Socrates* igitur cum ſævientem in dies magis magiſque Triginta Tyrannorum dominationem videret, & forte in Antiſthenem, qui, uti *Socrates*, paupertatem ſectabatur, incidiſſet; Hoc, inquit, ô Antiſthenes, mihi dicas, velim; ecquid nos noſtri debeat pœnitere, quod tenues, quod pauperculi ſumus, neque ſplendorem illum ſumus conſecuti, quo in Tragediis claros illos veteris memoriæ principes Atreum, Thyeſten, Agamemnona, Ægiſtumque circumfulgere videmus? Minime ſane: Nam ſi diligenter attendas, ſemper iis maximum periculum fuit, queis maximæ opes fuerunt. Itaque adeo Tragici, qui talia nobis fortunæ in præceps ruentis exempla prodiderunt, principes illos viros, quos & ſuæ dignitatis faſtigium, & divitiarum nimia vis ſpectabiles faciebant, vel veneno vel alio inſidiarum genere ſublatos oſtendunt. Sed nullus, ô Antiſthenes, quod tute ipſe vides, nullus, inquam, Poëta extitit tantæ vel audaciæ, vel imperitiæ, qui *porcum obtruncatum* in ſcenam introducere auſus ſit. Hæc, ô Lector, ſumma Socratici colloquii; niſi quod poſtrema pars plane ἀλόγιστος, & riſu digna eſt. Et tamen hæc ipſa ſunt, quæ jam jam Græce leges, ſed ea ita à nobis emaculabuntur, ut, *præſcini dicam*, à nemine melius poſſint. Σωκράτην ἰδόντα κατὰ τὴν ἀρχὴν τῶν τελέσαντα τὰς εὐδόξους ἀναιρεμένας, καὶ βαρυπαθῆ τὰς πλούτους ὑπὸ τῶν τυράννων ἐπιβαλλομένας. Ἀνιᾶσθαι φάσι, περιτυχόντα εἰπεῖν, Μὴ σοι μεταμέλει, ὅτι μίζα καὶ τιμενὸν ἐδὸν ἐγενόμεθα ἐν τῷ βίῳ καὶ τοῦ ἔτι, οἵους ἐν τῇ τραγῳδίᾳ τὰς Μυκήνας ὁρῶμεν, Ἀτρέας τε ἰκέτας, καὶ Θυέστας, καὶ Ἀγαμέμνονας, καὶ Αἰγίσθους, ὅτι μὴ γε ἀπροφάσιστόμους, καὶ εὐπραγμόνους, καὶ πονηρὰ δεῖπνα δειπνοῦντας, καὶ ἰδιώτας, ἐφ' οἷς ἐκκλύπτονται (ἐκκυκλοῦνται ex *Caſaub.* Vide ἐκκύκλημα apud *Poll.*) ἐδεῖς δ' ὅτως ἐγένετο τολμηρὸς, ὡδὲ ἀναίσχυντος τραγῳδίας ποιητὴς, ὥστε εἰσαγαγεῖν εἰς δράμα ἀπροφάσιστόμενον χοῖρον. Vitium, uti dixi, in poſtremis ſuaviſſimi ſcriptoris verbis eſt, quod jam tribus verbis eluam. Quid enim hic agitur? Nonne principatus, & divitiarum incommoda exponuntur? Nonne paupertatis, & infimæ fortunæ commoda aſtruuntur? Quid igitur facilius, quid rotundius, quam Atreo, quam Agamemnoni, & aliis id genus Tyrannis, quos Deus iratus immittit, opponere, non χοῖρον [*porcum*] (apage nil ridiculum magis) non χοῖρον, inquam, ſed τὸν Ἰερὸν, nobilem illum, & decantatum mendicabulorum princi-

principem. Nempe eductæ ſunt hæ omnes perſonæ ex Scena *Homeri*, qui olim, & vere, & ingenioſe, à *Platone* duobus, tribuſve locis (*Lib.* 10. *de Republ. p.* 511. *edit. Lamar.* Et *p.* 512. & 515.) τραγῳδῶν ἡγεμών, καὶ διδάσκαλος dictus eſt. Et hæc quidem à nobis circa hunc locum dicta ſint, quorum, ut opinor, nec nos pœnitere, neque vero te, ſi longiuſculi fuimus, debet tædere. *Fab.*

FABULA

FABULA OCTAVA.

Cervus ad Boves.

CErvus nemorosis excitatus latibulis,
Ut venatorum effugeret instantem necem,
Cæco timore proximam villam petit,
Et opportuno se bovili condidit.

CErvus ad Boves] *Cameravius. p.* 192. *Rigalt.*

Venatorum Necem] Id est, à venatoribus cervo inferendam : plane ut *Oppianus φόνου ἀλγεν πηρων* dixit. *Rittersh.* Sic infra *Lib.*3. *Persequitur illum dura fati miseria.* Vide *Phrascium. Scheffer.*

Instantem] Id est, imminentem & impendentem, ut *instans periculum in l.* 6. *ff. de donat. mort. caus.* Alia plane significatione *instans ætas* dicitur in *l.* 1. §. *is autem. ff. ne quid in flum. publ.* id est, præsens & ejus temporis quo interdictum redditur; & *instantis anni l.*7. §. *Papinianus. ff. solut. matr.* id est, anni quo divortiũ fit, seu *anni currentis*, ut passim loquimur. Sic ab *instanti octava indictione l.*173. *ff. de decurionib. Cod. Theod.* L.

Cæco.] Quia cæcos facit, nec cernentes alia pericula in quæ ultro incurrimus. De quo *Curt. Lib.*4. *Cap.*16. *Ubi intravit animos pavor, id solum metuunt, quod primum formidare cæperunt.* Vide totum locum. *Scheffer.*

Opportuno] Quod se commode offerebat, *Ovid.* 3. *Metamorph.* de sylvis.

—— *Multis latebra opportuna fuistis,*
Scheffer.

Hic

Hic Bòs latenti, quidnam voluiſti tibi,
Infelix, ultro qui ad necem cucurreris,
Hominumque tecto ſpiritum commiſeris?
At ille ſupplex: vos modo, inquit, parcite;
Occaſione rurſus erumpam data.

Latenti] Deliteſcenti; latere enim eſt diliteſcere, quemadmodum à ICtis. noſtris uſurpatur; ſic *ſine receptatoribus latro diutius latere non poteſt l.* 13. *ff.* de *Offic. Præt. l.* 1. *ff. de receptatorib.* Et *ſervus qui domi latuiſſet l.* 17. §. *idem ait. ff. de Ædilit. edict.* Item, *ſervus quamdiu latuit in dignitate prætoria l.* 3. *ff. de offic. Præt.* L.

Voluiſti tibi] Imitatio *Virgiliana*, ipſe ita *Ecleg.* 2.

Ehen quid miſero volui mihi?

Similiter *Terent. Eun. Act.* 3. *Sc.* 5. *quid tibi vis, ſatine ſanus?* Ubi *Donatus* notat, *quid tibi vis*, referri ad antecedens, *quid mihi velim.* Quanquam in *Terentio* pro *velim*, *quæram* ſit, quo tamen cognoſcitur *velle*, *Donato* eſſe *quærere* in hac formula, curamque denotare. *Scheffer.*

Supplex] De geſtu & habitu orantis eſt intelligendum. *Scheffer.*

Parcite] Vitam mihi ſervate, ne me prodite, abſolute, ut in illo *Horatii* 4. *Carm. Od.* 1.

Rurſus bella moves, parce, precor, precor.

Scheffer.

Occaſione] Pro *in occaſione*, cum occaſio fuerit data, ut infra *Lib.* 4. *Ubi Poëta. Tempore. Scheffer.*

Erumpam] Eleganter de procurſu inopinato, celerique ex abdito. Ita *Cicero pro Seſt. Conjuratio ex latebris, atque ex tenebris erupit. Scheffer.* Eodem modo *erumpere clam ſervi*, & *erumpere vincula* dicuntur *l.* 3. §. *ſubvenitur. ff. de ICto. Silan. Erumpentibus ad fugum ſervis l.* 60. *ff. pro ſoc.* Atque ita *erumpere aqua in meo l.* 21. *ff. de aq. & aq. pluv. arcend.* uſurpatum eſt. L.

Spacium diei noctis excipiunt vices:
Frondem bubulcus adfert, nec ideo videt:
Eunt ſubinde, & redeunt omnes ruſtici:
Nemo animadvertit. tranſit etiam villicus,
Nec ille quicquam ſentit. Tum gaudens Ferus
Bobus quietis cæpit agere gratias,
Hoſpitium adverſo quod præſtiterint tempore.

Frondem bubulcus adfert] *Camerarius. p.* 233. *Rigalt.* Frondibus enim boves ſaginabantur. *Horat. Epiſt.* 14. *Lib.* 1.

——— *& urges*
Jampridem non tacta ligonibus arva, bovemque
Devinctum curas, & ſtrictis frondibus exples,

Sic paulo poſt herus objurgans ruſticos, quod parum curent boves: *Cur frondis parum eſt? Schop.* Vide *Cat.* 30. *de Re Ruſt. Scheffer.* Hinc patet *bubulcum* dici eum, non tantum qui bobus arat in fundo, ſed etiam qui boves ejus fundi paſcit *l.* 18. §. *cum de villico. ff. de inſtruct. & inſtrum. legat.* L.

Nec ideo] Latiniſſime, ut ſolet, dicit etiamſi attulerit, dederit in ſtabulo bovibus, tamen non vidiſſe. Sumpſit autem ex *Virgilio*, ut cætera; Sic enim *Georgic.* 1.

— *Nec*

——— *Nec cellis ideo contende Falernis.*

Scheffer.

Omnes ruſtici] Colonos intelligit, & familiam ejus villæ. *Scheffer.*

Animadvertit] Cervum ibi latitantem. *Scheffer.*

Villicum] Qui totius villæ habebat curam, caput ruſticæ familiæ. *Varro* 1. *de Re Ruſt. Cap.* 2. Vocat: *Principem, qui agriculturæ præponitur. Scheffer.* Vel qui agrum penſionis certa quantitate, vel fide dominica colit *l.* 8. & *l.* 18. §. *cum de villico. ff. de inſtruct. & inſtrum. leg.* Atque ita *villicus*, & *villica* dicuntur *l.* 41. §. 15. *ff. de fideic. libert.* Unde *à villicis penſionem exigere l.* 40. §. *ſervus, ff. ad leg. Falcid.* Sed quæ hic dicit de ipſo domino videtur intelligere, ut apparet ex ſequentibus. L.

Quietis cœpit agere gratias] Quietis ſcilicet gratia vel nomine, id eſt, pro quiete, an quietis bobus? *Rittersh.* Adjectivum eſt, non ſubſtantivum nec ambigere debebat *Rittershuſius*; *quietis*, pro *quia quieti* erant, quieti autem taciti, non prodentes latitantem. *Scheffer.*

Hoſpitium adverſo] Amicus certus in re incerta cernitur, inquit, *Cic. in Læl.* Et *Plautus* eum amicum pronunciat, qui in re dubia juvat. Habent eandem ſententiam Hebræorum proverbia: Omni tempore diligit, qui amicus eſt; & frater in anguſtiis comprobatur. L.

Præſtiterint] Proprie; non enim ſpatium modo datum ſignificat, ſed & ſecuritatem hoſpitii præſtitam, per ſilentium ac quietem. Atque ita *Sen.* 1. *de Clem.* 2. *Hoc eſt non dare tantum ſalutem, ſed & præſtare*, ubi vides quomodo à dare diſtinguatur. *Scheffer.*

Reſpondit unus: ſalvum te cupimus quidem;
Sed ille, qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periculo vita vertetur tua.
Hæc inter ipſe dominus à cœna redit:

Qui Oculos centum] Herum ipſum periphraſis ea notat, quæ eleganter curam ejus, ac perſpicaciam depingit, alluſione ad argumentum. *Scheffer.*

Vertetur] Verſabitur, conſtituta erit, *Plaut. Moſtell. Act.* 3. *Sc.* 3.

——— *Iam homo in mercatura vertitur. Scheffer.*

Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præſepe: cur frondis parum eſt?
Stramenta deſunt? tollere hæc aranea,
Quantum laboris? dum ſcrutatur ſingula,
Cervi quoque alta eſt conſpicatus cornua:

Corruptos boves] Sic *rupta mula Martiali*, & *Alphene* ICto. *l. qui inſulam.* §. *qui mulas. ff. locat.* Rupti veredi *Auſonio.* Ruperit fere omnes veteres ſic intellexerunt corruperit *l. ſi ſervus ſervum.* §. *inquit lex. ff. ad leg. Aquil. Rigalt.* Macilentos, macie perditos, imitatio Graci ſermonis: nam ita utuntur τῷ διαφθείρεσθαι. *Fab.* Ita *Cæſar.* quanquam plenius, *Corruptos macie equos* dixit *Lib.* 3. *Bell. civ. Scheffer.*

Aranea] Telas intelligit, nempe *araneus, a, um*, adjectivum eſt *Plin. Valer.* 1. *Cap.* 2. *Aranea tela impoſita ex oleo.* Hinc *araneum* neutraliter, & abſolute, opus aranearũ, ſubaudito *textum*, vel *rete. Scheffer.*

Quem

Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. Hæc significat fabula,
Dominum videre plurimum in rebus suis.

Dominum videre plurimum in rebus suis] ὄμμα γὰρ δόμων νομίζω δεσπότου παρουσίαν, id est, *namque lumen ædium puto esse heri præsentiam*, ut ait *Æschylus in Persis.* Vide & *Aristot. Oeconomic. Lib.* 1. *Cap.* 6. Ubi refert apophthegma cujusdam qui dixerit, oculum domini esse qui maxime pinguefaciat equum. *Plin. Lib.* 18. *Cap.* 6. *Majores fertulissimum in agro oculũ domini esse dixerunt.* At contra, secundum *Pomponium, longe ab urbe vellicarier, quo herus rarenter venit, non villicarier, sed dominari mea est sententia.* Et similiter *Symmach. Lib.* 9. *Epist.* 6. *Actores*, inquit, *absentium, quibus res longinqua remittitur*, (F. committitur) *tanquam soluti legibus vivunt: quoniam procul positis nullus dominorum terror incurrit.* Huc & *Plautinum* illud facit: *Ubi summus Imperator ad exercitum non est.* Cum hujus Fabellæ argumento magnam habet cognationem *Apologus* ille *Æsopius*, de Cassita, & pullis ejus, ac domino segetis, in quo nidulabatur, descriptus ab *Agell. Lib.* 2. *Cap.* 29. & à *Gabr. Faërn.* Claudit eum & obsignat uterque versibus trochaicis *Ennii*, quos cordi, & memoriæ habere, operæ pretium est:

Hoc erit tibi argumentum semper in promptu situm,
Ne quid exspectes amicos, quod tute agere possies.

Rittersh. Apud *Plinium* loco allegato exemplum Furii Cresini, huic loco aptissimum videsis, *Plutarch.* περὶ παίδων ἀγωγῆς· κἂν ταῦτα δὴ τὸ ῥηθὲν ὑπὸ τοῦ ἱπποκόμου χάριεν, ὡς οὐδὲν οὕτω πιαίνει τὸν ἵππον ὡς βασιλέως ὀφθαλμός. *Nevel.*

AUCTOR.

AUCTOR.



ÆSopo ingentem ſtatuam poſuere Attici
Servumque collocarunt æterna in baſi,
Patere honoris ſcirent ut cuncti viam,

ÆSopo ingentem ſtatuam] Æſopi vita: καὶ ὡς συνειδότες ἑαυτοῖς ἀδίκως φονευθέντι καὶ στήλην ἀνέστησαν. *Rigalt.* Statuæ hujus auctorem fuiſſe nobiliſſimum illum ſtatuarium Lyſippum (à quo ſolo ſe fingi velle edixit Alexander Magnus) diſcimus ex Epigrammate *Agathiæ* Scholaſtici, qui Juſtiniani Imperatoris ævo vixit. Id è *Libro 4. Anthologiæ Tit.* Εἰς φιλοσόφους, εἰς εἰκόνα Αἰσώπου huc adſcribere placuit, cum Latina verſione noſtra: ex eodem hoc quoque diſcimus cum iidem Athenienſes etiam ſeptem Sapientibus Græciæ ſingulis ſuas collocaſſent ſtatuas, omnium maximum honorem eos habuiſſe Æſopo, ejuſque ſtatuam ordine primam eſſe voluiſſe. Sic igitur Agathias:

Εὖγε ποιῶν, Λυσίππε γέρων, Σικυώνιε πλάστα,
Δείκελον Αἰσώπου στήσαο τοῦ Σαμίου
Ἑπτὰ σοφῶν ἐμπρόσθεν, ἐπεὶ κεῖνοι μὲν ἀνάγκην
Ἔμβαλον, οὐ πειθὼ, φθέγματι τοῖς σφετέροις.
Ὅς δὲ σοφοῖς μύθοις καὶ πλάσμασι καίρια λέξας.
Παίζων, ἐν σπουδῇ πείθει ἐχεφρονέειν,
Φευκτὸν δ' ἡ τρηχεῖα παραίνεσις. ἡ Σαμίου δὲ
Τὸ γλυκὺ τοῦ μύθου καλὸν ἔχει δέλεαρ.

Vellem

Vellem pari ſuavitate hæc Latinis metris à me includi poſſe. Sed reddam ut potero:

Laudo te, Lyſippe, ſenex, Sicyonie ſculptor,
Æſopi effigiem quod ſtatuis Samii
Ante Sophos ſeptem, quibus omnia tradita duris
Legibus, in verbis ſuadaque nulla fuit.
Aſt hic Fabellis, figmentiſque omnia condit
Per luſum ſuadens corda hominum ut ſapiant.
Aſpera præcepta averſamur. Fabula dulcis
Eſcæ inſtar munitis additur à Samio.
Rittersh.

Ingentem] Nam & in eo pars honoris fuit, ſi fieret ſtatua ſupra vulgarem magnitudinem. *Scheffer.*

Poſuere] Proprium verbum, *Cic. Verr. 2. Heredem ſtatuas eſſe juſſum in foro ponere, niſi poſuiſſet, Veneri Erycinæ eſſe multatum. Sueton. Calig. 34. Vetuit poſt hac viventium cuiquam uſquam ſtatuam poni.* Ita infiniti alii, notat autem donum honoris cauſſa. *Scheffer.*

Servumque] Significanter, pro; *licet foret ſervus*, nempe quia his conceſſus honor iſte non fuit. Obſervavit diligentiſſime ut omnia Nob. Dom. *Grypenhielm*, ſeu *Figrilius* in *de Stat. Cap. 8. Scheffer.*

Æterna] Reſpectu voluntatis & propoſiti Athenienſium. Erant enim baſes illæ ex ſaxo, forma quadrata, vel rotunda eundem conſule. *Scheffer.* Sic matrimonium licet non tantum morte, ſed & divortio, captivitate, vel alia contingente ſervitute alterutrius poſſit diſſolvi *l. 1. ff. de divort. & repud.* Dicitur tamen individuam vitæ conſuetudinem continere §. 1. *Inſt. de patr. pot.* Et conſortium omnis vitæ *l. 1. ff. de rit. nupt.* Voto ſcilicet & propoſito contrahentium, cui eventus non ſemper reſpondet *Vin.* & *DD. add.* §. 1. *Inſt. de patr. pot.* L.

Collocarunt in baſi] Proprie de ſtatuis vel etiam vaſis iis impoſitis; atque ita *Baſes* dicuntur *fulcra collocandorum vaſorum parata l. 100.* § *ult. ff. de legat. 3.* Fiebantque vel ex ſaxo aut marmore, vel ex variis lapidibibus congerebantur, unde; *ſtatuæ affixæ baſibus ſtructilibus* apud ICtum. in *l. 245. ff. de Verb. Sign.* L.

Nec generi tribuì, ſed virtuti gloriam.
* * * * *
Quoniam occuparat alter, ne primus foret,
Nec ſolus eſſet ſtudii quod ſuperfuit,
Nec hæc invidia, verum eſt æmulatio.
Quod ſi labori faverit Latium meo,
Plures habebit quos opponat Græciæ.

Nec generi tribui, ſed virtuti gloriam] Unde eleganter *Sen. Epiſt. 44. Si quid aliud eſt in Philoſophia boni, hoc eſt, quod ſtemma non inſpicit.* Nam ut Idem paulo poſt: *Animus facit nobilem; cui ex quacunque conditione ſupra fortunam licet ſurgere.* Et *Euripides:*

——— Τὸς γὰρ ἀνδρείους φύσιν
Καὶ τὸς δικαίους, τῶν κενῶν δοξασμάτων,
Κἂν ὦσι δοῦλοι, εὐγενεστέρους λέγω.

Id eſt:

——— *Namque ab animo ſtrenuos,*
Juſtoſque, quamvis orti & è ſervis ſient,
Stirpe anteire vulgo nobiles puto.

Scilicet ut eſt apud *Juven. Sat. 8. Verſ. 19.*

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Sen. Herc. Fur. Act. 2. Verſ. 340.

——— *qui genus jactat ſuum*
Alieva laudat. ———

Hinc Marius apud *Salluſtium* ait, fortiſſimum quemque generoſum eſſe; atque ita non tantum nobilibus, ſed etiam aliis propter virtutem ſtatuas collocatas; *Horat. Epod. Od. 9. Verſ. 25.*

Neque Africano, cui ſuper Carthaginem
Virtus ſepulchrum condidit.

Etiam ſervis, uti hic Æſopo, qua de re plura aliquando exſpecta. L.

Occuparat] Id eſt, prævenit; antevertit me, hoc enim eſt occupare, Græce φθάνειν ut *Plaut. Rud. Occupas præloqui:* & *Pſeudol. occupas prior audire. Rittersh.* Turpilius Traſileone ſimiliter abſolute uſurpat, *Nonio* citante, iſtis verbis: *Ceſſo occupare, & me in colloquium conferre horum. Plin. Paneg. 10. Occupavit, primuſque fecit quod omnes facturi erant,* ſicut noſter. *Scheffer.* Elogium tale eſt Ciceronis apud *D. Hieronymum Epiſt. de vita Clericorum. Demoſthenes tibi præripuit ne eſſes primus orator, tu illi ne ſolus. Nevelet.*

Nec hæc invidia, verum eſt æmulatio] *Heſiodus:*

——— ἀγαθὴ δ' ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

Meurs.

Plures] Qui ſimilia facient, incitati ſucceſſu meo. *Scheffer.*

Græciæ] Tanquam tales, qui, quod ibi Græce alii, ipſi Latine compoſuerint, æquali ingenio præſtantiaque. *Scheffer.*

Si livor obtrectare curam voluerit,
Non tamen eripiet laudis conſcientiam.
Si noſtrum ſtudium ad aures pervenit tuas,
Et arte fictas animus ſentit Fabulas,
Omnem querellam ſubmovet felicitas.

Eripiet laudis conſcientiam] Mihi ſcilicet, quippe qui me iſta ſic ſcripſiſſe ſcio ut promeritus ſim laudem, ut mox *Lib. 3. ad Eutych.*

——— *mihi ſolennis debetur gloria.*

Num potius intelligendum hoc de aliis, qui etiamſi ob livorem obtrectabunt, non poterunt tamen non intus, & in conſcientia videre, digna iſta eſſe laude. Sed illud præfero, nam ad eundem modum, *Conſcientiam officii,* & *Vitæ bene actæ, Cicero* quoque uſurpavit. *Scheffer.*

Ad aures pervenit tuas] *Cicero* accidere ad aures, dicere amat, ut *pro Seſtio: Nihil ut unquam videretur, tam populare ad Pop. Rom. aures accidiſſe.* Et *in Vatinium: Non putas fas eſſe, verbum ex ore exire cujuſquam, quod non jucundum, & honorificum ad aures tuas accidat.* Ubi vulgo non recte *accedat.* Sic *Accius* apud *Nonium: Simul ac nota vox ad aures accidit. Rittersh.* De rumore ſic loquuntur. *Virgil. 2. Æneid.*

Fando aliquid ſi forte tuas pervenit ad aures.

Scheffer.

Sentit] Eleganter reſpectu efficaciæ iſtius artis, quæ ipſos pœne ſenſus tangit, ac titillat; quemadmodum *Sentire medicinam* dixit *Celſus* de ægroto, cum per eam convaleſcit: Si, inquit, experiris ſcriptas eſſe has Fabulas non inepte, ſed arte ſingulari; Ita mox *Lib. 3. ad Eutych.*

Ut liber animus ſentiat vim carminis. Scheffer.

Omnem querelam ſubmovet felicitas] Ita mihi beatus videor, nullum ut querendi locum relictum eſſe putem. *Fab.* Submovet, eſt tollit, aufert, removet. *Scheffer.*

Sin autem ab illis doctus occurrit labor,
Siniſtra quos in lucem natura extulit,
Nec quicquam poſſunt, niſi meliores carpere,

Fatale

Fatale exitium corde durato feram,
Donec fortunam criminis pudeat sui.

Occurrit] Id est, adversus sit, certe *Occurrere*, pro *Adversari*, & *Propertius* meus dixit. *Schop.* Subtilitatem quærit ubi nulla est: Dixerat supra, *Pervenit ad aures*, id hic alio modo reddit per *Occurrit*. Ergo *Occurrit* illis, est, *ad aures, ad manus eorum pervenit. Cic. de Orat. Nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret, atque incidet. Scheffer.*

Sinistra quos in lucem natura extulit] Qui aliter Diis iratis nati, & Scævi dicuntur. *Agell. Lib. 12. Cap. 13. Scævus profecto, & cæcus animi sorem, si cum haberem tui copiam, issem magis ad alium quam ad te.* Et *Symmach. Lib. 3. Epist. 68. Quæ à quibusdam scævis designata dicuntur. Schop.* Sic *Curtio* etiam *sinistra* dicitur *Lib. 7. Cap. 22. Natura*, inquit, *mortalium hoc quoque nomine prava, & sinistra dici potest, quod in suo quisque negotio hebetior est, quam in alieno. Nevelet.* Estque *extulit*, prodidit, edidit, sic *Cicero* loquitur alicubi *in Verrin.* de agro. *Scheffer.*

Fatale exitium] Malum quod fato, nulla nostra culpa accidit, quemadmodum *fatalia damna* dicuntur, *quæ imprudentibus accidunt l. 52. §. ult. ff. pro soc. Fatalis casus l. 5. C. de appellat. Fatali sorte consumptus l. ult. C. sol. matr.* Et *Fatale damnum l. 5. §. quod vero. ff. Commod. l. 2. §. 1. ff. de peric. & com. rei vend. l. 3. §. 1. ff. naut. caup. stab.* L.

Corde durato] Id est, *Obdurato*, ut *Catullus* loquitur, *pertendens animo*, ut *Propert. Lib. 2. Firma mente*, ut *Guntherus* meus *Lib. 1. Vers. 468.* Alludit autem ad sententiam versus *Euripidei*: τὰς γὰρ ἐκ θεῶν ἀνάγκας, θνητὸν ὄντα δεῖ φέρειν, hoc est, *Ferre fata Divum oportet, qui satus mortalis est*, vel, *à Diis decreta ferto, quisque natus est homo*, vel ut ante nos vertit. *Georg. Ratallerus*: *Quæ fata statuunt, ferre mortales decet*, Cui similiter *Sophocles Philoctete*; ἄκουσον ἀνθρώποισι τὰς μὲν ἐκ θεῶν τύχας δοθείσας ἐς' ἀναγκαῖον φέρειν. Addit ibidem antithesin malorum, propria culpa attractorum.

Ὅσοι δ' ἑκουσίαισιν ἐγκείνται βλάβαις.
ὥσπερ σὺ τούτους οὔτε συγγνώμην ἔχειν
Δίκαιόν ἐστιν οὔτ' ἐποικτείρειν τινά.

Id est, interprete *Q. Septimio Flor. Christiano*:

—— Adverte: quæ mortalibus
Fata invehantur cælitus, necessitas
Jubet illa ferre; at sponte qui miser sibi,
Accersit ultro incommodum, quod tu facis,
Nec misericordiam ille, nec veniam meret.

Rittersh. Destinato animo dixit *Catullus.*

At tu, Catulle, destinatus obdura.

Petron. Sat. Cujus tam crudeles manus in hoc supplicium durassent. Virgil. Lib. 3. Georgic.

—— humeros ad vulnera durat.

Lucret. Lib. 5.

Atque opere in duro durarent membra, manusque.

Vetus Gloss. *durat*, καρτερεῖ, μακροθυμεῖ, ὑπομένει. *Seneca Controv. 1. Corpus illi erat & natura solidum, & multa exercitatione duratum. Rigalt.* Ita & *Plaut. Pseudol. Act. 1. Sc. 3.*

CA. *Crucior.* PS. *Cor dura.*

Scheffer. Et *Ovidius* ad uxorem ni fallor:

Perfer & obdura, multo graviora tulisti,
Eripuit cum me Cæsaris ira tibi.

L.

Fortunam criminis pudeat] Quia vir bonus infelix fortunæ crimen est, ut quæ innocentiæ ipsius injuriam faciat. Æquum enim esse videtur, ut bene bonis sit, male malis: Quod nunc abest: ut est in veteri versu apud *Ciceronem.* Vide carmen in fortunam *Catalect. Virgil. Rittersh.* In hanc sententiam *Claudian. Lib. 1. in Rufin. Vers. 12.*

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aſpicerem. Lateſque diu florere nocentes
Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat
Relligio &c. ———

L.

PHÆDRI,

PHÆDRI,
AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI,
FABULARUM ÆSOPIARUM,
LIBER TERTIUS.

PROLOGUS.

Phædrus ad Eutychum.

PHædri libellos legere ſi deſideras,
Vaces oportet, Eutyche, à negotiis,
Ut liber animus ſentiat vim carminis.

Vaces oportet] *Plin. Lib. 9. Epiſt. 31. Eam reverentiam cum litteris ipſis, tum ſcriptis tuis debeo, ut ſumere illa, niſi vacuo animo irreligioſum putem.* Nevel.

A negotiis] Ita vocat curas publici officii, quomodo plerique veteres, unde etiam *negotioſa vita*, quæ opponitur privatæ, & otioſæ, & contemplationi litteriſque deditæ; dicam pluribus in commentariis

mentariis ad *Officia Ciceronis. Scheffer.* Vacare autem à negotiis dicitur hic vel absolute quasi feriari, uti apud ICtum. in *l.* 30. §. 1. *ff. de Verb. Sign. Rustici stipulas illectas cum vacaverint colligunt*, vel quemadmodum hoc usurpatur in *l.* 6. *ff. de legation. Vacare à legatione*, id est immunem esse. Et *vacare à neminibus l.* 2. §. *purus. ff. de religios.* Item, *vacare à tutelis l.* 17. §. *pen. l.* 22. *ff. de excusat.* Sic *Vacare culpa*, id est, carere *l.* 3. *ff. de magistrat. conven.* Atque ita quantum existimo *vacantes* ab Impp. appellantur, qui nulla jam dignitate funguntur, sive munere excesserint, sive nunquam gesserint *l. ult. C. ut dignit. ord. serv. l. ult. C. de primicer. & secund. Lib.* 12. *Vacantes* etiam *tribunos* apud *Ammian. Marcellin. Lib.* 31. *& Veget. Lib.* 3. *Cap.* 17. legimus. L.

Vim carminis] Sicuti *vis eloquentiæ* dicitur, & in *l.* 17. *ff. de legib. Scire leges. non est verba earum tenere sed vim ac potestatem*, quæ vocabula etiam alibi in jure conjuncta reperies. L.

Verum, inquis, tanti non est ingenium tuum
Momentum ut horæ pereat officii mei.
Non ergo causa est manibus id tangi tuis,
Quod occupatis auribus non convenit.
Fortasse dices, aliquæ venient feriæ,
Quæ me soluto pectore ad studium vocent.

Momentum ut horæ] Vetus Gloss. Ροπὴ ἐπὶ ὥρας. momentum. *Rigalt.*

Officii mei] Dixi superius quid sit. *Fab.* 30. *Lib.* 1. Ut *tempus officii* dicitur, sic & *hora officii*, ut *temporis momentum*, sic & *horæ momentum*, atque hinc *momentum horæ officii*, minimum temporis horæve punctum, quæ hora vel quod tempus officio est distinatum. Pœne ad eundem modum, sicut apud *Corn. Nep. Vitæ Attic. Cap.* 3. *Domicilium orbis terrarum imperii* legimus. *Scheffer.*

Occupatis auribus] Eleganter in expositione ad præcedens *manibus*, unde illud *tuis*, huc trahendum est. Videtur autem hic Eutychus fuisse quispiam ex ijs, quorum opera proponere res suas Principi solerent, id est, qui audire negotia omnium, & ad principem deferre deberet: idque velle istam aurium occupationem. *Scheffer.*

Auribus] Quandoquidem hic nihil est quod agamus (quippe omnia facilia sunt) & urbanus atque elegans lector haud ægre patietur sibi à me bene fieri, adscribam, quod nemo, ut arbitror, usque adhuc observavit. *Ovidius* primo carmine *Lib.* 3. *Amor.* Elegiam & Tragædiam, quas veluti Musas εἰθωλοποιεῖ, loquentes introduxit, illæ ubi orationem, lepidam sane, ô Veneres, & ingeniosam habuerunt; tum respondens amænissimus Poëta hæc quæ sequuntur, scribit:

—— Per vos utramque rogamus,
In vacuas auras verba timentis eant.

&c. Sed ibi magnam injuriã χαριεστάτῳ scriptori fecit superiorum seculorum socordia; Est enim fæda macula, & quam ex tam venusta facie muror ab *Ovidii* amatoribus, quos semper habuit plurimos, & usque habebit, sublatam non fuisse. Nam si quæ ibi dicuntur, incorrupta forent, vide, lector, quam ridicule faceret *Ovidius*, hæc quippe orationis illius sententia esset, *O Elegia, & tu ô regina Tragædia, quæ dicam tremebundus, ea, quæso, in aures abeant*: vel *nulla eorum quæ à me dicuntur, ratio habeatur*: quæ dicam, indicta sunto. Cum contra, lector, longe aliud sibi velit *Ovidius*, nempe, *audite me timentem, quæso, & vacuis auribus, quæ dicam contra, accipite*, itaque nullus dubito, quin scripserit Poëta;

In vacuas aures verba timentis eant.

Totum illud carmen lege modo, & mecum senties. Huic emendationi possem & alte-

alteram addere, quam postulat distichon sequens, in hoc versu,

Et jam contracto magnus in orbe sonor,

Sed indicasse nunc sat habeo; dicam alias quid mihi videatur. *Fab.*

Soluto pectore] Bono sensu, pro libero à auris. Quomodo *Cicero*, *animo soluto, ac libero*, dixit *in Verr.* 1. *Scheffer.*

Legesne, quæso, potius viles nænias,
Impendas curam quam rei domesticæ,
Reddas amicis tempora, uxori vaces,
Animum relaxes, otium des corpori,
Ut adsuetam fortius perstes vicem.

Viles nænias] Sic per modestiam, aut usurpans cogitata Eutychi, fabulas hasce suas *Phædrus* appellat; aut quia sic habentur ab iis, qui rem amant, de quibus statim sequitur: *Nænia* Fabula qua mulcentur aures puerorum. *Horat.* 1. *Epist.* 1.

Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Nænia, quæ recte regnum facientibus affert.

Scheffer.

Quam rei domesticæ] Vult frustra dicere ferias Eutychum, quippe quibus quidvis potius sit acturus, quam lecturus fabulas. *Scheffer.*

Reddas] Optime, velut ex debito mutui officii: Nam *reddere* est tributum sibi, suisque negotiis ab aliis iisdem retribuere, ac pariter vacare aliis. *Scheffer.*

Uxori vaces] Ἔργῳ, vel ut loquitur *Martian. Fel. Lib.* 1. *Vacatione maritali. Rem facias mariti Fab. declam.* 291. *Officio nuptiali Petron.* Nec enim nubunt puellæ nisi ut mariti facto mulieres fiant, alias vanum connubii nomen, nec ullæ nuptiæ, sed nuptiarum umbra, videndus *Achill. Tat.* 5. *Leucipp.* Solent autem ignavi, ac desidiosi homines conjugium quasi studiorum impedimentum criminari: & quis librorum, inquiunt, viles Nænias legere malit, quam uxori vacare? Imo probæ & pudicæ uxores ad Musas incitamenta sunt & lepide, quia stilo maritali exarari solent, pugillares nuncupantur *Artemidor.* 2. *Oneirocrit.* Πινακὶς γυναῖκα σημαίνει διὰ τὸ τύπους παντοδάπους γραμμάτων ἐπιδεχέσθαι. Τούτους δὲ ἐν τῇ συνηθείᾳ καὶ τὰ τέκνα καλοῦμεν. Sic Pompejus Saturninus quam virginem, hoc est, puram, simplicem, illiteratam, & quasi novos pugillares acceperat, eruditam ac literatam fecit, *Plin.* 1. *Epist. Sidon. Apollinar. Lib.* 2. *Epist.* 10. Hesperio: *Opus est ut sine dissimulatione lectites, sine fine lecturias: neque patiaris ut te ab hoc proposito propediem conjux domum feliciter ducenda deflectat. Sisque opido meminens, quod olim Martia Hortensio, Terentia Tullio, Calpurnia Plinio, Prudentilla Apulejo, Rusticiana Symmacho, legentibus, meditantibusque candelas, & candelabra tenuerunt; certe si præter rem oratoriam contubernio feminarum, Poëticum ingenium, & oris tui limam frequentium studiorum cotibus expolitam, quereris obtundi, reminiscere quod sæpe versum corinna cum sua Nasone complevit, Lesbia cum Catullo, Cesennia cum Getulico, Argentaria cum Lucano, Cynthia cum Propertio, Delia cum Tibullo; proinde liquido claret studentibus discendi per nuptias occasionem tribui, desidibus excusationem. Rigalt.*

Otium des Corpori] Id est, Corpus cures. *Rittersh. Plin. Epist.* 19. *Corpori vaco, cujus fulturis animus sustinetur. Rigalt.* Ut hic, *dare otium corpori*, sic infra *Fab.* 14. *dare lusum animo* dixit. *Scheffer.*

Ut adsuetam] Lege ὑφὲν adsuetam: nam perstare ad vicem suetam, parum Latine dici arbitror. At perstare vicem eleganter dictum, ut perseverare aliquid *Symmachus*, & alii. Est autem totum hoc proœmium elegantissimum, & satis liberum. Quis Eutychus iste fuerit, qualeve officium, aut qualem vicem in aula

Tiberii ſuſtinuerit, non habeo compertum: Fortaſſe libertus aliquis potens fuit in aula imperatoris, ut & de Particulone, & de de Filito ſuſpicari libet, quos infra compellat: Facit quidem *Joſephus Lib.* 18. *Antiquit. Judaic.* Duorum mentionem libertorum, & aurigarum, quibus Eutychis nomen fuit; ſed eorum alterutri hæc à *Phædro* ſcripta fuiſſe vix auſim dicere. *Rittersh.* Eutychi adoleſcentis etiam mentio fit apud Euangeliſtam *Lucam* in *Act. Apoſt. Cap.* 20. *Vers.* 9. L. Poſuit *vicem* pro munere, ita *Tacitus* explere vicem de iis, qui peragunt ea, quæ ſunt ſui munetis 4. *Annal.* 8. *Veſtram, meamque vicem explete. Scheffer.*

Mutandum tibi propoſitum eſt, & vitæ genus
Intrare ſi Muſarum limen cogitas.
Ego, quem Piërio Mater enixa eſt jugo,
In quo Tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi
Fœcunda novies artium peperit chorum,

Piërio] Dixi ex hoc ante, in vita *Phædri. Urſinus* habet pro locutione proverbiali, ſine cauſa hoc in loco ut exiſtimo. *Scheffer.*

In quo Tonanti ſancta Mnemoſyne Jovi] *Orpheus Hym.*

Μνημοσυνης καὶ Ζηνὸς ἱερηγόρε θύγατερες
Μῶσαι πιερίδες μεγαλώνυμοι ἀγλαόφημοι.

Idem:

Μνημοσύνην καλέω Ζηνὸς σύλεκτρον ἄνασσαν
Ἠ' Μῶσας τίκτουσ' ἱερὰς ἐσίας λιγυφώνους.

Eumelus:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς ὀλυμπίε εἰνατὰ κοῦραι.

Solon:

Μνημοσύνης καὶ Ζηνὸς ἀγλαὰ τέκνα. *Antonius Liberalis Metamorph.* Ζεὺς Μνημοσύνην μιγεὶς ἐν πιερίᾳ Μούσας ἐγέννησεν. *Rigalt.* *Plutarchus* ἐκεῖ παίδ' ἀγωνίαν reddit cur Mnemoſyne Muſarum dicatur parens, ἡ μνήμη ὥσπερ παιδείας ἐστὶ τιμιώτατον. καὶ διὰ τοῦτο μητέρα τῶν νυμφῶν ἐμυθολόγησαν εἶναι τὴν Μνημοσύνην αἰνιττόμενοι καὶ ὅτι δηλοῦντες ὅτως ἂν γενναίως καὶ τρέφειν, ὡς ἡ μνήμη πέφυκε. Vide *Max. Tyrium* Serm. κή. *Nevelet.*

Fœcunda novies] Quæ novem edidit liberos uno partu, eleganter. *Scheffer.*

Artium] Muſarum, quæ artes invenerunt, vide de his omnibus *Gyraldum*, peculiari ſyntagmate de Muſis. *Scheffer.*

Quamvis in ipſa natus ſim pæne ſchola
Curamque habendi penitus corde eraſerim,
Et laude invita in hanc vitam incubuerim,
Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.

Quamvis in ipſa natus] Sic de Epaminonda *Juſtin. Lib.* 6. *Cap.* 11. *Jam litterarum ſtudium jam Philoſophiæ doctrina tanta, ut mirabile videretur, unde tam inſignis militiæ ſcientia homini inter literas nato. Nevel.*

Schola] Quia à Piërio Monte, Muſiſque ibi habitantibus propagatæ artes in cæteras orbis partes ferebantur. Videtur autem ſimul hic innuere noſter quod Scholaſticus fuerit, forte Rhetor, vel Grammaticus. *Scheffer.*

Curam

Curam habendi] Sic amorem habendi *Ovidius* dixit avaritiam :

Tempore crevit amor, qui nunc eſt ſummus habendi.

Et *Horat. 1. Epiſt. 7.*

——— *amore ſeneſcit habendi.*

Rittersh. Ita & *Ovidius Lib. 1. Metamorph. in pr.*

——— *amor ſceleratus habendi.*

Et eodem ſenſu *Virgilius :*

——— *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri ſacra fames ? ———

L.

Eraſerim] Eleganter ad indicandum ſtudium ſummum ejiciendæ ejus cupiditatis, ſic *eradere timorem*, dixit *Seneca in Thyeſt.* Pulcherrimus alias locus, qui oſtendit, quid pleriſque ad veram eruditionem obſtet, nempe ſtudium divitiarum. Vix enim iſta duo conſiſtunt inter ſe, neque poteſt fieri ut unus idemque ſimul & literis det operam, & congerendis pecuniis: id quod quotidianis pœne addiſcimus faſtidium exemplis. *Scheffer.* Atque ita ergo *eradere*, quaſi radicitus evellere, plane abdicare abolere, quemadmodum, *Paul. Lib. 1. Sentent. 23. Eradere inſcriptos monumento* dixit. L.

Laude invita] Quippe quæ me alio trahebat, cum in iſtoo vitæ genere intelligeret ſe mihi non poſſe prodeſſe. Vult ſe nullam ſpectaviſſe laudem gloriamque in eligendo hoc vitæ genere, ſcholaſtico ſcilicet ac literato, non magis quam divitias: ſi enim illud voluiſſet, debuiſſe aliud ſequi genus, quod vulgo magis laudatur, cui laus eſt favorabilior. Atque hoc eſt *laude invita*, ut opinor. *Scheffer.*

Faſtidioſe] Ægre, difficulter, & quaſi cum faſtido, ac dedignatione ejus, qui tantopere ambit; Sic *Cicero in Ep. ad Attic. Lente & Faſtidioſe probare. Scheffer.* Ita *Petron Sat. Sed tanquam mendici ſpolium, etiam faſtidioſe venditabat.* L.

In cœtum] Muſarum; ſenſus: etiamſi omnia poſtrabeam literis, ac doctrinæ, ut opes, & gloriam, tamen ad eam veram ſolidamque non niſi difficulter, ac ſero pervenio. Veriſſime ſed paucis perſuadetur. *Scheffer.*

Quid credis illi accidere, qui magnas opes
Exaggerare quærit omni vigilia,
Docto labori dulce præponens lucrum.

Quid credis illis &c.] Hægeſias apud *Rutil. Lup. 2. de fig. Sent. Aliter in ſtudio laudis verſabatur, & induſtria virtutis vitam glorioſam, ſed ſed laborioſam ſequebatur: alter in augenda pecunia occupatus, & habendi cupiditate depravatus, ſummas divitias ſummam virtutem exiſtimabat. Rigalt.*

Accidere] Quomodo putas illum poſſe evadere doctum qui &c. *Scheffer.*

Magnas opes exaggerare] Sic infra *Lib. 4. Fab. 19.*

Qui dum quadrantes aggeras patrimonio.

Quanquam ibi forte aggeras, eſt ab adgerere, non ab aggerere, ſic *Cic. 1. de Offic. Exaggerare rem familiarem*, & *4. Catilin. auctæ atque exaggeratæ Fortunæ.* Pari elegantia *Petron. Arb.* Dixit extruere divitias. *Qui ſolus extruere divitias curant, nihil volunt inter homines melius credi, quam quod ipſi tentent. Rittersh.* Ita eleganter *exaggerare iter* dixit ICtus. in *l. 3. §. 15. ff. de itin. actuque priv.* id eſt, accumulare, ceſpites aut aliam materiam ei aggerere, & *exaggerare ſententiam* in *l. 3. §. 1. ff. de decurion.* L.

Quærit] Pulchre de eo qui cum ſumma deligentia, & deſiderio agit. *Virgil. 7. Æneid.*

——— *Cunctantem, & quærentem dicere plura.*

Liv. Lib. 1. Cap. 14. Cum parte majore atque omni equitatu protectus, id quod quærebat, tumultuoſo, & minace genere pugnæ adequitando ipſis prope portis hoſtem excivit. Scheffer.

Vigilia] Non tam *vigilantiam*, ſignificat, ut exiſtimant, quam *curam*, & *ſollicitudinem. Cic. præf. Parad. Illud majorum*

vigiliarum munus in tuo nomine apparuit. Scheffer. Ita Imp. in *l.* 35. *pr. C. de Inoffic. test. Observationem testamentorum multis vigiliis excogitatam.* Perinde autem est quasi dicat noster per noctes atque dies, ut cura illa habendi ne quidem somnum & quietem ipsis permittant, unde apud *Ovidium Lib.* 8. *Metamorph. Nox* dicitur:

——— *Curarum maxima nutrix.*

Quam Romani in quatuor *Vigilias* diveserant, quibus videlicet excubiæ agebantur, quas eadem ratione Græci φυλακὰς vocant. Eas autem distinguerunt, ut prima incipiat à vespera, secunda ad μεσονύκτιον pertingat, tertia ad gallicinium transeat; quarta in ortu luminis adimpleatur, unde *quarta vigilia* dicitur apud Euangelistam *Matth. Cap.* 25. *Vers.* 14. Ubi vide *Bezam in Notis.* Et *Cas. Lib.* 1. *de Bell. Gall.* Et *Lib.* 1. & 2. *de Bell. Civ. Tertia vigilia*, id est, media nocte dixit; atque ita *tradere suam vigiliam alteri*, proverbialiter dicitur à *Cic. ad Brut. Lib.* 2. Respiciens scilicet ad vigilias militares: nam qui in castris exploratorum, & excubiarum partes noctu obeunt, sua vigilia ubi perfuncti sunt, alii aliis vigeliam quasi per manus tradunt. Hinc etiam *vigiles* nocturni excubitores vocabantur, qui noctu incendiorum arcendorum causa vigilias agebant ex Augusti instituto, qui per singulas urbis regiones eos deposuit, præfecto eis ex equestri ordine viro spectabili, qui *Præfectus vigilum* est appellatus *l.* 12. & 13. *ff. de offic. Præf. vig. l. ult. ff. de cond. caus. dat. l.* 2. §. 1. *ff. de fugitiv. l.* 58. *ff. de furt.* L.

Docto labore] Sic supra *Lib.* 2. *in fin. ubi Auct.*

——— *Doctus occurrit labor.*

Democritus Hippocrati. Ἀνόητοι ἄνδρες παρ' οἷς ὁ πόνος τῆς ἀρετῆς μανίη κρίνεται. *Rigalt.*

Dulce] Opponitur eleganter præcedenti *Docto*, quasi diceret: ibi labor est, hic lucrum: ibi doctum quidem aliquid, at hic dulce, quod est longe melius. *Dulce* est jucundum propter varias utilitates ex pecunia. *Scheffer.*

Sed jam quodcunque fuerit (ut dixit Sinon
Ad regem cum Dardaniæ perductus foret)
Librum exarabo tertium Æsopi stylo,
Honori & meritis dedicans illum tuis:
Quem si leges lætabor: sin autem minus,
Habebunt certe quo se oblectent posteri.

Quodcunque fuerit] Noti sunt *Virgilij* Versus *Lib.* 2. *Æneid.*

Cuncta equidem tibi, Rex, fuerint quæcunque fatebor,
Vera, inquit. &c. ———

Nevel. Sive perveniri hac ratione possit ad eruditionem, qua tu putas, sive non possit, ut ego censeo; porro in proverbium veluti hoc abivisse apud veteres, haud ægre assentior *Lud. Phraschio*, ita suspicanti hoc loco. *Scheffer.*

Librum exarabo tertium Æsopi stylo] Elegantissime hæc omnia, nec possum quin pauca hic de antiqua veterum scribendi ratione ex Adversariis meis adjiciam, quod nec me nec lectorem, spero, pœnitebit: Dixit *Plin, Lib.* 13. *Cap.* 11. *In palmarum foliis primo scriptitatum, deinde in quarundam arborum libris:* Quo loco *Liber* in propria significatione accipitur, nempe pro interiore tunica corticis, quæ ligno cohæret, in qua veteres scribebant, & hinc *Liber* usurpatur pro scriptis hominum aliquo volumine comprehensis. Similiter Græcis βιβλος proprie est interior tunica papyri fruticis, ex qua interiore tunica olim chartam conficiebant; atque hinc βιβλος etiam pro libro vel scripto usurpatur. Proveniebat autem papyrus frutex in palustribus ripis fluminis Nili (qui etiam Melo vocatur teste Festo) ubi etiam calami ad scribendum apti nascebantur: Hinc

Hinc *Apul. 1. Miles.* In ipſo principio ait: *Si papyrum Ægyptiam, argutia Nilotici calami inſcriptam*, id eſt, chartam inſcriptam calamo arguto. *Auſonius* autem *Epiſt. 4. Melonis albam paginam*, pro eodem dixit. & *Epiſt. 7. Campum papyrum* vocat. Deinde ſcripſerunt veteres *Stylo*, in tabulis ceratis, id eſt, oblitis cera; unde liquet cur *Stylus* pro ipſa ſcriptione, item tabulæ vel tabellæ, de ſcriptis literis, vel codicillis uſurpentur, unde etiam tabelliones dicti ſint; hæ autem tabellæ conficiebantur ex arborum *Caudice* (pro quo & *Codex* dixerunt, ut plaudo, plodo; Claudius, Glodius) unde & *Codex*, & *Codicilli* de *Libris* uſurpantur. Ad hanc autem ſcribendi conſuetudinem pertinet illuſtris locus Titinni veteris Comici apud *Sofipatr. Lib. 1. Pag. 142. Velim ego eſſe arare campum cereum*, id eſt, ſtylo oſſeo inſcribere aliquid ceratis tabellis, unde liquet cur dixerint *in prima*, & *in ima cera*. Optime in allegata ſignificatione vocabulo *Stylus* utitur *Valer. Max. in princip. Lib. 2.* Ubi ait: *Præpotens naturæ regnum ſervatus, injiciam ſtylum noſtræ urbis memorabilibus inſtitutis*, ſignificat ſe ſcripturum res memorabiles Urbis Romæ; & idem *Lib. 3. Cap. 7. in Extern. 1. Cunctante ſtylo elaboratum opus per omne ævi tempus plenis gloriæ velis feretur.* Similiter *Paterc. Lib. 1. Hiſtor. Cap. 16. Nequeo imperare mihi quin rem ſignem ſtylo*, id eſt, conſcribam, & memoriæ prodam. Notandum præterea inſigne dictum *Cic. 1. de Orat. Omnes ſententiæ, verbaque maxime illuſtria ſub acumen ſtyli ſubeant, & ſuccedant neceſſe eſt*, id eſt, quaſi ultro inter ſcribendum ſeſe ingerant, & occurrant, ut ibidem loquitur, vel ſub *Manu naſcantur*, uti *Sen. Epiſt. 7.* Imperator quoque in *l. 1. in fin. C. de ſs. Eccleſ.* ait, *Nihil eſt quod magis hominibus debeatur, quam ut ſuprema voluntatis (poſtquam jam aliud velle non poſſunt) liber ſit ſtylus, & licitum quod iterum non redit arbitrium.* Superior autem *Styli* pars obtuſa erat, qua in cera quæ ſcripſerant inducebant: unde inducere, pro obliterare, & abolere, ut *1. ad Attic. Inducere Senatus conſultum*, vel magis emphatice *Imis ceris aliquid eradere* apud *Hieronymum*, id eſt, penitus delere, & obliterare, ut nec vola, nec veſtigium ejus extet. Cum autem in cera ſcriptum inducerent, ſtylum vertebant, unde etiam apud *Cic. 4. Verr. Stylum vertere*, pro delere uſurpatur. Cum autem *Suetonius* ait, *tragœdiam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo abolevit*, id eſt, ipſa compoſitione, modo tractandi, non bene ſuccedente. Variis autem Epithetis *Styli* vox inſignitur; quomodo *Stylus decretorius* dicitur, cum quis poſt aliquam dilationem certo ſtatuit decretum adverſus aliquem facere, vel condemnandi vel puniendi. Item pater *ad decretorium ſtylum decedere* dicitur apud *Sen. 1. de Clement. Cap. 14* Cum tandem certe ſtatuit filium abdicare, & tabulæ exhæredationis jam conſcribuntur. Deinde *Stylus cenſorius Cic. pro Cluent.* Stylum cenſorium diſtringere, cum vel ſcripto vel verbis aliquem, vel alicujus factum vel dictum acrius caſtigamus & carpimus: unde recte dixeris ſcriptum ineptum atque alicujus Ariſtarchi cenſorio ſtylo digniſſimum, id eſt, *Cenſoria virgula* ut *Fabius*, vel *Caſtigatoria ſeveritate* ut *Sidon. Lib. 4. Epiſt. 1.* loquitur L.

Stylo] Non ad *Æſopi*, ſed præcedens *Exarabo* pertinet, *Exarare ſtylo*, eſt ſcribere. Vide me in opuſculo peculiari *de Stylo. Scheffer.*

Nunc Fabularum cur ſit inventum genus
Brevi docebo. Servitus obnoxia
Quia, quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas tranſtulit,
Calumniamque fictis eluſit jocis.

Fabularum genus] Id eſt Fabulæ. *Scheffer.* Supra *Lib. 2. in Prol.*

Exemplis continetur Æſopi genus. Rigalt.

Servitus

Servitus obnoxia] Intelligit *Æſopum*, qui Xantho Philoſopho ſervitutem ſervviſſe dicitur, ære ipſius redemptus; ſervum autem hominem ut *Plautus* alicubi, ait, oculos, manus, linguam habere continentem oportet: pluſque adeo ipſum ſcire, quam loqui decet. Eſt autem hæc ſors communis ſervo cum exule: de quo Polyxenes apud *Euripidem* interrogatus à matre, *τί φυγάσι τὸ δυσχερὲς*; quæ res maximè accideret moleſta exulibus? Reſpondet: *ἓν μέγιστον, οὐκ ἔχει παῤῥησίαν.* Illud, inquit, omnium maximum, quod libere loqui non licet. Tum Jocaſta: *Servile hoc narras, non loqui quod ſentias audere.* *Δοῦλα τοῦτ' εἶπας μὴ λέγειν, ἃ πᾶς φρονεῖ.* *Rittersh.* Simile *Suidas* in *Αἴσωπος*. *ὃν ὁ νόμος ἐμπεδοῖ παῤῥησίας, τούτῳ σφόδρα ἐσπάνιζον ἢ ἰσχναγωγούμενας τὰς συμβολὰς καὶ ποικιλλόμενας ἡδονῇ καὶ χάρισι σφόδρα φέρειν.* Vide ibidem plura huc facientia. *Nevel.*

Obnoxia] *Ὑπήκοον.* *Rigalt.* Arbitrio, ac poteſtati alienæ ſubjecta abſolute: ita *Animum obnoxium* dixit *Plin. Præf. Operis.* Et apud *Sueton. Tib. Cap.* 12. *Obnoxium egit.* *Plaut. in Trin. Act.* 4. *Sc.* 3. *Si bonus eſt, obnoxius ſum.* Vide totum locum. *Scheffer.* Dicitur autem in jure *Obnoxius*, qui crimine, vel pœna tenetur, & qui vinculo aliquo obligationis, ſive ex contractu, ſive & delicto, & maleficio obſtringitur. *Filio obnoxius eſſe debet l.* 47. §. *ult. ff. de fidejuſſor.* Id eſt, obligatus. *Obnoxius debitoribus l.* 3. *C. quand. fiſc. An obnoxius ſit ad præſtationem frumenti l. ult.* §. *ult. ff. de contrah. empt.* Elegantor *Caſſiador. Lib.* 12. *Variar. Epiſt.* 10. *Reatus quidam eſt, eſſe ſub debito, nec liber poteſt vaneiter dici, qui probatur obnoxius reperiri.* At quemadmodum hic à *Phædro* uſurpatur eſt adſtrictus, alligatus, quemadmodum etiam ICti. dixerunt; *Obnoxius muneribus civitatis l.* 4. §. *ult. ff. de muner. & honor. Obnoxius legibus l.* 11. *C. de accuſation. Obnoxius ſententiæ l.* 67. §. *ult. ff. adminiſtr. & peric. tut.* Et ſimilia. Hinc *Obnoxioſus*, quaſi multum obnoxius, *Plaut. Trin. Act.* 4. *Sc.* 3.

Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam
Magis quîs ſunt obnoxioſi, quam parentes liberis.

L.

Affectus] Non intelligit perturbationes, ſed res, quæ accidebant ipſi, quæ eum afficiebant. Hoc vult, omnes caſus qui evenerant, omnem injuriam qua afficiebatur, ultum eſſe Fabula. Ita *Celſus corporis affectus* uſurpavit pro eo, quo corpus aliter, atque aliter afficitur. *Scheffer.*

Fictis eluſit jocis] *Avien.* Theodoſio: *In his ſcilicet urbane concepta falſitas decet, & non incumbit neceſſitas veritatis.* Vide *Aphthon. in Æſopi Vita.* Sub fin. & *Theon. Sophiſt. Progymnaſm. Rigalt.* Fabulas intelligit, dixi ſupra. *Scheffer.*

Ego illius porro ſemita feci viam,
Et cogitavi plura, quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.

Illius ſemita feci viam] Quid inter hæc duo interſit, ex *Ennii* verſu cognoſcere licet, quem refert *Cicero* 1. *de Divinat. Qui ſibi ſemitam non ſapiunt, aliis monſtrant viam*: Sic *Plaut. Coſina*: *De via in ſemitam regredere.* Latior igitur via, anguſtior ſemita: Dicit ergo *Phædrus* ſe *μυθοποιΐαν* ab Æſopo inventam, aliarum adinventione fabellarum auxiſſe. *Rittersh.* Puto idem eſſe, quaſi dixiſſet, ivi, profectus ſum eam viam, quam ille ivit, nec diſtinguo hic inter viam, & ſemitam. *Cicero* dicit *Conficere viam.* Huc facit *Lucretianus* locus:

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita ſolo. ———

Schop. Rectiſſime *Rittershuſius*: hoc enim noſter vult ſe Æſopi ſemitam, qua unus, ſoluſque ambulabat repetendo, & frequentius, quam ipſe fecerat, calcando effeciſſe, ut fieret via. Semita fit via, cum à pluri-

pluribus incipit ambulari, & ſic magis vulgatur, atque dilatatur, id quod *Phædrus* à ſe aiit factum, ideoque ſubjicit, *& cogitavi plura, quam reliquerat. Scheffer.* Eſt enim *ſemita*, via anguſtior, ut auctor eſt *Varro Lib.4. de ling. lat.* Dicta quaſi *ſemi iter. Virgil. Lib.9. Æneid.*

Rara per occultos ducebat ſemita colles.

Sed promiſcue *ſemitam* pro via uſurpavit *Cic.4. Verr. Attendite, jam intelligetis, hanc pecuniam, quia via modo viſa eſt exire ab iſto, eadem ſemita revertiſſe.* Atque ita *Horat. Lib. 1. Epiſt.*

—— & fallentis ſemita vitæ.

Metaphorice vero, & obſcœne, hoc vocabulo uſurpavit. *Plaut. Curc. Act. 1. Sc. 1.*

Nemo ire quanquam publica prohibet via.
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam,
Dum tete abſtineas nupta, vidua, virgine,
Juventute, & pueris liberis, ama quod lubet.

Via autem dicitur quaſi *vehia*, quod vehendo teratur, ut *Varro dicto Lib. 4. de ling. lat.* Scribit. Et ut *Iſidorus Lib. 15. Cap. ult. qua ire vehiculum poteſt.* Hujus latitudo Lege 12. tabb. Definita eſt, pedes octo in porrectum, ſexdecim in anfractum *l. 8. ff. de ſerv. Præd. ruſt.* Alias *viæ* itinera dicuntur quibus publice commeatus eſt, quarum quædam publicæ quædam privatæ ſunt *l. 2. §. viarum. ff. ne quid in loc. publ. l. 38. ff. de acquir. rer. dom.* L.

Cogitavi] Pro compoſito *excogitavi*, Sic *Liv. Lib. 2. Cap. 55. aliud agendum ac cogitandum*, quem locum opportune Phraſcius hic notavit, *Corn. Nep. vita Dat. Cap. 6. Quod ad ſuam perniciem fuerat cogitatum. Scheffer.*

Quod ſi accuſator alius Sejano foret,
Si teſtis alius, judex alius denique,
Dignum faterer eſſe me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.

Alius Sejano foret] Vide *Cornel. Tac. Annal. 4. & 5. Sueton. Tiber. Cap. 61. Dio 58. Rigalt.* Hic quaſi alius quam Sejanus, vel à Sejano diverſus, *Horat.*

Neve putes alium ſapiente bonoque beatum.

Idem:

Ne quis ſeſe alius Lyſippo duceret ære.

Salluſt. *Aliud bello mallet.* Et *Plaut. Qui quærit alia his, mala videtur quærere.* Ita ibi recte decus noſtrum *Ianus Guilielmius. Schop.* Adde *Heins. ad Ovid. Amor. 1. Eleg. 1. Vers. 1. Scheffer.*

Index alius denique] Non vereor reſcribere *Index*, qui Latinis ſcriptoribus idem valet quod delator, *Cic. pro Muræn. vallatum indicibus atque ſicariis.* Et *Parad. ult. Videt domi tuæ pariter accuſatorum, & indicum conſociates greges.* Et tuus *Auſonius:*

Indice me nemo, ſed neque teſte petit.

Schop. Proprie autem *index* eſt, ut *Aſcon. Pædian. in Divinat.* Explicat, *qui facineris cujus ipſe eſt, conſcius latebras indicat, impunitate propoſita.* Græci μηνυτὴν, ab eadem origine, dicunt. Et ita apud *Ciceronem, Salluſtium, Livium, Suetonium* vox hæc accipienda eſt. *Ab indice nominati Plin. Lib. 10. Epiſt. 97.* id eſt, delati. L. Ego nihil muto: vox *judicis* vim Sejani innuit, ob quam ſatis ad damnationem in judicio fuit à Sejano accuſari. *Scheffer.*

Dignum] Quia paterer propter ejuſmodi aliquem, cujus vita fortunaque merentur ut ipſius gratia quid feramus. Nunc, quis eſt Sejanus, unco paulo ante tractus. Hoc opinor velle: *Scheffer.*

Suspicione si quis errabit sua,
Et rapiet ad se, quod erit commune omnium.
Stulte nudabit animi conscientiam:
Huic excusatum me velim nihilominus.
Neque enim notare singulos mens est mihi,
Verum ipsam vitam, & mores hominum ostendere.

Suspicione si quis errabit sua] Sever. Sulpit. in Lib. de Vita Martini pag. 291. *Nec vero quenquam nominare necesse est, licet nosmetipsos plerique circumlatrent, sufficit ut si quis ex his hæc legerit, & agnoverit, erubescat. Nam si irascitur, de seipso dictum fatebitur, cum fortasse nos de alio senserimus.* Idem Hieronym. Epist. ad Rust. De forma videndi: *Scio me offensurum esse quam plurimos, qui generalem de vitiis disputationem, in suam referunt contumeliam, & dum mihi irascuntur, suam indicant conscientiam, multoque pejus de se, quam de me judicant.* Nevel.

Et rapiet ad se] Querolus Prologo:

In ludis autem atque dictis, antequam nobis veniam exposcimus.
Nemo sibimet arbitretur dici, quod nos populo dicimus.
Neque propriam sibimet causam constituat communi in loco.
Nemo aliquid recognoscat, nos mentimur omnia.

Rigalt. Eleganter *Rapiet*, velut de re, ad se nihil pertinente. Dicet se tactum, & exagitatum tacite, hac illave Fabula. *Scheffer.*

Erit] Peculiari notione exponitur, pro, esse debet, ita infra *Fab.* 9. *Scheffer.*

Stulte nudabit] Intelligendum forte *licet*, cui respondeat *nihilominus*, sententia tali: Etiamsi per hoc quod talia ad se rapit, stulte ac inepte nudabit suam conscientiam, eamque conspiciendam omnibus præbebit, unde innocentia mea patefiet, tamen etiamsi sic de innocentia constabit mea, ego me apud ipsum nunc excusabo, quanquam & intelligatur locus absque illo *licet*, isto modo: nudabit ille conscientiam quidem nihilominus tamen ego velim me excusatum ei, quia non propterea scripsi, ut sic hic & ille se nudaret. Nisi quis existimet, fuisse apud nostrum *stulte, & nudabit.* Scheffer.

Neque enim notare singulos] Hoc est, quod alius Poëta dixit:

Parcere personis, dicere de vitiis,

Et quid si hic aliquis contendat legendum *Verum ipsa vitia & mores*, pro *ipsam vitam*, fateor tamen vitam & mores sæpe ἐπ' ἀμφοτέρα jungi. *Rittersh.* Notare itaque hic est, vel, ut in libris nostris ICti. dicunt alterius scriptis opiniones suas adtexere, & adsuere, vel improbandi reprehendendique causa, vel addendi de suo ita *Proculus apud Labeonem notat l.* 10. §. 1. *ff. de negot. gest. l.* 69. *ff. de condit. & demonstr. Juliani libro undecimo Digestorum Marcellus notat l.* 14. *ff. de in rem Vers.* Et infinitis aliis locis. Vel infamiæ ignominiæque notam inurere, ut *l.* 42. *ff. de injur. l.* 1. 2. & 6. §. *si quis alieno ff. de his qui not. infam. l.* 2. *C. ad Sc. Turpil.* Quasi dicat se nollealiorum scripta carpere, & reprehendere, vel etiam suis Fabulis illorum famam & existimationem lædere. Atque hinc *Nota* reprehensionem sententiæ, seu opinionis alienis scriptis insertam significat, ut, *ex nota Marcelli constat, l.* 10. *ff. de Castrens. pec.* Unde notæ appellantur alienis scriptis corrigendis, ampliandive causa insertæ à ICtis. opiniones & sententiæ; sic *Notæ Pauli atque Ulpiani, in corpus Papiniani factæ, l. un. de respons. prudent. in Cod. Theod. Quæ in notis Æmilii Papiniani, ex Ulpiano & Paulo, nec non Marciano adscripta sunt* §. *sed neque. Epist. de Concept. Digest. Remotis Ulpiani atque Pauli notis, l. ult. C. de sentent. pass.* Vel etiam *Nota* passim pro infamiæ, vel famæ & existimationis læsione usurpatur. L.

Ostendere] Quales nempe sint in vita communi. *Scheffer.* Exemplis & Fabulis quasi demonstrare, & declarare, sic, *hac demon-*

demonſtratione, meum, præſens non futurum tempus oſtendit, l. 7. ff. de aur. & arg. leg. Ordo quem Julianus oſtendit, l. 6. §. 1. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. Id eſt, ita demonſtrat, ut ibidem. *Multa exempla oſtendunt l. 29. ff. de Novat. Verba oſtendunt l. 3. §. 1. ff. de Sepulchr. viol.* Et ſimilia. Alias *Oſtendere* etiam eſt docere, & probare, *l. 3. §. 1. ff. ad exhib. l. 2. §. 1. ff. de dol. mal. except. l. 34. §. Gajus. ff. de legat. 2. l. 16. §. ult. ff. de manum. vind. l. 34. §. ult. ff. de fideic. libert.* Sic evidentibus, evidentiſſimis, legitimis, manifeſtis probationibus *Oſtendere* Juriſconſulti dicunt *l. 6. C. ſol. matr. l. 25. §. ult. ff. de probat. l. 40. ff. de teſtam. mil. l. 24. ff. de probat.* L.

Rem me profeſſum dicet forſan aliquis gravem:
Si Phryx Æſopus potuit, Anacharſis Scytha
Æternam famam condere ingenio ſuo:
Ego, literatæ qui ſum propior Græciæ
Cur ſomno inerti deſeram patriæ decus?

Si Phryx Æſopus] *Apulej. Apol. Quippe illa terræ alumna multum ad meliorem ſaporem juverit, & regio fecunda, & cælum pluvium, & ventus clemens, & Sol apricus, & ſolum ſuccidum; enimvero animo hominis extrinſecus in hoſpitium corporis immigranti, quid ex iſtis addi vel minue ad virtutem vel malitiam poteſt? Quando non in omnibus gentibus varia ingenia provenere? Quanquam videantur quædam ſtultitia vel ſolertia inſigniores. Apud ſocordiſſimos Scythas Anacharſis ſapiens natus eſt, apud Athenienſes Catos Meletides fatuus.* Et *Juvenal. Sat. 10.*

Cujus prudentia monſtrat.
Magnos eſſe viros, & magna exempla daturos.
Vervecum in patria Craſſoque ſub aëre naſci.

Vetus interpres: *apud Abderim aut Megarim quæ fuit patria Democriti, nam ex Cœli vitio regiones ſolent æſtimari. Nam fuit Democritus ubi ſtulti ſolent naſci id eſt, Achivus. Vult igitur Democritum inter ſtultos prudentiſſimum natum.* Vide Ep. Hippocratis & Democriti. *Rigalt.* Heraclitus enim affirmabat animam ibi eſſe prudentiorem, ubi aër eſt ſiccior. Unde Thebani pingues hebeteſque ſunt exiſtimati, quia Thebis aër ſit craſſiſſimus, contra Athenis ſit ſiccus, & ideo Athenienſes prudentiores habentur. Hinc *Horatius in Epiſt.*

Bæotum in Craſſo jurares aëre natum.
Illoſque magis corporis firmitati, quam ingenii acumini inſervire teſtis eſt Cornel. Nep. in Alcibiad. L.

Anacharſis Scytha] Anacharſis ſumma uſus eſt in moribus hominum carpendis libertate *Diog. Laërt.* παρέχε δὲ καὶ ἀφορμὴν παιγνιείας διὰ τὸ παῤῥησιαστὴς εἶναι. Τὴν ἀπὸ τῶν σκυθῶν φησιν. *Rigalt.*

Condere] Extruere, ſic *Plinius* dixit, condere laudes alicujus. *Scheffer.* Ita *Condere leges l. 3. & l. ult. C. de legib. Condere jura §. reſponſa. Inſt. de jur. Nat. Gent. & Civ.* Hinc *Ovid. Lib. 2. de remed. amor.*

Ac ne forte putes nova me tibi condere jura.

Unde *conditores legum l. 8. C. de pact. convent.* Et *Conditores juris l. 23. C. de procurat. l. 1. C. de com. ſerv. manum. l. ult. C. de legib.* Sic *legum atque jurium fictor, conditor* apud *Plaut. Epid. Act. 3. Sc. ult.* Atque hinc *Eutropius Lib. 1.* Ulpianum *juris conditorem* appellat. L.

Ego literatæ qui ſum propior Græciæ] *Ennod. Paneg. Theod. Educavit te in civilitatis gremio Græcia præſagâ venturi &c. Theſſalus* Hippocratis Filius Αἱ γὰρ Ἀθῆναι ὑψηλότερόν τι τῶν ἄλλων πόλεων εἰς δόξαν. *Arnob. 5. Athenæ humanitatis artibus ſtudiiſque pollentes. Tertull. Lib. de anima Cap. 20. Thebis hebetes & brutos naſci relatum eſt, Athenis ſapiendi dicendique acutiſſimos, ubi penes Colytum pueri*

menſe

menſe eloquuntur, præcoce lingua. Siquidem & Plato in Timæo Minervam adfirmat cum urbem illam moliretur, nihil aliud quam regionis naturam proſpexiſſe talia ingenia pollicitam &c. *Arnob. Lib. 5. advers. Gent. Quid Erichthidæ ô Cati, quid cives Minervii dicitis?* Sic enim elegantiſſime hunc locũ, una cum multis innumeris ſuo nitori reddidit *Fr. Pithœus* V. C. ex vetuſti codicis ſcriptura; *quid erit ideo cati Martial. Lib. 6. Epigr. 74.* Vide in hunc locum *Tranquill. de Illuſtr. Grammat. Cap. 4. Martian. Felic. Lib. 3. initio. Rigalt.* Hinc patet Græciam ſemper doctrinæ & eruditionis parentem Philoſophiæ, ac eloquentiæ matrem fuiſſe, Vide *Cic. de offic. Lib. 1. in pr.* & ejuſdem *Orat.* Atque inde Romanorum ſcientiam & literarum ſtudia derivaſſe, ejorumque juventutem in Scholis Græciæ eruditam fuiſſe patet ex illo *Ovidii:*

Nec peto quas quondam petiit ſtudioſus Athenas.
Oppida non Aſiæ quæ mihi viſa prius.

Unde Græcos libros κατ' ἐξοχὴν quaſi ſapientiæ, & eruditionis plenos, dixit *Juvenal. Sat. 3. vers. 26.*

Famque vetus Græcos ſervabat ciſta libellos,
Et divina Opici rodebant carmina mures.

L.

Deſeram] Omittam ornare, ac promovere cum poſſim. *Cic. in Epiſt. Attic. Non deſeram preces fratris, non caterorum promiſſa, nec ſpem uxoris, nec obſecrationem filiæ, nec fideles literas tuas.* Scheffer.

Threiſſa cum gens numeret auctores ſuos,
Linoque Apollo ſit parens; Muſa Orpheo,
Qui ſaxa cantu movit, & domuit feras,
Erebique tenuit impetus dulci mora.

Threiſſa cum gens] Indicat *Phædrus*, ſe gente Thracem eſſe, ideoque Græciæ, eruditionis parenti propiorem, quam vel Æſopus Phryx, vel Anacharſis Scytha. *Rittersh.*

Qui ſaxa cantu movit] Nota res de Orphei vi Muſicæ, vel ex elegantiſſimo illo Edyllio *Caſſii Parmenſis*, Poëtæ inter veteres Epicos eximii, & *Horatio* æqualis, quod quamvis jam ſæpe ſit editum, à nonnullis etiam negetur eſſe γνήσιον factum potius tentandi gratia ab *Achille Statio*, Luſitano: tamen hic quoque notis iſtis tanquam pulchrum quoddam emblema inſerere viſum eſt: Subjecta ejus metaphraſi Græca, olim elaborata ab avunculo noſtro doctiſſimo in gratiam virtutis eruditæ ſtudioſorum adoleſcentum; quibus & nos hanc operam damus:

Caſſii Parmenſis Orpheus.

Arguta primum cum plectra parentis,
& auro
Diſtinctam ſumpſit Citharam Rhodopejus heros;
Ridebant ſegnes pulſus, digitoſque micantes
Serius, & chordis indocta diſſona vocis.
Mox pudor exardens, & gloria dulcis honeſti
Luſibus avertit puerilibus, omnis & illuc
Perditus incumbens Muſæ pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus: hinc illic diſcens dependet utrinque
Nulla Venus faciem cœpit mentita doloſis
Compedibus: ſomnifuerat, parcuſque Lyæi;
Donec, ridiculus dudum, modulamine ſilvas
Evulſoſque ſuis ſcopulos radicibus egit:
Auſus & ire viam mortalibus inconceſſam.
Pœnarum oblitos demulſit carmine manes.
Non levis adſcenſus, ſi quis petit arduа; ſudor

Plurimus

Plurimus hunc tollit: Nocturno exſomnis olyvo.
Immoritur: delet, quod mox laudaverat in ſe,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

Poëmatij præcedentis metaphraſis Græca, Auctore *Matthia Bergio* Brunſwicenſi.

Ὀρφέα φασὶ τὸν πρῶτον ἐπὶ φόρμιγγα λιγείαν
Ματρὸς ἐῆς ἴαχῃσι καθοσιάδων μυκηθμὸν φωνῇ,
Πελὸν τοῖς ἄλλοισι χάλων χλιάνας τε ἐπόρουσε
Τῶ μέλιον τὸ ἀμέγαρτον, ἐπεὶ νωθρῆσί τι νεῦρα
Κρύσμασιν ἀμφαφάασκε, καὶ ὑδὸν ἰοιχθ' ἱπαδὸς.
Αἶψα δ' ὁμῶς ἀδῖν τε τιτρὶς καὶ ἰμέρου ὠδῆς
Χαίρειν πολλ' ἐκέλευσε τὰ παιδικὰ, καὶ φρὶν' ἔτρεψι
Παντῆμαρ καθὸς μῦσπα ὅσον ὀδίνων· ἐχ ὅγα μητρὸς
Οὔτι πατρὸς μεδέοις ἔτ' ἀοιδιάοντας ἴωρα.
Οὐδέ μιν ἀδολέοσα πόθῳ δαλήσατο κύπρις,
Οὐδὲ πόθοις σφιξχθὶντ' λέπ δέσμιον ἀλλαχόσ' ἦγε,
Οὐχ ὁ δὲδὺς βαθὺν ὕπνον ἐπιπαΐς, ἐχ ὅγα νηδὺν
Πολλὰ χαλζόμεν·, μοχέσκε ᾗ μᾶλλον ἐπ' ἀθῇ
Καὶ τὸ' ὁ πρῶα γελοῖ·, ὁ μηδὲν ἄρα ἐγ τὰ φθίγξας
Θιασσία ἐοσπῇ καὶ ἀτειρίμ ἄρισι πέτρας,
Φηγὼς τ' ἀγελάδας ἀκτῆς ἐπὶ τνλεθώσας
Ἐκ ἐπ μαινομένης τε ἀπὴ χαλθῆρας ἀγρώτας.
Τρηῖς δ' ἐπὶ κῇ ζωιῖσ' ἄστειπτον ἴδωσιν κίλοθρον
Τάναγον ἐνὶκ' ἔδη·, σκοπιὴν ὄδον, αἷδ· εἶεν
Μειλιχίῃ πυκινὸς κιθαρῇ, δι' ἴρατ' ἀλόχοιο.
Ἐνθ' ἄρα καὶ χθονίων τ' ἀπειθία χώρων ἔπεσε.
Πρὸς τὰ μέγις' ἐπέπαν ἡ ῥαδία ἐς' ἐπιδέρθρα.
Ἱδρὼς καὶ πόν· οὐρὺς ὀλεῖσ' ἀπὸ πίμπτην ἄνδρα
Οὓς κὴ ἀκαιμήτοισι κεμαιμέν· ὀφθαλμοῖσι
Ἐγκακυφὼς τε βίβλοισι, λύχνε τε κ' ἰλαίε ὄδωδε,
Τωθάζῃ θαμὰ τῦτ' ἐὼ ἰαυτῷ ἄκρῃ πρὶν ἐπηϊ.
Ταῦτα γε νωλεμέως ἔρδων κλέος ἄφιτον ἰοθλόν.

Extat de eodem & in *Catalectis Virgilianis* Epigramma, continens hujus allegoriæ expoſitionem, id eſt ejuſmodi:

Threicius quondam Vates fide creditus caronâ
Moviſſe ſenſus acrium ferarum,
*Atque amnes tenuiſſe vagos * * **
Et ſurda cantu concitaſſe ſaxa.
Snaviſonoque modo teſtudinis arbores ſecutæ
Umbram ferunturpræbuiſſe Vati;
Sed placidis hominum dictis fera corda mitigavit,
Doctaque vitam voce temperavit.
Juſtitiam docuit, cœtu quoque congregavit uno,
Moreſque agreſtes expolivit Orpheus.

Rittersh. Fuiſſe etenim cum Theologum referunt unde *Horat. Lib. 2. Epiſt. 3.*

Silveſtres homines ſacer interpreſque Deorum
Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus.
Dictum ab hoc lenire tigres, rabidoſque leones.

Vide *Serv. ad illud Virgil. Æneid. Lib. 6. Verſ. 645.*

Nec non Threicius longa cum veſte Sacerdos.

Et hinc *Juſtin. Lib. 11. Cap. 7. Poſt hunc filius Mida regnavit, qui ab Orpheo ſacrorum ſolemnibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit. L.*

Dulci] Ne quis putet illud *tenere* fuisse cum molestia, & invitorum. Ita *Statius: vim blandam*, alii alia hujus generis dixere. *Scheffer.* Non dubium ergo est quin hic *tenuit* usurparit pro continuit, quod supra in *Prol. Lib.* 2. Dixi esse in officio continere, coërcere, moderari. L.

Ergo hinc abesto, livor, ne frustra gemas:
Quoniam mihi solemnis debetur gloria.
Induxi te ad legendum: sincerum mihi,
Candore noto, reddas judicium peto.

Gemas] Proprium livoris, gemere ob felicitatem alienam, ergo eum vult abesse, ne gemitu habeat opus, si videat fortunam *Phædri. Scheffer.* Atque ita invidiam describit *Ovid. Lib.* 2. *Metam. Vers.* 780.

Sed videt ingratos, intabescitque videndo
Successus hominum; carpitque & carpitur una.

Optime ergo *Plaut. True. Act.* 4. *Sc.* 2.

Mavelim mihi inimicos invidere, quam me inimicis meis:
Nam invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est.
Qui invident egent: illi quibus invidetur rem habent.

L.

Solemnis] Solita: respicit exempla Lini, & Orphei, qui tametsi Thraces fuerint, tamen tantam obtinuerunt gloriam. *Scheffer.* Ita *Solemnis mos* dicitur *l.* 7. *C. de servit. l.* 3. *C. ad leg. Iul. de Vipubl.* Ita & *Solemnia munera* in *l.* 12. §. *pen. ff. de admin. tut.* Et *Solemnis* quoque *numerus testium*, pro septem testium numero, qui in testamentis faciendis adhiberi debet *l.* 2. & *l.* 20. §. *mulier. ff. qui test. fac. poss.* Sic & *Solemnis ordo l.* 14. *C. de Pact.* Et *Solemnis pœna* §. 6. *Inst. de publ. judic.*, id est ordinaria, cæteris capitalibus delictis infligi solita. L.

Induxi] Non optantis, aut interrogantis, sed affirmantis, & firmiter credentis verba sunt, hoc sensu: scio me his compulisse te ut legas. Pro hac mea opera, si ex ea jucundum aliquid tibi accidet, hoc unum peto, ut reddas judicium. *Scheffer.* Ergo *Inducere* etiam hic est illicere, & impellere quemadmodum usurpatur in *l.* 64. §. *pen. ff. de jure dot. Si generum socer specie futuræ dotis induxerit.* Et uti in *l.* 95. §. *ult. ff. ad leg. Falcid. Et per hoc in fraudem legatarii inducantur*, dicitur. L.

Candore noto] Ego, inquit, candore notus sum omnibus, ergo te quoque de meis laboribus sincere, & candide judicare æquum est. *Rittersh.*

Reddas judicium] Proprie, & eleganter uti apud jurisconsultos nostros usurpatur in *l.* 21. *ff. de Negot. Gest. l.* 7. *ff. de incend. ruin. naufr. l.* 7. §. *præterea. ff. de injur. l.* 12. *ff. de præscr. verb. l.* 4. *ff. de aq. quotid.* Ita & *Reddere interdictum* prætor dicitur in *l.* 1. §. *in operis. ff. de op. nov. nunciat.* Unde *Redditum interdictum* apud *Paul. Lib.* 5. *Sentent. Tit.* 6. Sic *Reddere præjudicium l. ult. ff. si lib. ingen. esse dic. l. ult. ff. quib. ad libert. l.* 3. §. *illud ff. de agnoscend. lib.* Et *Reddere jus*, uti infra *Lib.* 4. *Fab.* 12.

Sancta incorrupta jura reddebat fide.

Ubi plura. L.

FABULA

FABULA PRIMA.

Anus ad Amphoram.

ANus jacere vidit epotam Amphoram,
Adhuc Falerna fece, & teſta nobili
Odorem quæ jocundum late ſpargeret:

Anus ad Amphoram] Proverbium vetus eſt, *Anus ad armillum redit*, id eſt, ad vas vinarium. Vide *Feſtum*. Confer cum hac vinoſam anum *Plautinam* quam is deſcribit *Curculione* SC. Flos veteris vini. *Rittersh.*

Anus jacere vidit] Alluſit ad *Horatianum* illud:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu. ——————

Rigalt.

Amphoram] Vinarium vas *l.* 206. *ff. de V. S. l.* 35. §. *in his. ff. de contrab. empt.* Et aliis multis locis. Ex doliis autem in amphoras, & cados vina diffundebant, ut in his eſſet donec uſus cauſa promeretur. Sic *Amphora vini ex dolio l.* 38. *ff. de judic. l.* 74. & *l.* 83. §. *facram. ff. de Verb. Obl. Amphora vini in Apotheca l.* 21. §. *certe. ff. de ſurt. l.* 1. *l.* 5. & *l.* 15. *ff. de trit. vin. l.* 51. *ff. de acquir. poſſeſſ. l.* 2. *C. de peric. & com. rei vend.* Hinc *Amphoravinum vinum l. ult. ff. de trit. vin. vel ol. leg.* Quod in amphoras diffuſum eſt *l.* 6. *ff eod.* Ad differentiam doliaris. Amphora quemadmodum *Columel. Lib.* 20. *Cap.* 12. ſcribit, duas urnas, ut vero *Voluſ. Mæcian. in Lib. de Aſſe*, & *Feſt. Lib.* 15. Octo & quadraginta ſextarios capiebat, quam & Latini quadrantas, iiſdem auctoribus appellarunt. L.

Falerna fece] Falerni vini fece, ablativus cauſæ. Sic *Plaut. in Rud. Se ſcelere fieri*

nolunt nobiles. Liv. Lib. 31. Bello nobile nomen. Scheffer.

Testa] *Tertullian. Cap. 14. de carne Christi: Argilla excocta testæ vocabulum suscipit. Pia testa. Horat. Ode ad Amphoram. Rigalt.* Idem *Horat. Carm. Lib. 1. Ode 20.*

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis, Græca quod ego ipse testa
Conditum levi. ———

L.

Nobili] Quia inscriptum habebat titulum tam celebrati vini: solebant enim istis amphoris inscribere nomen vini, ubi & quando esset natum, in quibus condebatur, unde *Juvenal. Sat. 5.* de tali vino:

——— *cujus patriam, titulumque senectus*
Delevit multa veteris fuligine testæ.

Scheffer. Item *Petron. Sat. Statim allatæ sunt amphoræ vitreæ diligenter gipsatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa, cum hoc titulo: FALERNUM. OPIMIANUM. ANNORUM. CENTUM.* Opimio scilicet, consule natum: Unde *Cic. Lib. de Clar. Orat.* ait, *si quis Falerno vino delectetur, sed eo nec ita novo, ut proximus consulibus natum velit, nec rursus ita vetere, ut Opimium, vel Anitium consulem quærat,* id est, vinum pervetus, quia isti duo prisci consules fuerant, cum adhuc Romani barbam & capillum promitterent, unde *Juvenal. Sat. 5. Vers. 29.*

Ipse capillato diffusum consule potat.

Quod etiam infra sed alio sensu allegatum. L.

Hunc postquam totis avida traxit naribus:
O suavis anima, qualem te dicam bonam
Antehac fuisse, tales cum sint reliquiæ?
Hoc quo pertineat, dicet, qui me noverit.

O suavis anima] Vinosa mulier statim exanima est, si desinat lagenæ anima animari. Animam hic ipsum vini liquorem interpretari possis, quomodo *Plautus* aquam animam putei dixit, vel etiam animam odorem, videndus *Nonius. Rigalt.* Odor enim se spargit per spirituum diffusionem. Unde illud apud *Catull. in Arnon. Suaves exspirans odores. Scheffer.*

Qualem te dicam bonam] Debuit dicere, quam bonam, sed videtur de industria sic locutus esse, ut τὸ πρέπον in anu ebriosa, & temulenta, cui lingua in vino nataret, atque lapsaret, observasse videretur. *Rittersh.* Blande compellat amphoram, quasi diceret: O bonam amphoram, qualem te dicam olim fuisse, tales cum sint tuæ reliquiæ. *Ennius:*

Tarquinii corpus bona femina lavit, & unxit.

Et in vetustis sepulchrorum inscriptionibus: CONJUGI BONÆ. FILIO BONO. HOMINI BONO. BONÆ MEMORIÆ. Et alia hujusmodi. *Rigalt.*

Tales cum sint reliquiæ] Ex proverbio quo boni vini etiam feces bonæ esse perhibentur. *Rittersh.*

Hoc quo pertineat] Senectutem suam consolatur *Phædrus. Rigalt.* Sic senectutis suæ etiam alibi meminit, ut infra *Lib. 4. in fin. ubi Poëta.* Et *Lib. 5. Fab. ult. Rittersh.* Vult, ex hoc ultimæ senectutis, quæ est quasi vitæ fex, opusculo Fabularum posse colligi, qualis fuerit integra adhuc ætate. *Scheffer.*

Qui me noverit] *Julianus Imp. Epistola M.S.* Ἀλεξαυδρεῦσι. De Dionysio quodam: Σὺ δὲ ὅτι κατὰ τὸν κομικὸν. Σαυτὴν ἐπαινεῖς ὥσπερ Ἀστυδάμας, γῦναι σφόδηλόν ἐστιν ἐξ ᾧ ἐπέστειλας. ἡ γὰρ ἀφοβία, καὶ τὸ μέγα θρᾶσος, καὶ τὸ εἰθ' ἐμὲ γνοίης οἷος εἰμί. καὶ πάντα ἁπλῶς τὰ τοιαῦτα βαβαὶ πηλίκου κτύπου καὶ κόμπου ῥημάτων εἰσίν. Incertæ Epitaphium *Lib. 3. Epigr. Vet.*

Et tu quæ fuerim, si nosces candide Lector. &c.

Rigalt.

FABULA

FABULA SECUNDA.

Panthera, & Paſtores.

SOlet à deſpectis par referri gratia.
Panthera imprudens olim in foveam decidit,
Videre agreſtes: alii fuſtes congerunt:
Alii onerant ſaxis: quidam contra miſeriti,
Perituræ quippe quamvis nemo læderet,
Miſere panem, ut ſuſtineret ſpiritum.

Panthera] Vide Camerar. p. 195. *Rigalt.*

Imprudens] Improvidens, non providens, & circumſpecta. *Scheffer.*

In Foveam] Foveæ proprie urſorum cervorumque capiendorum cauſa fiebant *l. 28. ff. ad leg. Aquil.* Ita *Liv. Lib. 9. Belluarum modo cæcos in Foveam miſſos.* Et *Curt. Lib. 5. Multi ferarum ritu, velut in fovea deprehenſi cæderentur. Feſt. in verbo Fovis:* Alii putant eum primum oſtendiſſe quemadmodum urſi & lupi foveis caperentur. Plutarch. in Fabio Τὴν δ' ἐρυγμάτων ἄγραν vocat. *Sil. Ital. Lib. 6.*

Haud ſecus ac ſtabulis procurans otia paſtor
In foveam parco tectam velamine frondis
Ducit nocte lupos. ———

Et *Stat. Papin. in Silv.*

Non formidato ſupra venabula ſaltu
Inſitus aut cæco Foveæ deceptus hiatu.

Item *Manil. Lib. 5. Aſtronom.*

Mendaceſque parant foveas, laqueoſque tenaces.

L.

Congerunt] Scilicet in eam verberantes. Ita *Sen. Oedip. Act.* 4. *Sc.* 3.

Congerite cives ſaxa in infeſtum caput.

Scheffer.

Onerant] Petunt, multant, *Plaut. Amphitr. Act.* 1. *Sc.* 1. *Onerandus eſt pugnis probe.* Porro locum hunc ſic oportere accipi, docet ſequens, nemo læderet. *Scheffer.*

Suſtineret ſpiritum] Infra *Lib.* 4. *Fab.* 20. *Quo paupertatem ſuſtineret facilius. Rigalt.* Servaret vitam, nam *ſuſtinere*, eſt *tenere*, ne ſcilicet diſcedat. *Livius: milites fluviatili piſce, & herbis ſuſtinebantur. Scheffer.* Nam & in jure noſtro pro exhibere, alere ſuſtentare uſurpatur *l.* 73. §. *ult. ff. de jur. dot.* Ita *Suſtinere fœtus*, id eſt, foveri, & ali *l.* 1. §. *hoc autem. ff. de ventr. in poſſeſ. mitt.* Vel *Suſtentari*, ut loquitur Gajus in *l.* 5. *pr. eod.* Hoc ſenſu etiam dicitur fundus *Suſtinere mille oves l.* 25. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. Leg.* L.

Nox inſecuta eſt; abeunt ſecuri domum,
Quaſi inventuri mortuam poſtridie.
At illa, vires ut refecit languidas,
Veloci ſaltu fovea ſeſe liberat,
Et in cubile concito properat gradu.

Refecit] Pane ſcilicet, & quiete, ſic *reficere jumenta* dixit *Nep. in Eum.* 9. *Scheffer.*

Fovea] Pro *à fovea*, eleganter autem *liberat*, quia ibi erat capta, *ſaltu liberat*, id eſt, exſilit. *Scheffer.*

In cubile] Hoc eſt latibulum ferarum, hinc metaphorice à re venatoria *Cubilia cauſarum* dicta ſunt *Ciceroni*, & *Ammiano Marcellino Lib.* 30. *Veſtigia ſagacius colligendo, ut Spartani Canes, aut Cretes, ad ipſa cubilia pervenire cauſarum. Rittersh.*

Paucis diebus interpoſitis, provolat,
Pecus trucidat: ipſos paſtores necat,
Et cuncta vaſtans ſævit irato impetu.
Tum ſibi timentes, qui feræ pepercerant,
Damnum haud recuſant, tantum pro vita rogant.

Provolat] Cubili ſcilicet, notat hic impetum ob iræ furorem. *Scheffer.*

Haud recuſant] Haud recuſare, non eſt velle, ſed æquo animo ſubire, majoris boni gratia, *Cornel. Nep. Epam. Cap.* 8. *Neque recuſavit, quominus legis pœnam ſubiret. Scheffer.*

Pro vita rogant] Exagitat hunc locum *Schoppius in infam. Fam.* Velut minus eſſet Latinus, verum fruſtra, *Cic. de red. ſuo ad Quir. Cap.* 7. *Denique ipſe ad extremum pro mea vos ſalute non rogavit ſolum, verum etiam obſecravit.* quem locum liberaliter ſuggeſſit Nob. *Heinſius*, qui & *Ovidium* ſic loqui 6. *Metamorph. vers.* 301. oſtendit. *Scheffer.* Hic igitur precantis, & orantis incolumitatem formula eſt. Rogare enim in vulgari, & trita ſignificatione verbum eſt precarium, & apud ICtos. fideicommiſſis proprium, cujus rei exempla in jure frequentiora ſunt, quam ut adſcribi debeant. L.

Et

Et illa : memini qui me ſaxo petierint,
Quis panem dederit. Vos timere abſiſtite;
Illis revertor hoſtis, qui me læſerant.

Memini] Scilicet eorum, ſic infra *Lib.* 4. *in fin. Scheffer.*

Vos timere abſiſtite] Id eſt, deſinite, exemplo *Virgilii Lib.* 6. *Æneid.*

——— *abſiſte moveri.*

Et *columellæ Lib.* 12. *Cap.* 19. *nec abſiſtat id facere.* Simili forma alibi dixit *Virgil. Aſſiſte precando*, id eſt precari, *Æneid.* 2. Et *Livius*, *abſiſtere obſidendo*, id eſt obſidere. *Ritterſh.*

FABULA TERTIA.

Æsopus & Rusticus.

USu peritus hariolo velocior
Vulgo esse fertur : causa sed non dicitur;
Notescet quæ nunc primum fabella mea.

U*Su peritus hariolo velocior*] Proverbium alibi à me non lectum, quod meminerim. Sensus per se manifestus est, quamvis prudentia quoq; versetur circa res futuras, & nitatur cōjecturis, quæ sæpe falli, & aberrare possunt : tamen certior est divinatione, quæ nihil habet certi :

Μάντις δ' ἄριστος ὅστις εἰκάζει καλῶς.

Cujus versus sententiam ita expressit *Cicero 2. de Divinat. Bene qui conjiciet, vatem hunc perhibebo optimum Rittersh. Theoc.* εἰδυλλ. κβ.

——— ὅ τος ἄριστος
Ἐστιν ὀνειροῦ ῥέπτας ὁ διδάσκαλοί ἐστι
παρ' ᾧ νοῦς.

Nevel.

Hariolo] Futurorum divinator hariolus dicitur, *Cic. 1. de Divin. Sibyllinorum versuum decem interpretes disertos ex civitate esse voluerunt : ex quo genere sæpe hariolorum etiam & vatum furibundæ prædictiones.* Appellatum autem hariolum, *qui divina mente* vaticinatur ait, *Donatus in Phorm. Terent. 3. Sc. 5.* Vide *l. 4. & l. 6. de mathem. & malef. in Cod. Theodos.* L.

Velocior] Ad conjectandum scilicet, ad animum judiciumque hic transfertur. Clariss. *Gronovius* de hoc loco ita in suis literis : *Rigaltius nescio qua auctoritate dedit veracior, me invito : intellige enim promptior, ingeniosior, velocior ingenio. Cic. 1. Tusc. 19. Nihil est animo velocius. 4. Tusc.*

Tusc. 13. *Velocitas autem corporis, celeritas appellatur, quæ eadem etiam ingenii laus habetur. Propter animi multarum rerum brevi tempore percursionem. Ovid.* 8. *Metam. Vers.* 153.

— Vigor ingenii quondam velocis. — Juvenal. Sat. 2. *Vers.* 73.

Ingenium velox, audacia perdita. — Gaudeo in expositione hujus loci consentientem mihi habere virum maximum. *Scheffer.* Ita & *Horat. Epist. Lib.* 1. *Epist.* 12. *Vers.* 13.

— Dum peregre est animus sine corporis velox.

L.

Causa] Non quare sit velocior, id enim in sequentibus non agitur, sed unde natum sit hoc vulgi dictum. *Scheffer.*

Notescet] Nota fiet, cum fuerit hactenus occulta, bonum verbum, quod apud *Catullum* quoque & *Propertium* legitur. *Scheffer.*

Habenti cuidam pecora pepererunt oves
Agnos humano capite; monstro exterritus,
Ad consulendos currit mœrens hariolos.
Hic pertinere ad domini respondit caput,
Et avertendum victimâ periculum.

Habenti cuidam pecora] Fabula ἐκ τῶν ἀλογευομένων. Vide *Synod. Ancyr. Cap.* 16. *Basil. ad Mityll. Ep.* 4. *Rigalt.*

Consulendos] *Curt. Lib.* 7. *Cap.* 7. *Hariolos & vates consulere desierat*; proprie, ac solemniter, ut docet *Brisson. in form. Scheffer.*

Currit] Sollicitudinem denotat. *Scheffer.* Sic eleganter ab propter studium & ardorem litigatorum *Currere ad litigandum* dixit Imp. in *L.* 4. *C. de obseq. patr. præst.* L.

Pertinere] Est & hoc inter solemnia, & propria de iis, quæ significant. *Valer. Lib.* 1. *Cap.* 6. *Aruspices ad salutem Imperatoris pertinere dixerunt. Sueton. Vespas. Cap.* 23. *Cum inter prodigia cætera Mausoleum Cæsarum derepente patuisset, & stella in Cœlo Crinita apparuisset, alterum ad Juniam Calvinam è gente Augusti pertinere dicebat, alterum ad Partborum regem, qui capillatus esset. Scheffer.*

Caput] Vitam, salutem, nempe quia præcesserat, *humano capite*, ideo sic loquitur. *Scheffer.*

Avertendum victima periculum] Sic mox; *expiari posse majori hostiâ*; solebant enim monstra, & prodigia hostiis procurari, idque ex consilio & præscripto augurum, & aruspicum, quindecimque virorum, qui libros Sibyllinos super hac re adibant, & inspiciebant, ut scilicet averruncaretur malum, quod illa minabantur. Sic apud *Cicer.* 1. *de divinat. Cumque magna vis videretur esse in monstris interpretandis, ac procurandis, in aruspicum disciplina: omnem hanc ex Etruria scientiam adhibebant. Idem Lib.* 2. *de divinat. Quemadmodum signa, quæ à Diis hominibus portenduntur, procurentur, atque expientur; hoc prænoscere unum ex officiis divinationis ponebat Chrysippus.* Sic procurandi verbo (quod & hic est apud *Phædrum*) sæpe utitur in hac eadem significatione *Livius*: prodigia procurare, vel majoribus hostiis procurare: ut *Lib.* 31. *Lib.* 34. bis, terve *Lib.* 37. *Lib.* 38. *Lib.* 39. & alibi. *Gellius Lib.* 4. *Cap.* 6. Neque tantum in portentis, ac prodigiis, sed etiam in somniis paulo tristioribus procurandis, expiandisque, mire superstitiosi erant. Hinc *Tibullus Lib.* 3. *Eleg.* 3.

Et vanum metuens hominum genus omina noctis.
Farre pio placant, & saliente sale.

Et Idem *Lib.* 1. *Eleg.* 5.

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter salsa devenerandа mola.

Vel ut *Jos. Scaliger* è veteri libro, *sancta devenerandа mola*. Ego pro *sæva*, libenter legerim *scæva*, id est, sinistra. Videndus de hoc ritu & 3. *Guilielmus quæst. Plaut.*

ad Amphitr. Sic & fulmen procurabant, expiantes locum fulguritum, sive bidental. Procurandi fulminis scientiam quo pacto sibi Numa Pompilius compararit, eleganter, & callide deluso Jove, qui humanis capitibus (quibus Patri quoque ejus Saturno fieri solitum accepimus) fulgurita procurari volebat, sed pro his capillum cœpitium, sibi à Numa obtrusum tandem acceptavit, ex *Lib. 2. Ferii Antiatis* refert *Arnob. Lib. 5. Adverf. Gent.* Eodemque alludit & *Joan. Sarisberiens. Rittersh.* Hinc *Depulsorium* apud *Plin. Lib. 28. Cap. 2.* Significat sacrum quo imminens malum depellitur, teste *Turneb. 23. Adverf. 11.* Atque ea significatione *Valerius Maximus* alicubi *Portentorum depulsa* dixit, & *Pers. Sat. 5. Deos depellentes*, qui ab aliis *Dii averruncі* appellantur. Sic etiam *Amuletum* apud *Plinium*, ab amolior significat ἀλεξιφάρμακον, præsertim adversus fascinum. L.

Victima] Mox *Majorem* vocat *hostiam*, & intelligit taurum. Hoc enim proprie *Victima* veteribus, ut docet *Scal. ad Catal. Virgil. Menrsiũ* hic non moramur. *Scheffer.*

Ille autem affirmat, conjugem esse adulteram,
Et insitivos significari liberos;
Sed expiari posse majori hostia.
Quid multa? variis dissident sententiis,
Hominisque curam cura majore aggravant.

Insitivos liberos] Adulterinos, seu nothos, qui vulgo manseres; alias etiam adoptivos liberos recte dixeris insitivos, nam ut pyra vel poma insitiva in alienam arborem, ita ipsi in alienam familiam adoptione inseruntur. *Rittersh.* Ita *Cicero in Or. pro Sext. Insitivum Gracchum* vocat Quintium, qui se Gracchi filium mentitus erat. *Scheffer.* Quasi ἐγκεντρίσμῳ διὰ τρυπήσεως. Et merito primordii sui memor humana mortalitas, officium nuptiale operi rustico comparavit, homines enim à Deo duas in partes tributi, ut esset una pars quæ veluti terram recipiendis seminibus aptam præberet; altera quæ velut agricolam subigendæ telluri intentum exhiberet: atque inde fida posteritas, quæ de limo terræ principem hominem efformatum esse sciebat, terræ culturam quandam imitata est, ex qua deinceps humanitas propaginem conservaret. Nobilis etiam agricola, qui Dei veluti colonus terram arat animatam, nec ad momentaneos truncus, sed ad prolem longi sanguinis perennitate duratam. Pervetus hæc consideratio fuit olim *Clem. Alexandrini Cap. 10. Lib. 2. Pædag.* Τοῖς γεγαμηκόσι σκοπὸς ἡ παιδοποιία τέλος δὲ ἡ ἐυτεκνία. καθάπερ καὶ τῷ γεωργῷ τὸ σπερμάτων καταβολῆς αἰτία μὲν ἡ τῆς τροφῆς εὐρεμάτων. τέλος δὲ αὐτῶν τὸ γεωργίας, ἡ τῶν καρπῶν συγκομιδή. μακρῷ δὲ ἀπέχουσι γεωργοῦ ἔμψυχον σπείρων ἄρουραν ἐμὸν γὰρ ἐπιστήρ τροφῆς ὀργανόμενον· ὁ δὲ τὸ τῶν πάντων διαμένοντος σπερμάτων γεωργεῖ. καὶ ὁ μὲν ἀθάνατον. ὁ δὲ διὰ τὸν Θεὸν φυτεύει. Ad eamque agriculturam allusit *D. Augustin. Cap. 23. Lib. 14. de Civit. Dei.* Homines inspiciens in primævo illo, & felici statu, quando naturæ adhuc recta qualitate appetentiam ratio frenabat: *Ita*, inquit, *genitale arvum sua in hoc opus creatum seminaret, ut nunc terram manus. Menander:*

——— Παίδων σπέρμα τῶν γνησίων
Δίδωμι σπεῖρε τὴν ἐμαυτοῦ θυγατέρα.

Plato in Tim. sub fin. Αἱ δὴ ἐν ταῖς γυναιξὶν αὖ μῆτραί τε καὶ ὑστέραι λεγόμεναι, διὰ ταυτὶ ταῦτα ζῷον ἐπιθυμητικὸν ἐνὸν τῆς παιδοποιίας. ὅταν ἄκαρπον ὑφ' ἑαυτὴν ὥραν χρόνου πολὺν χρόνον γίγνηται, χαλεπῶς ἀγανακτοῦν φέρει, καὶ πλανώμεναι πάσῃ τῷ σώματι, τὰς τοῦ πνεύματος ὁδοὺς ἀπορράτους ἀνακόπτουσαι, ἀπαγορεύειν ἐκ ἐῶν, εἰς ἀπορίας τε ἄλλας τοῖς ἐχομένοις ἐμβάλλει, καὶ νόσους παντοδαπὰς ἄλλας παρ-

παρέχεται, μέχρι πὲρ ἂν ἑκατέρων ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ ἔρως ἐξαγαγόντες οἷον ἀπὸ δένδρου καρπὸν, κᾶτα δρέψαντες ὡς εἰς ἄρουραν τὴν μήτραν, ἀόρατα ὑπὸ σμικρότητος καὶ ἀδιάπλαστα ζῶα κατασπείραντες, καὶ πάλιν διακρίναντες, μεγάλα ἐντὸς ἐκθρέψωνται, καὶ μετὰ ταῦτα εἰς φῶς ἀγαγόντες, ζώων ἀποτελέσωσι γέννεσιν. *Idem Menexeno. Pag.* 238. Οὐ γὰρ γῆ γυναῖκα μεμίμηται κυήσει καὶ γεννήσει, ἀλλὰ γυνὴ γῆν. *Artemidor. Onerocrit.* 1. Γεωργεῖν ἢ σπείρειν ἢ ἀροτριᾶν ἢ φυτεύειν, ἀγαθὸν τοῖς γῆμαι προηρημένοις καὶ τοῖς ἅπαισιν. ἄρουρα γὰρ οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν ἢ γυνή. σπέρματα δὲ καὶ φυτὰ οἱ παῖδες. Hinc *Tertullian. lib. de Anima*, dixit: *Hominem effruticare, insinuare sulco, & arvo. Lucretius* quoque *libro* 4. Pro viro, & feminali, *Vomerem*, & *Sulcum* posuit. His addendus *Apulejanus* Ἀνεχόμενος. Eadem agriculturæ ratio hominem arbori comparavit. *Plato* hominem dixit arborem esse, destitutis in terram brachiis, ramisque radices ad sidera derigentem. *Homerus*, *Musæum* imitatus, caducum hominum genus per arborum folia monuit, & *Iliad.* Σ. Thetis Achillem suum ut plantulam surculumque educabat:

—— Ὁ δ' ἀνέδραμεν ἐρνεϊ ἶσος,
Τὸν μὲν ἐγὼ θρέψασα φυτὸν ὡς γουνῷ ἀλωῆς.

Vide *Pisidæ Cosmurg. à Versu* 460. *ad Vers.* 657. Vicissim quoque in arborum natura humanitatis aliquid agnoscitur: norunt enim illæ sexuum discretionem, imo nec amatoriis carent affectibus: habentque suos veluti amplexus coitusque: quod eleganter in Palma notavit *D. Ambros.* 3. *Hexaem. Theophylact. Simoc. Epist.* quæ incipit: Ὀργῶσι καὶ φοίνικες ἔρωτι φυσικῷ &c. *Mich. Glycas Annal.* 1. *Pag.* 51. Nec mirum quod maritari arbores scripserunt Poëtæ, tellurem enim matrem imitantur, quæ nuptias cum marito imbre facit, *Auctor Pervigilij.*

In sinum maritus imber fluxit almæ conjugis.

Dixerat *Virgilius*:

—— *fœcundis imbribus æther*
Conjugis in lætæ gremium descendit.—

Pistaciis testiculos inesse notat *Pallad. Lib.* 11. *Melius ipsa pistacia juncta ponuntur, mas ac fœmina: marem dicunt, cui sub corio velut ossei, longi videntur latere testiculi.* Arbores per insitionem coitum pati, & prægnantes fieri ait *Plin. Lib.* 17. *Cap.* 14. Thalamumque iis tribuit *Pallad.* 14.

Sub thalami specie felices jungere sylvas
Ut soboli mistus crescat utrinque decor.

Plantari, seri, & inseri arbores, & homines dicuntur. Sic Jupiter *Hominum sator*, forte quia, ut ait *Arnobius* uxore contentus haud una, concubitus, pellicibus, atque amiculis delectatus, impatientiam suam spargebat passim (ut vagari adolescentes solent) salax Deus. Sic *Tertull.* 1. *ad uxor. Nam quid gestiamus liberos serere, quos cum habemus, præmittere optamus. Calpurn. Declam.* 24. *Nemo unquam magistratum fecit vicarium, nec in alio militavit, nec sacra gentilitia insertiva stirpe corrupit. Fab. Declam.* 310. *Duo cubicula irruisti, duobus maritis injuriam fecisti, duas familias inserta stirpe confudisti.* Tabula ærea Lugduni, quæ Claudij Imp. orationem continet, super civitate Gallis danda: HUIC. QUOQUE. ET. FILIO. NEPOTIVE. EJUS. NAM. ET. HOC. INTER. AUCTORES. DISCREPAT. INSERTUS. SERVIUS. TULLIUS. SI. NOSTROS. SEQUIMUR. CAPTIVA. NATUS. OCRESIA. &c. Eodemque plane modo *Phædrus* noster adultera matre natos filios *Institivos* nuncupavit. Insitio veluti naturæ adulterium: adoptionem alii malunt dicere. Unde & *Adoptata poma: Plin. Lib.* 15. *Cap.* 14. *Omnium autem nuperrime adoptata sunt parva gravissimi saporis, quæ Petisia nominantur.* Et adoptivæ comæ. *Pallard.* 14.

—— *Docebo*
Quæ sit adoptivis arbor onusta comis.

Idem.

Hæc & cognato cingens Terebinthus amictu
Nutrit adoptivis nobilitanda comis.

Quo

Quo pacto ait, *Virgilius*, arbores aliquando mirari *novas frondes, & non sua poma. Optatus Afer Lib. 6. Sed ipse arborum portans futurum nemus stringit in fascem aridam arborem, nullis radicibus fultam, multiplici fraude componit, cui adulterinos inserit ramos, & quæ suas Iamdudum perdiderat, alienas accepit frondes. Navius, Exodio,* Notam Virilem, ramum vocavit: *Cujus vox gallula scit, cujus jam ramus robora scit.* Eo retulit *Ausonius Cento. Nupt. Virgil.* hemisticium:

——— *Aperit ramum qui veste latebat.*

Eleganter autem & venuste *Plinius* ubi de arborum coitu agit, fissuram genitalem, rimam vocat: *subtilior ratio vel senos calamos adjicit, mortalitati eorum, & numero succurrere persuasa, per media trunco leniter fisso, cuneoque tenui fissuram custodiente, donec cupidatim decisus descendat in rimam calamus.* Rima non arboris tantum est, sed etiam mulieris χάσμα, interfeminium, quia dehiscit, admittitque *Rima* dicitur, unde & *inrimare*: *Pacuvius Atalanta*:

Cum incultos pervestigans inrimare sinus,

Glossarium vetus: rima γυναικεία φύσις. *Juvenal. Sat. 3.*

——— *Vacua, & plena omnia dicas*
Intra ventriculum, & tenui distantia rima.

Auson. Cento. Nupt. Hæc *Virgil. 8. Æneid.*
Ignea rima micat. ———

Ad hortum muliebrem transtulit; hinc Phædria apud *Terentium Eunucho.* Thaidem sic alloquitur:

Plenus rimarum sum, hac, atque illac perfluo.

Adposite ad meretricem, cujus rima non continet. Nec tralationis elegantia vacat *Plautinus* jocus *Curculione.* lenones semper aliquam reperire rimam:

Rogationes plurimas propter vas populum scivit;
Quas vos rogatas rumpitis, aliquam reperitis rimam.
Quasi aquam, fervente, frigidam esse ita vos putatis leges.

Genitalem feminæ rimam *Foveam* appellavit *Tertullianus. Arnob. 4. Scrobem*, cui Pertunda Dea præerat: *Etiamne Pertundæ quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis?* Convenitque etiam hoc arborum culturæ: Nam illæ panguntur in scrobibus *Virgil. 2. Georgic.*

——— *tamen hæc quoque si quis*
Inserat, aut scrobibus mandet depacta subactis.

Mitto referre plurima hujusmodi vocabula, quibus libidinum spintriæ nequiter abutuntur: & quicquid horum huc congessi, feci tum studio necessariæ interpretationis adductus, ut agriculturam in matrimonio, & humana natura indicarem, hominisque fastum ad terrenam originem deprimerem, tum quia, inspectis auctoris virtutibus, & operibus, natura veneranda est, non erubescenda. *Rigalt.*

Expiari] Victima piaculari averti, ac declinari, mox hoc ipsum *procurari*, ideo & junxit *Cicero de Divin. 2. Quemadmodum signa quæ à Diis hominibus portenduntur, procurentur, atque expientur. Scheffer.* Sic & apud *Valer. Max. Lib. 1. Cap. 1.* Leges *sacrificio ostentorum ac fulgurum denunciationes procurantur.* Procurare enim sacrificii vel expiationis vox est; cum nempe Aruspices rem divinam facerent aliasve id genus ceremonias adhiberent, ad depellendam cladem portento vel prodigio aliquo denunciatam, id speciatim vocant potentum vel monstrum vel prodigium procurare. L.

Majori hostea] Quæ est hæc *major hestia*? video tacere interpretes qui tamen videntur studuisse, ne quid tacerent, dicendum per occasionem. *Majorem Phædrus* pro *Maxima* dixit, id quod Poëtis non insolens. Jam maxima hostia apud veteres de ovibus dicebatur. *Festus: maximam hostiam e villi pecoris appellabant, non ab amplitudine corporis, sed ab animo placidiore. Meurs.* Major hostia proprie dicitur victima, adi *Scalig. ad illud catalect.*

Corniger hos aries, humilis, & maxima taurus
Victima, sacratos tinget honore focos.

Fab.

Quid multa?] Elegans ἀποδίοξις, qua & supra usus est. *Rittersh.*

Homi-

Hominisque curam cura majore aggravant] Id est, ex incerto, & sollicito dimittunt multo incertiorem, & sollicitiorem. *Rittersh.* Propter dissensum, & incertitudinem interpretationis, ac propterea remedii quoque. *Scheffer.*

Æsopus ibi stans, naris emunctæ senex,
Natura nunquam verba cui potuit dare:
Si procurare vis ostentum, rustice,
Uxores, inquit, da tuis pastoribus.

Ibi] Hoc Vocabulum usurpari *Festus*, ait, cum locus simul demonstratur, & in jure, *illic*, significat, atque opponitur particulæ hic, *l.* 2. §. *quis adventum. ff. de vi bon. rapt.* L.

Naris emunctæ] *Horatianum* est, de iis qui rem possunt subodorari, hoc est, occultam indagare, ac intelligere. *Scheffer.* Qui alias acutæ naris, vel auris acutæ dicuntur. Nam qui nasi sunt acutioris melius odorari, & sagaciores, intelligentioresque censentur, ut *Flac. Serm. Lib.* 1. *Sat.* 3.

——— *acutis*
Naribus horum hominum rideri possit.

Contra qui naris obesæ sunt, deterius olfacere, tardiores stupidiores minusque intelligentes esse putantur. Sic *Horat. Epod. Ode* 12.

Mittio nec firmo juveni, nec naris obesæ?
Namque sagacius unus odorer.

Sic acutas aures pro acribus & judicii intelligentis dixit *Calphurnius*:

Quicquid inest silvestre licet videatur acutis
Auribus, & nostro tantum memorabile pago.

Contra obesæ aures, judicii nullius, aut obtusi, & habetis habentur. Idem *Calphurnius.*

Rustica crèdebam memorales carmina nobis
Concessisse Deos, & obesis auribus apta.

Idque ex eo, quod pingue, pro stupido, & bardo, tardique ingenii à Latinis usurpari consuevit. L.

Verba cui potuit dare] Quem non potuit externa specie decipere, *Plaut. Epid. Act.* 3. *Sc.* 4. *Sic mihi data esse verba præsenti palam.* Et sic sæpe: vult intime scivisse rationem rerum naturalium. *Scheffer.*

Procurare ostentum] Solemnis hæc formula de qua *Brisson. Lib. Form.* 1. *Nevel.* Ostentorum denunciationem procurare dixit *Valerius Maximus*, hinc fit quod *Cicero* interdum copulet procurare, & expiare, ut dictum supra. L.

Uxores, inquit, da tuis pastoribus] Eandem corruptelam Latiis pastoribus objicit *Iuvenalis*, & præclare Satyricam *Phædri* sententiam explicat *Sat.* 2.

Quadraginta dedit Gracchus sestertia dotem,
Cornicini, sive hic recto tantaveras ære:
Signatæ tabulæ: dictum feliciter ingens
Cæna sedet: gremio jacuit nova nupta mariti,
O proceres, censore opus est, an Aruspice nobis?
Scilicet horreres, majoraque monstra putares,
Si mulier vitulum, vel si bos ederet agnum?
Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit
Arcano qui sacra ferens nutantia loro
Nudavit clypeis ancilibus ô Pater Urbis
Unde nefas tantum Latiis pastoribus? unde
Hæc fetigit, Gradive, tuos urtica nepotes.

Rigalt. At non proprie *uxores* dicebantur, sed *Conjunctæ*, ut ait *Varro*: Uxor enim nisi liberi capitis esse non potest, quod tamen memini non observare quosdam scriptores; *Contubernales* quoque dicebantur, uti ex *Tacito* videor observasse. *Fab.* Nam quæ à servis in contibernio habentur, servæ, non uxores, aut conjuges, sed *Contubernales* appellantur *l.* 20. §. *liberto. ff. de*

ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg. l. 81. *ff. de condit, & dem. l.* 31. *ff. de ſtatuliber.* Vide ſupra *Lib. 2. Fab.* 4. Quandoque & *contubernalium* appellatio ad alios affectus porvigitur; & ita *Ulpianus, contubernales quoque ſervorum, id eſt conjuges & natos l.* 12. §. 33. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* dixit. Contubernii quoque nomine apellatur ea cunjunctio quæ inter liberas & ſerviles perſonas intercedit *l.* 29. *C. de liber. Caus. l.* 24. *C. ad leg. jul. de adultr.* Nam ut *Paul. Lib.* 2. *Sentent. Tit.* 19. Scribit, *inter ſervos, & liberos matrimonia contrahi non poſſunt; contubernium poteſt.* Ac proinde quemadmodum *Ulpianus Tit.* 6. *Regular.* tradit, *ex libero & ancilla ſervus naſcitur.* Proinde ſi mulier ingenua, civiſque Romana, vel Latina, alieno ſe ſervo conjunxerit, in contubernio, non in matrimonio haberi dicitur, apud *Paul. Lib.* 2. *Sentent. Tit.* 21. *Libera ſervi ſecuta contubernium. Paul.* ibidem, *Si libertæ ſuæ permittat patronus in contubernio alieni morari Ulpian. Tit.* 12. *Regular. Eam quæ in contubernio patris vel filii fuerit, l.* 14. §. 1. *ff. de rit. nupt. Ex contubernio ancillarum ſervi naſcuntur, l.* 3. *C. de ineſt. nupt.* Sic cum ancilla aliena liberum hominem *contubernium* habuiſſe narrat Imp. in *l.* 9. *C. commun. de ſucces.* Quin etiam libertorum qui ex juſta ſervitute manumiſſi erant, *contubernales* vocantur, *l.* 41. §. *codicillis. ff. de legat.* 3. Sed & liberæ mulieris conſuetudo, nuptiis non intercedentibus *contubernium* appellatur *l.* 5. *l.* 10. *l.* 11. *C. de natural. Lib.* §. *quibus connumerari. Inſt. de hæredit. quæ ab inteſt. def.* Denique injuſta quælibet atque illicita conjunctio, *contubernii* nomen ſortitur *l.* 3. *de ineſt. nupt. Cod. Theodos. Mulierem quæ ſtupro cognita in contubernio militis fuit, l.* 14. *ff. de his quæ ut indign. Militem qui ſororis filiam in contubernio habuit l.* 11. §. 1. *ff. ad leg. Iul. de adult.*

L.

FABULA

FABULA QUARTA.

Lanius, & Simius.

PEndere ad Lanium vidit quidam Simium
Inter reliquäs merces, atque opsonia.
Quæsivit quidnam saperet, tum Lanius jocans:
Quale, inquit, caput est, talis præstatur sapor.

PEndere] Proprie de rebus venalibus. *Sueton. de Claud. Cap 9. Cum obligatam ærario fidem liborare non posset, in vacuum lege prædiatoria venalis pependit sub edicto Præfectorum.* Adde ibi *Casaubon. Scheffer.*

Ad Lanium] Pro, apud Lanium, sic *Plautus, ad forum*, pro apud forum: *ad exercitum*, pro apud exercitium. *Terentius: ad sororem, ad uxorem*, pro apud sororem, apud uxorem, *Heautontim. Rittersh.* Etiam *Plautus* locis sexcentis: ita ad *prætorem solvere.* Ita apud eundem scriptorem metri necessitate admonente reponendum in hoc *Mostell.* versu:

Tanto apud judicem, hunc argento condemnabis facilius

Legendum *ad judicem.* Item in *Trinummo*, ubi libri vulgati habent:

Apud portitorem eos resignatas sibi.

Reponendum *ad portitorem*: sunt enim senarii. *Fab.*

Simium] Non velut opsonium quoddam, aut venalem cibum, sed alias, tanquam alia merx, vivum; itaque hæc omnia quæ sequuntur de sapore, joco dici putanda. *Scheffer.*

Inter reliquäs] Tò *Quas* duabus quidem syllabis, ut alibi, ita hic legendum κατὰ διαίρεσιν: non tamen ob id statum mutanda

mutanda est scriptura, ut *Relicuas* scribamus, quod putabat quidam amicus noster. Sic *Lucret. Lib.* 4.

Reliquas tamen esse vias in mente patentes.

Idem alibi:

Nunquam reliquo reparari tempore posset.

Rittersh. Ita apud *Plautum* quoque *Deliquum* totidem syllabarum modum habet in *M. S. Codd. Camerarij*, & *Langij. Fab.*

Merces atque opsonia] A Lanio scilicet venum exposita, opsoniorum enim appellatione continentur ea quæ cum pane vescimur, omnis generis cibaria præter panem & vinum. *Juvenal. Sat.* 2.

—— non tamen his ulla unquam opsonia fiunt
Rancidula ——

Et *Horat.* 1. *Serm. Sat.* 2.

Omnia conductis coëmens opsonia nummis.

Hinc apud ICtos. *Opsonatores servi*, in *l.* 65. *ff. de legat.* 3. Et apud *Paul. Lib.* 4. *Sentent. Tit.* 7. Qui opsonia coëmunt. *Sen. Epist.* 47. *Adde opsonatores, quibus dominici palatii notitia subtilis est, qui sciunt cujus rei sapor illum excitet.* Sic *Athan. Lib.* 4. ἐκαλοῦν δὲ ἀγοράστην, τὸν τὰ ὄψα ὠνούμενον, νῦν δὲ ὀψονάτορα. *Martilial. Lib.* 14. *Epigr.* 217. De Osonatore:

Dic quotus es, quanti cupias cænare; nec unum
Addideris verbum: cœna parata tibi est.

L.

Quidnam] Suspicabar *quinam*, idest, quomodo, sed forte nihil mutandum. *Rittersh.* Sic *Juvenal. Sat.* 11. *Vers.* 18.

——Calidæ sapiat quid vulva popinæ. Scheffer.

Quale, inquit, caput est] Mala ingenia, male sæpenumero habitant: *Cassius Latrosophista Problem.* 51. Διὰ τι τερατόμορφοι καὶ ἄφρονες; ὅτι τοῖς σωματικοῖς τὰ ψυχικὰ συμπάσχει, ὥσπερ τοῖς ψυχικοῖς τὰ σωματικά. *Erato Terpsitheæ apud Theoph. Simoc.* Τῆς φύσεως τὴν σοφίαν τεθαύματα, κατίστη ψυχῇ σώματος εὐπρέπειαν μὴ πιστεύσασαν. *Rigalt.*

Caput] Videtur alludere ad vulgarem opinionem eorum, qui delicias arbitrantur: Nam caput fere in eduliis prò parte habetur optima: prout itaque hoc est, ita erunt & cætera, vel meliora, vel deteriora; revera autem illud velle; caput indolem cujusque denotare, unde: *Lepidum caput*, *Agreste caput*, apud veteres. *Scheffer.*

Præstatur sapor] Expone, *je vous respons que telle qu' est la teste, tel est le goust du reste.* Et eandem vim esse judico in verbo *præstare*, hoc *Senecæ* loco *Lib.* 2. *de ira: Sed ne ad illam, quidem arctissimam innocentiæ formulam præstare nos possumus*; Etsi scio aliter intellexisse doctissimum *Lipsium. Fab.* Solenne verbum venditoris est, quo promittit rem esse talem, atque sic venturam ad emptorem, qualem dicit. Vide *Barnab. Brisson. de form. Lib.* 6. Hinc apud *Sen. de Vita Beata Cap.* 14. *Ut concedas omnia eos bona fide dicere, ut ad præstationem scribant; tamen cujus ista errores minuent. Scheffer.*

Ridicule magis hoc dictum quam vere æstimo,
Quandò & formosos sæpe inveniri pessimos;
Et turpi facie multos cognovi optimos.

Ridicule magis hoc dictum] Hoc ait *Phædrus* in gratiam Æsopi *Planud. Vita Æsopi initio.* Vide & *Sueton. in Tiber. Cap.* 68. *Rigalt.*

Æstimo] Existimo, puto, absolute: verum nescio an sic alii usurpent, dubitoque, num non *extimo* scribendum sit, pro *existimo*, sicut *dixti* apud *Terent.* pro *dixisti. Scheffer.*

Et turpi facie] Exemplo sit vel ipse Æsopus, quem corpore deformem fuisse accepimus, sed mire ingeniosum: ut jure optimo illud *Ovidianum* de se dici potuerit:

Si

Si mihi difficilis formam natura negavit,
Ingenio formæ damna rependo meæ.

Addamus & *Epictetum*, cujus de ſe ipſo diſticon ex *Gellio* notum eſt:

Δοῦλος Ἐπίκτητος γένομαι, καὶ σώματι πηρός,
Καὶ πενίην ἶρος, καὶ φίλος ἀθανάτοις.

Id eſt:

Servus Epictetus mutilatum corpus habebam,
Pauperieque Irus, ſed Deo amatus eram.

Immo ſi *Petronio* credimus: *Raram facit miſturam cum ſapientia forma.* Ἄφρονα δεῖ εἶναι τὸν νοῦν, καὶ μὴ εἰς τὴν ὄψιν. Ut ad herum ſuum dicebat Æſopus. Idem & *Syracides* monet his verbis *Cap.* 11: Μὴ αἰνέσῃς ἄνδρα ἐν κάλλει αὐτοῦ. καὶ μὴ βδελύξῃς ἄνθρωπον ἐν τῇ ὁράσει αὐτοῦ. Et Salvator noſter *Joh.* 7. ait: μὴ κρίνετε κατ' ὄψιν, ἀλλὰ τὴν δικαίαν κρίσιν κρίνατε. Deus item ad Samuelem 1. *Reg.* 16. Μὴ ἐπιβλέψῃς ἐπὶ τὴν ὄψιν αὐτοῦ μηδὲ εἰς τὴν ἕξιν μεγέθους αὐτοῦ &c. Vel ut D. *Chryſoſtomus* citat: Μὴ προσέχῃς εἰς τὴν ὄψιν αὐτοῦ. Eſt tamen cum monſtroſa corporis figura etiam animum indicat pravum & diſtortum; quo pertinet Epigramma *Palladæ Lib.* 2. *Antholog. Tit.* εἰς χωλούς.

Χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸ πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
Εἰ κυρία τὸ ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

Hoc eſt:

Mens animi haud aliter quam pes tibi claudicat intus:
Quod latet, extrema pingitur in facie.

Rittersh. Bene *Seneca*: *Poteſt ingenium felicissimum ſub qualibet cute latere, poteſt è caſa vir magnus prodire, prodeſt è deformi, humilique corpuſculo formoſus animus & ingennus. Nevel.*

L. FABULA

FABULA QUINTA.

Æsopus, & Petulans.

SUccessus ad perniciem multos devocat.
Æsopo quidam petulans lapidem impegerat,
Tanto, inquit, melior. Assem deinde illi dedit.
Sic prosecutus, plus non habeo mehercule;
Sed unde accipere possis monstrabo tibi.

Devocat] Pellicit, ac trahit sensim, quia à bonis est descensus veluti ad mala *Cic. in Orat. pro Dejot.* simpliciter sic usurpat, vocat: *Mentes judicum ad utilitatem nostrum vocandas. Scheffer.*

Petulans] Proprie hoc loco de eo, qui gaudet lædere alios. *Festus: Petulantes & petuli etiam, appellantur, qui protervo impetu, & crebro petunt, lædendi alterius gratia. Scheffer.* Et sic petulantia à violentia discerni soletut in *l.* 16. §. *qualitate. ff. depœn.* quasi lascivia, sive effranatio ad vitium immodica. L.

Tanto melior] Laudandi, atque approbandi apud veteres formula: Contra autem *tanto nequior. Plaut. in Persa:*

Nunc jam omnes sycophantias instruxi, & comparavi,
Quo pacto ab lenone auferam hoc argentum. S A. *Tanto melior.*

In *Truculento* autem:

STR. *En tibi talentum argenti, Philippicum est, tene tibi,*
PH. *Tanto melior; noster esto.* ——

At Contra in *Menæchmis:*

MESS. *Quid ergo opus est?* ME. *Scio,*

Scio, ut mendices, M. *Tanto nequior.*

Terent. in Adelphis:

——— *Nihil*

Ne in mentem? CT. *Nunquam quidquam.* SY. *Tanto nequior.*

Fab. Adde quæ annotavit Cl. *Gronov. Lib. 2. Obs. Cap. 21. & Donat. ad Terent. Adelph. Act. 4. Sc. 1. Scheffer.*

Sic prosecutus] Elliptice, pro *sic enim prosecutus verbis*, quomodo *Cicero* loquitur in *Tusc. 2. Scheffer.*

Venit ecce dives, & potens; huic similiter
Impinge lapidem, & dignum accipies præmium.
Persuasus ille, fecit quod monitus fuit
Sed spes fefellit impudentem audaciam,
Comprehensus namque pœnas persolvit cruce.

Potens] Qui potest melius atque ego dare. Vide supra *Lib. 1. Fab. 24. Scheffer.* Eleganter ergo dicit *dives & potens*, quasi ditissimus, & propter divitias potens, vel etiam ita dignitate eminens ut ei petendo & lapidem impingendo per petulantiam & lasciviam par esse facile non posset. Potentiorem enim dicimus, qui dignitate, authoritate, gratia, facultatibus, viribus præcellit, prævalet, aut alio modo plus nobis potest. Ut *Potentiori adversario traditus, l. ult. ff. de litigios. A potentiore vi oppressus l. 9. ff. ex quib. caus. maj.* & alibi. L.

Impinge lapidem] Significanter quasi dicat vehementer pete, & hoc modo petulantem ad petendum persuadeat, impingere enim ICtis. dicitur, vi majore impellere, ut *Navis impacta in scapham l. 29. §. 2. ff. ad leg. Aquil.* Sic *Impacti in carcerem l. 13. ff. de custod. & exhib. reor.* Quasi ita firmiter & diligenter inclusi ut effringere non possent: loquitur enim de effractoribus. L.

Dignum accipies præmium] Scilicet isto facinore & petulantia, sic *Horat. de arte Poët.*

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

Et *Juvenal. Sat. 1. Vers. 73.*

Aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum.

L.

Cruce] Ultimo supplicio. *Crux* enim inter summa supplicia ponitur apud *Paul. Lib. 5. Sentent. Tit. 17.* Sic *Cruce affici.* Idem *Paul. dict. Lib. 5. Tit. 21. Cruce suffigi, Tit. 23. In crucem tolli Tit. 22. 23.* & 25. Abest autem hæc vox à libris Pandectarum, beneficio *Triboniani*, qui eam expunxit, propter abrogatum abolitumque à Constantino Crucis supplicium. L.

FABULA SEXTA.

Muſca, & Mula.

MUſca in temone ſedit, & Mulam increpans
Quam tarda es, inquit; non vis citius progredi?
Vide ne dolone collum compungam tibi.

MUſca & Mula] *Camerarius Pag.* 168. De Crabrone, & Mula. *Rigalt.*

Mulam] Mularum enim uſus fuit quandam in vehiculis ereberrimus, confer *Sueton. Ner.* 30. *Veſpaſ.* 23. Et oſtendetur amplius in opere *de Re Vehicularia*, ſi vitam Deus dederit. *Scheffer.* Hinc *Mulæ carrucariæ l.* 38 §. *quæſitum. ff. de Ædilit. edict.* & *Rhedariæ*, apud *Varr. Lib.* 3. *Cap. ult.* L.

Dolone] Dolon quid ſit, jam notum: nempe lignum in quo gladiolus lateat, vel ξιφίδιον ἐν ξύλῳ ἀποκεκρυμμένον, ſic utitur *Alphenus l.* 52. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* Sic *Ulpianus l.* 1. §. 7. Et generaliter *ff ſi quadr. pauper. fec. dic.* Sic *Sueton. in Claudio Cap.* 13. *Rittersh.* Scite dolonem vocat muſcæ proboſcidem, ex qua dens prominet, quo irata pungit; *Lucian. Muſcæ Encom.* Ἀμήνεται μέντοι οὐ κατὰ τὸ ὀρροπύγιον ὡς σφὴξ καὶ μέλιτα, ἀλλὰ τῷ στόματι, καὶ τῷ προβοσκίδι, ἣν κατὰ τὰ αὐτὰ τοῖς ἐλέφασι, καὶ αὐτὸ ἔχουσα προνομεύοντι, καὶ ἐπιλαμβάνεται, καὶ προσφῦσα κατέχει, κοτυληδόνι κατὰ τὸ ἄκρον ἐοικῆα. ἐκ δὲ αὐτῆς ὀδοὺς προκύπτει, ᾧ κεντοῦσα, πίνει τοῦ αἵματος. *Rigalt.* Nam & *Serv. in Lib.* 7. *Æneid.* Dictum ait *Dolonem* flagellum intra cujus virgam pugio latebat, à fallendo Græce dictum eſt, id eſt, ἀπὸ τοῦ δόλου, quod ligni ſpeciem

ciem præferat, interius gladium habens. *Plutarch. in Tiber.* ξιφίδιον λησεικὸν, ὃ Δόλωνα καλοῦσι. *Hesychius*, Δόλωνες, ait, ξιφίδια ἐν ξύλοις κεκρυμμένα. *Artemidor. Lib. 2. de Somn. Cap. 14.* ὅρμαι δὲ καὶ ἄγκυραι καὶ καθετῆρες, καὶ οἱ λεγόμενοι Δόλωνες δόλοι ἢ σίδηρος σημαίνουσι. Hinc etiam tela abſcondita *Dolones* dicuntur. *Iſidor. Lib. 18 Etymologic. Cap. 1. Dolones ſunt vaginæ ligneæ, inter quas latet pugio, ſub baculi ſpecie*, quale genus teli etiam hodie in uſu eſt. L.

Reſpondit illa: verbis non moveor tuis;
Sed iſtum timeo, ſella qui prima ſedens
Jugum flagello temperat lento meum;
Et lora frenis continet ſpumantibus.

Iſtum] Eleganter quaſi cum metu, & reverentia, vel etiam cum timore de mulione vel auriga loquatur, hoc etenim vocabulo proprie purioris latinitatis autores uſurpant quando de eo, vel contra eum loquuntur, quem metuunt, ut hic, vel etiam contemnunt, ut *Ovid. Lib. 13. Metamorph.*

——— *quantumque ego Marte feroci*
Inque acie valeo, tantum valet iſte loquendo.

Ubi Ajax ita contumelioſe Ulyſſem adverſarium ſum traducit. L.

Sella qui prima] Intelligit aurigam; *Prima ſella*, eſt ſcamnum equis proximum, in quo propria ſedes aurigarum. Dicam pluribus de *Re Vehicularia*. *Scheffer.* Atque hic proprie *Multo* dicitur, qui mulos mulaſve agit & impellit *l. 1. ff. ſi quadr. pauper. l. 2. ff. ad leg. Aquil. l. 60. §. ſervum. ff. locat. l. 99. §. mulionem. ff. de legat. 3. l. 52. §. in clivo. ff. ad leg. Aquil.* L.

Temperat] Regit, moderatèr, ne tardius aut celerius incedam, quam oportet. Sic *Temperare ora freno* dixit *Horatius*. *Scheffer.*

Flagello lento] Sequacis in verbera lentitiæ. *Rigalt.* Facto quippe ex loris. *Scheffer.*

Et lora] Continere lora, eſt tenere ea manu, quomodo apud *Cornel. Nep. Cap. 2. Milt. Communivi*, pro *munivi*; Et apud *Curt. Lib. 5. Cap. 8. Condonare*, pro *donare*. *Scheffer.*

Spumantibus] Ita tenet, ut ſpument: vult reddere rationem, quare non poſſit celerius incedere. Non tantum ait tenet, ſed tenet tam valide, meque cohibet, ut & frena ſpument, hoc eſt, ſpuma ex labore oppleantur: imitatione *Virgiliana* qui ſic *Lib. 4. Æneid.*

Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.

Scheffer.

Quapropter aufer frivolam inſolentiam.
Nam ubi tricandum, & ubi currendum eſt ſcio.
Hac derideri Fabula merito poteſt,
Qui ſine virtute vanas exercet minas.

Aufer] Id eſt, omitte eam. Sic *Terent. Pherm. Act 5. Sc. 6. Quin tu hinc pollicitationes aufer. Plaut. Perſ. Act. 5. Sc. 2. Jurgium auferas hinc. Scheffer.*

Frivolam] Vanam, cui nullæ ſubſunt vires. *Feſtus: Frivola ſunt proprie vaſa fictilia quaſſa, unde dicta verba frivola, quæ minus ſunt fide ſubnixa. Scheffer.*

Ubi tricandum] Legit Clariſſimus *Graterus*, *ſtrigandum*. *Nevel.* Quid *Striga*, quid *Strigare*, quia vulgo notum non eſt, *Scaligeri* Viri Illuſtriſſimi verbis dicam: Strigare dicuntur equi, quoties interquieſcunt, dictum à ſtriga, quod erat

μιτάχμιον, & ſpatium turmarum, in quo equi ſtringebantur, à quo nomen habet, ut docet *Charisius*. Hinc factum, ut quoties interquieſcunt equi, & jumenta, dicantur ſtrigare. Contrarium *Reſtrigare*. *Seneca: Rurge, & reſtriga, & clivum iſtum, ſi potes, exupera, Epiſt.* 31. Striga (male enim *Triga*) in Gloſſis explicatur (intellige Gloſſarium ab *H. Stephano* editum, & poſtea à *Vulcanio* illuſtratum) τόπος ὅπου ἵπποι γυμνάζονται. Hæc ille in *Caſtigationibus Propertianis*, & in *Catalectis Virgilianis*. Iis uſus eſt *Rigaltius*, ſed diſſimulato auctore. Addam ego in Gloſſario legi *Trigarium*, non *Triga*, deinde hoc quoque, ſi vera ſit *Charisij* Etymologia errare Græculum magiſtrum, qui dixit, eſſe locum ὅπου ἵπποι γυμνάζονται, nam dicere debuit ψήγονται. *Fab.*

FABULA

FABULA SEPTIMA.

Lupus ad Canem.



QUam dulcis ſit libertas breviter proloquar.
Cani perpaſto macie confectus Lupus
Forte occurrit: ſalutantes dein invicem:

Lupus ad Canem] Vide *Camerar. p.* 191. Conſimilis fabula apud *Avienum* de Cane, & Leone 37. Hujus autem fabulæ argumento convenit *Scæ: Juventus nomen.* &c. *Menæch. Plaut. Rigalt.*

Perpaſto] *Præpaſto* citat *Salmaſ. Exercit. Plin. p.* 35. & *præpingui* explicat. *Scheffer.*

Confectus] De eo cujus vires plane deminutæ ſunt. Ita *Cic. in Catil.* 1. Fame, frigore, inopia rerum *confectum* dixit. *Scheffer.* Et *Ennius* niſi fallor:

Sicut fortis equus ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia nunc ſenio confectus, quieſcit.

Item *Catull. ad Ortal. Me aſſiduo confectum cura, dolore ſuffocat.* L.

Salutantes] Abſolute, pro *ſe ſalutantes*, ut in illo *Terent. Heautontim. Act.* 2. *Sc.* 3. *Sine ſaltem ſalutare. Scheffer.*

Ut reſtiterunt: unde ſic, quæſo, nites,
Aut quo cibo feciſti tantum corporis?
Ego, qui ſum longe fortior, pereo fame.

Nites] *Terent. in Eunucho:*

Qui color, nitor, vestitus, quæ habitudo est corporis?

Et *Horat. Non deterius nituistis ô pueri. Fab.* Eos proprie significat, quorum pellis ex sagina distenta splendet. Hausit ex *Virgilio* qui sic 3. *Æneid.*

——— *Superoque nitentem*
Cælicolum Regi mactabam in littore taurum.

Scheffer.

Fecisti tantum Corporis] Corporis, carnis, pinguedinis, Vetus Gloss. *corpodicina*, Μακελλίτης, sic corpulentior, habitior, crassior *Plaut. Epid.*

——— *Corpulentior videre, atque habitior.*

Apulej. 7. Miles. Cum alioquin exsectis genitalibus possit neque in venerem ullo modo surgere, nosque omni metu periculi liberare, insuper etiam longe crassior, atque corpulentior effici. Festus: Corpulentis, Ennius pro magnis, nos corpulentum dicimus corporis obesi hominem. Isidor. Gloss. M. S. Corpulentus quod sit corpore validus, & lentis carnibus. Rigalt. Corpus facere (quod haud scio an nemo præter hunc auctorem alius ita usurparit) est pinguescere, & nitidum, beneque curata cute fieri, ut *Horatius* loquitur. Huic contrarium est apud *Lucretium Lib. 1.* & *Cic. Lib. 7. Epist. Fab. 27.* Corpus amittere, id est, macrum fieri, & morbo exhaustis viribus totum languere, valdeque imbecillum esse, adeoque ossa, atque pellem, quod dicitur apud *Plautum.* περὶ δ' ὀστέα μοῦνον ῥινὸς ἔην, inquit, de tali homine *Smyrnæus Lib. 9. Paralip. Plinius* non absimiliter *Phædro* dixit, folia caput facere, quando jam in semen excrescunt *Lib. 26. Cap. 12.* Sic numerum facere dixit *Cyprianus*, & *Paulinus.* Illius hæc sunt verba *de Idolor. vanit. tract. 4. Populus de sceleratis, & nocentibus congregatur, & asylo constituto facit numerum impunitas criminum. Paulini* ista *Epist. 4. Quasi vero numerum loquacitate facturus. Rittersh.* Notandum, *Facere corpus*, pro corpulentiorem, & habitiorem fieri, quod etiamsi sine exemplo putat *Rittershusius*, tamen nonnulla possum proferre, ita similia, ut germana esse dicas. Jam primum *Cicero in Verrem* dixit, *maximam uno anno pecuniam facere posset.* Quid, quæso, ibi *facere* significat, quam aggregare, undique colligere? Dein cum *Quintilianus* longe florentissimus auctor scripsit *Lib. 10. Cap. 3. Vires faciamus ante omnia, quæ sufficiant labori certaminum*, quid aliud significat, nisi vires nobis paremus, colligamus, &c.? Præterea ita locutos esse Græcos, mihi plane constat, apud quos τὸ σωματοποιεῖν præter cætera id quoque significat, quod hoc loco corpus facere, dixit *Phædrus.* Cæterum exemplorum, quæ quasi similia adfert *Rittershusius*, nullum est, quod ad rem faciat; sed in refellendo tempus male positum putem. *Fab.* Habitudinem bonam & saginam significat, ut in illo *Martialis Lib. 1. Epigr. 7.*

Inque omni nusquam corpore corpus erat.

Scheffer. Tale autem corpus *Terentio in Eununch. Act 2. Sc. 3.* dicitur, *Corpus solidum, & succi plenum.* Propter vigorem, scilicet, optimamque naturæ, & virium constitutionem: ita *Lucilius 29:*

Hic corpus solidum invenies, hic stare papillas.

Pectore marmoreo. ———

L.

Canis simpliciter: eadem est conditio tibi,
Præstare domino si par officium potes,
Quod? inquit, ille: custos ut sis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.

Simpliciter] Aperte, absque dissimulatione, *Auct. de Caus. Cor. 21. Fatebor vobis simpliciter, ne in quibusdam antiquorum vix risum tenere. Curt. Lib. 4. Cap. 2. Legati respondent, quum bellum in animo sit, facere eum simpliciter, quod spe pacis non frustretur.*

ſtretur. Eſtque candide, abſque dolo. *Cic. 4. Acad. Cum ſimplici homine ſimpliciter agerem. Scheffer.* Atque ita *ſimplicitas* Juris auctoribus dicitur candor ille & ſinceritas nullis difficultatibus & ambagibus involuta, uti in §. 7. *Inſt. de fideic. hær. Simplicitas in legibus magis quam difficultas placet.* Et §. 3. *Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Atque ita malitiæ opponitur in *l. 1. C. de jur. & fact. ignor. junct. l. 2. ff. de dol. mal.* Vel etiam pro inſcitia, & juris ignorantia uſurpatur, ut *Simplicitas militum l. 1. ff. de teſtam. milit.* ſive *Simplicitas militaris l. 3. C. eod. Simplicitas patris l. 6. §. Si quis ita. ff. de neget. geſt.* L.

Conditio] Hic ut alias qualitatem, & ſtatum ſignificat, *l. 33. & 34. ff. de acquir. vel omitt. hered. & l. pen. ff. quib. ad libert. proclam. non lic.* Unde *Conditio mancipiorum l. 15. ff. de uſufr. Conditionem matris ſequi l. 1. C. de poſtlim. revers. Conditiones agrorum*, id eſt qualitates *l. 1. §. denique. ff. de acq. & acq. pluv. arcend.* De quibus Libellum elegantem ſcripſit *Siculus flaccus.* L.

Officium] Non huc uti ſupra *Lib. 1. Fab. 29.* humanitatem, ſed miniſterium, vel operam domino debitam ſignificat. Eſtque ut ait *Donatus* in *Adelph. Terent. Act. 1. Sc. 1.* Quaſi *efficium, ab efficiendo, quod unicuique perſonæ congruit. Luc. Sen. Lib. 3. de benef. Cap. 18. Quidam*, ait, *officium à beneficio, & miniſterio ita ſeparaſſe, Beneficium eſſe quod alienus det: alienus eſt qui potuit ſine reprehenſione ceſſare: Officium eſſe, filii uxoris, & earum perſonarum quas neceſſitudo ſuſcitat, & ferre opem jubet: Miniſterium eſſe ſervi, quem conditio ſua eo loco poſuit, ut nihil eorum quæ præſtat, imputet ſuperiori.* Et *Marc. Sen. Lib. 2. Controvers. 5. Non eſt beneficium, ſed officium, facere quod debeas: ut ſi filius patri dicat ſe beneficium dare.* L.

Potes] Non ſimpliciter, ſed in reſpectu ad animum, & voluntatem. *Horat. 1. Ep. 5.*

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Similiter *Ovid. Lib. 3. Metam. verſ. 436. Virgil. 12. Æneid. vers. 177.* & aliis locis. *Scheffer.*

Ego vero ſum paratus. Nunc patior nives,
Imbreſque in ſilvis, aſperam vitam trahens,
Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere.
Et otioſum largo ſatiari cibo?

Vero] Particula elegantiſſima, quæ hic promptitudinem indicat; ſic Artabazus apud *Curt. Lib. 5. Cap. 9. Nos vero pretioſiſſimam veſtem induti, Regem in aciem ſequemur.* Verba ipſa lupi ſunt ad canem reſponſoria. *Scheffer.*

Trahens] Iterum in animo habuit. *Virgilium* ſuum, qui ſic *Lib. 3. Æneid.*

Cum vitam in ſylvis inter deſerta ferarum.

Luſtra domoſque trahe. ——— *Scheffer.*

Veni ergo mecum. Dum procedunt, adſpicit
Lupus à catena collum detritum Canis.
Unde hoc amice? Nihil eſt. Dic, quæſo tamen,
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem cum nox venerit.

Veni] Verba canis ſunt ad lupum. *Scheffer.*

A Catena collum detritum Canis] Hujuſmodi canes *Seneca* vocat catenarios

Lib. 3. de Ira Cap. 37. Artemidarus δεσμίους. *Petronius :* Canis ingens catena vinctus. *Rittersh.*

Nihil est] Sic loquebantur veteres, cum plane, & διαῤῥήδην respondere nolebant, sed perplexabiliter, ut ait *Plautus.* Aliquando etiam dicebant *recte*, ut in *Hecyra*, & in *Adelphis*; aliquando etiam *benigne*, ut apud *Horatium*, *Fab.* Mallem ego dicere formulam esse illorum, qui præcidunt sermonem, de re sibi parum grata. Tota enim ita sonat: *Id nihil ad hanc rem est. Terent. Phorm. Act. 5. Sc. 6. Omitto prolequi : nam nihil ad hanc rem est Antipho.* Vel eorum, qui dissimulant aliquid, & extenuant, quomodo apud *Ciceronem* tota legitur hoc modo: *De familia literata nihil est quod te moveat. Scheffer.*

Dic quæso] Lupi verba, cui mox respondet canis: *Quia videor*, &c. *Scheffer.*

Tamen] Elegantissime, ac Latinissime, *Terentius* pro eo usurpavit *quin*, in simili loco, qui est *Andr. Act. 2. Sc. 6.* Habet vim validius orandi, ut in illo Germanorum, sage mier es doch. thue es doch. *Scheffer.*

Videor] Eleganter sese habet tota oratio, & commoda canis extollit, incommoda extenuat mitibus vocabulis. Huc pertinet *acer*, quod mox sequitur, & *quiescam*, & *qua visum est* &c. *Scheffer.*

Acer] Ferox, ut in illo *Virgilij Lib. 10. Æneid.*

—— ubi nunc Mezentius acer & illa
Effera vis animi. ——

L.

Crepusculo solutus qua visum est vagor,
Adfertur ultro panis: de mensa sua
Dat ossa dominus: frusta jactat familia,
Et quod fastidit quisque pulmentarium.

Crepusculo] Mane, oriente Sole; nam lux illa dubia quæ fit ante Solis ortum, & etiam ante occasum *Crepusculum* dicitur à crepero, id est, dubio: quia tunc multis dubium est, dies sit jam an nox. Neque enim ullum inter diem & noctem est medium, ideoque *Crepusculum*, neque diei, neque noctis privatio censetur, *Everhard. loc. leg. à contrar. sens. in med.* Sed utriusque principium & finis *Bart. in l. 16. §. 5. ff. de pœn.* L.

Frusta] Edulii cujuscunque, simpliciter ut in isto *Juvenal. Sat. 3. Vers. 210.*

—— & frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio, tectoque juvabit.

Ubi recte Schol. Vet. explicat, *Panem petentem*, neque poni asteriscus ibi debet: nam quod præcedit, *aut sine causa*, indicat solum pro *Frusta*, in nonnullis libris inveniri *Frustra*, idque hoc significat. *Scheffer.* Sic & *Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 6.*

—— semesaque lardi
Frusta dedit. ——

L.

Jactat] Jacit, objicit, quod posterius usurpat *Virgil.* in 6. *Æneid.* supra, mittit, posuit. *Scheffer.*

Pulmentarium] *Plin. Lib. 18. Apit. Cepure Cap. 2.* προσφάγιον Vet. Gloss. *Rigalt.* Quicquid ad panem datur, vide *Varr. 4. de Ling. Lat.* & *Guyet. ad Terent. Adelph. Act. 3. Sc. 3. Scheffer.* Proprie autem dicitur puls, vel cibus in modum pultis factus: Quamquam & generalius pro quovis opsonio sumatur. Auctor est enim *Plin. dict. Lib. 18. Cap. 8.* Primum in Latio cibum pultem fuisse non panem; argumentoque id esse, quod pulmentaria pro cibis sua etiam ætate dicerentur. *Colum. Lib. 11. Cap. 3. Satureia viridis esui est jucunda, nec arida, inutilis ad pulmentaria condienda. Sen. Epist. 82. Cum pane, & pulmentario. Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 2.*

—— tu pulmentaria quære
Sudando. ——

Et *Pers. Sat. 3. Vers. 102.*

Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

In *Euangelio* quoque legimus: *Nunquid pulmentaria habetis?* L.

Sic

Sic ſine labore venter impletur meus,
Age, ſi quo eſt abire animus, eſt licentia,
Non plane eſt, inquit; fruere quæ laudas Canis.
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

Sic ſine labore] Deſcribit admodum elegánter Canem pigrum, & ventrem ac corpus probe curantem, adeo ut etiam abſque labore illud ſaginari geſtiat, atque hoc modo non tantum domino ſed etiam obeſo ventri ſervire, unde merito Lupo iſta libertas diſplicet tanquam per ſervitutem parata: Nam, ut ait *Sen. Epiſt.* 93. *Nemo liber eſt, qui corpori ſervit.* L.

Fruere quæ] Pro, *Fruere iis, quæ*, &c. Sunt autem hæc Lupi verba. *Scheffer.*

Liber ut non ſim] Placuit Lupo Poëtæ ſententia:

Alterius ne ſit, qui ſuus eſſe poteſt.

L.

Ut non ſim mihi] Hac lege, ac conditione, ut non ſim. Illud *mihi*, elegánter abundat, modo apud optimos Latinos auctores conſueto. *Cic. 7. Verr. Statui ego-met mihi tum modum orationis meæ.* Vide infra *Lib. 5. Fab. 5. Scheffer.*

FABULA

FABULA OCTAVA.

Soror ad Fratrem.

PRæcepto monitus, sæpe te considera.
Habebat quidam filiam turpissimam.
Idemque insigni, & pulchra facie filium.

Præcepto monitus] Ita supra hic *Fab.* 5.
——*fecit quod monitus fuit.*
Et *Virgilius*:
Discite justitiam moniti, & non temnere Divos.
L.

Sæpe] Respicit quod sequitur, *Quotdie speculo vos uti volo. Scheffer.*

Considera] Proprie usurpat, de contemplatione, quæ fit oculis, intuere te, inspice te; **beſehe dich**. Sic usurpavit *B. Ambrosius Lib.* 1. *Offic. Cap.* 4. *Ergo qui plantavit aurem, non audit? qui finxit oculum, non videt, non considerat?* Frustra *Barthius in Adversar.* Sollicitat hunc locum: nam & *Festus*, Pauli ob hanc causam: *Considerare, à contemplatione siderum videtur appellari. Scheffer.*

Filiam turpissimam] Turpitudo, ut & honestas, proprie quidem de animo hominis; sæpe tamen etiam de corporis forma dicitur, ex qua interdum cognoscitur animus, quamvis admodum fallaci indicio. Sic infra, *Lib.* 4. *Fab.* 5. Turpissimam vocat, quam mox deformem. *Rittersh.* Sic apud *Ovidium*:
——*turpis sine gramine campus.*
Et *Juvenal. Sat.* 6. *Vers.* 130.
Obscurisque genis turpis. ——
Id est, deformis. L.

His

His ſpeculum in Cathedra matris ſuppoſitum fuit;
Pueriliter ludentes forte inſpexerant;
Hic ſe formoſum jactat; illa iraſcitur,
Nec gloriantis ſuſtinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

In Cathedra matris] Notandum quod ait, puerulos luiſſe circa matris Cathedram. Sic apud *Martial. Lib. 3. Epigr. 63.* Amatores circa amicarum Cathedras:

Inter femineas tota qui luce cathedras
Deſidet, atque aliqua ſemper in aure ſonat.

Et *Lib. 12. Epigr. 38.*

Hunc qui ſemineis noctesque diſque cathedris..
Incedit, tota notus in urbe nimis.

Juvenal. Sat. 9.

——— *Strata poſitus, longaque cathedra*
Munera femineis tractas ſecreta calendis.

Ad femineas cathedras pertinere puto Gloſſ. Vet. M. S. Ἀγλαοκάθεδραν, τὴν λαμπρὰν καθέδραν. Vetus *Juven.* Interpr. *Scammum cervicalibus ſtratis. Rittersh.* Sellam geſtatoriam intelligit, qua vehebantur mulieres in publico: dicam accurate in opere de *Re Vehicularia.* Interim qui volet, conſulat *Pignorium* de *Servis. Scheffer.*

Suſtinet fratris jocos] Ferre poteſt; ita *Suſtinere hominum ſermones*, dixit. *Cic. in Epiſt. ad Caſſium. Scheffer.* Ita *Lucan. Lib. 7. Vers. 657.*

Ut Latia poſt ſe vivat pars maxima turba.
Suſtinuit dignos etiam nunc credere votis.
Caligulas. ———

Et *Lib. 5. Vers. 793.*

——— *Non maſſi pectora Magni.*
Suſtinet amplexi dulci, non colla tenere.

Simpliciter pro, non poſſum, nequeo, non audeo uſurpatur. Ut apud *Quintil. Lib. 2. Cap. 4. Nec enim hujus rei judicium differre ſuſtineo.* Et *Ovid. Lib. 4. Faſtor.*

——— *Nec jam ſuſpendere fletum.*
Suſtinet. ———

Item *Lib. 6. Metamorph.*

——— *Sed non attollere contra*
Suſtinet hæc oculos. ———

Atque eleganter ſimili ſignificatione hoc vocabulo uſus eſt *Ovid. Triſt. Lib. 4. Eleg. 1.*

Et tamen ad numeros, antiquaque ſacra reverti
Suſtinet in tantis hoſpita Muſa malis.

L.

Ergo ad patrem cucurrit, læſura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus, quod rem feminarum tetigerit.

Criminatur] Reprehendit, accuſat, atque ita apud ICtum uſurpatur in *l. 4. §. ſi quis. ff. de Vi bon. rapt.* Atque ita, *Subjectum filium criminari, l. 27. §. 1. ff. de teſtam. tret.* Id eſt, arguere, controverſiam movere. L.

Vir natus] Supra:

Et qui humiles nati dici locupletes ſtudent.

Simili Hellenismo uſus eſt *Apulejus Apolog. An tu ignoras nihil eſſe aſpectabilius homini nato quam formam ſuam?* Hyperides apud *Rutilium Lupum 2. de fig. ſent. Nonne vehementiſſime admiraretur, ſi quiſquam non gratiſſimum munus arbitraretur virum ſe natum: ſed depravato naturæ beneficio in mulierem convertere ſe properaſſet. Rigalt.*

Rem feminarum] *Anacreon* τὰ γυναικήια ἔργα.

Τοῖς

Τοῖς ἀνθρώσι φρόνημα.
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν,
Τι οὖν δίδωσι; κάλλος.

Rigalt. Ne tu aliam rem intelligas quam supellectilem, qua scilicet sunt quod audiunt. *Rittersh.* Vides, lector, quæ sit hoc loco *res fœminarum*, speculum scilicet, & aliæ id genus nugæ, queis utuntur mulierculæ, & tamen *Rigaltius*, quod una mecum nurabere, allato *Anacreontis* testimonio, persuadere cupit, debere hoc de pulchritudine intelligi: quod quam ridiculum sit, mitto dicere, neque annotassem, nisi veritus essem, ne tanti viri auctoritas aliis imponeret. *Fab.* Imitatus *Terentium* videtur qui sic loquitur in *Heautontim. Act.* 2. *Sc.* 3. *Ostendimus ipsam*, ait, *nulla mala re esse expolitam muliebri.* Per *Rem muliebrem*, pigmenta, & id genus alia cultui, & ornatui servientia intelligit. *Scheffer.*

Amplexus ille utrumque, & carpens oscula,
Dulcemque in ambos charitatem partiens:
Cotidie, inquit, speculo vos uti volo.
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis,
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

Carpens] Fervorem amoris, & ex eo festinationem notat. *Ovid. Epist.* 2. *Heroid.*

Non super incubui, non oscula frigida carpsi.

Scheffer. Quasi summis labiis decerpere, quod alias delibare dicitur. Ut *Sueton. in August. Cap.* 94. Digitis delibatum osculum ad os suum referre. Et *ibid. Cap.* 68. Delibare pudicitiam. Usus est etiam *Carpendi* vocabulo eadem fere significatione *Ovid. Art. Amat. Lib.* 3. *circa fin.*

Carpe cibos digitis (est quiddam gestus edendi)
Ora nec immunda tota perunge manu.

L.

Dulcemque in ambos] Suaviter, & eleganter dictum: ut *Gunth. Lib.* 7. *Ligurini*:

——— *dulcem tecum partimur amorem:*

Ubi in notis meis docui, imitatione *Cæsaris*, *Virgilij*, & *Statij* hæc dicta esse: sic & dulcem benevolentiam dicet infra, *Fab.* 15. *Rittersh.*

Partiens] Tribuens unicuique partem suam, eleganter, quomodo apud *Virgil.* 1. *Æneid.*

Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.

Scheffer. Nam certe *Partiri*, uti hic, ita etiam apud ICtos. dividere significat. *Mævius heres meus hereditatem meam partito, dividito. Ulpian. Reg. Tit.* 25. Ita *Cic. pro Cluent.* Partiri hereditatem, ut & in *l.* 19. §. 1. *ff. ad Sc. Trebell.* Sic *Virgil. Lib.* 1. *Georgic.*

——— *partiri limite campum.*

Dixit. Et *Cic. in Verr. Act.* 1. *Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis Prætor adimere nobis mortuis bona fortunasque potest? Si pater cum filiis bona quæ habebat partitus sit. l.* 4. *ff. pro suo. Arbitrum ad fundum partiendum petere l.* 30. *ff. fam. ercisc. Si quis minor* 20. *annis ad partiendum pretium vænum se dari passus est.* Et mox: *Post vicesimum autem annum pretium partitus l.* 7. §. 1. *ff. de liber. caus. Duo tutores partiti sunt inter se administrationem tutelæ, l.* 5. *ff. de Magistrat. conven.* Et similibus locis. L.

Speculo vos uti volo] *Plautus Epidico*:

Non oris causa modo homines æquum fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum,
Sed qui perspicere possent cor sapientiæ.

Sen. Natur. Quæst. 1. *Cap.* 17. *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primo sui notitia, deinde & ad quædam consilium, formosus ut vitaret infamiam, deformis ut sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset &c.*

Ælius

Ælius Donat. in Adelph. Terent. Causa inſpiciendi ſpeculi, emendatio eſt vultus. Martial. Lib. 9 Epigr. 17.

Conſilium formæ ſpeculum. ——— *Plutarch. Præcept. Conjug.* Ω' Σωκράτης ἐκέλευε τὴν ἱσπτρεζομένην γυναῖκα τὸν μὲν ἄλλον χρόνον ἐπιδείκνυσθαι τῇ ἀρετῇ τὸν δὲ κάλλος μὴ παπαίνειν τῇ κακίᾳ τὸ εἶδος· καλὸν ἂν εἰ καὶ τὴν ὀφθαλμὸν πιέσαι, ὅταν ὁ ταῖς χάρισιν ἔχῃ τὸ ἱσπτρεζον αὐτὴν ἐκ ἑαυτῆ διαλαλεῖν τὴν μὲν ἀίσχρὰν, τί ἂν, ἂν μὴ σώφρων γένοιτο; τὴν δὲ καλὴν, τί ἂν ἂν σώφρων γένοιτο? Circe apud *Petron. Sat. Nunquid ab aliqua naturali vitio formam meam excaco? Mali mores καλλίστῃ λάβῃ εἰς ἀφανίστατον σκότωσιν. Nicet. 1. Man. Commen.* Vide *Apulej. Apulej. Rigalt.* Sic & Socrates ſpectatores ſuos ac familiares volebat ſpeculum crebrò inſpicere, eandem ob cauſam, qua de re ſic *Apulejus in Apologia: An turpe arbitraris formam ſuam ſpeculo aſſiduo explorare? Annon Socrates Philoſophus ultro etiam ſuaſiſſe fertur diſcipulis ſuis, crebro ut ſemet in ſpeculo contemplarentur? ubi qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui vero minus ſe commendabilem forma putaret, ſedulo operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeo vir omnium ſapientiſſimus ſpeculo etiam ad diſciplinam morum utebatur.* Hæc *Apulejus*: ad quem locum quæ amicus noſter *Iſ. Caſaubonus* in ſuis illis longe eruditiſſimis Scholiis adſcripſit, non corrado. *Rittersh.*

Tui] Diſtributive reſpicit filium. *Scheffer.*

Formam ne corrumpas] Similiter *Plautus Moſtellaria. Rittersh.* Uſus eſt in juvenibus ſpeculi iſte. In ſenibus vero quis eſſe poſſit, docet *Plaut. Epid. Act. 3. Sc. 3.* Cæterum idem quod pater hic filiis ſuadet, ſuadebat juvenibus *Socrates* ουνεχῶς nempe καπαπεπλέζεσθαι ἐν εἰ μὲν καλοὶ εἶεν, ἄξιον γένοντο, εἰδ' ἀίσχροὶ, παιδείᾳ τὴν ὠφελείαν ἐπικαλύπτειν. *Nevelet.* Verba ſunt *Planti Moſtell. Act. 1. Sc. 3.*

——— *nequicquam exornatæ eſt bonæ*
ſi morata eſt male
Pulchrum ornatum turpes mores prius
cœno collinunt.
Nam ſi pulchra eſt, nimis ornata
eſt. ———

&c. L.

Vincas] Innuit curam, & laborem, quam hæc res requirit; *Iſtam* ponitur demonſtrative, pro turpitudine, ac deformitate, de qua proprie illud *Vincere* intelligendum. Eſt autem *Vincere*, hoc agere, ut neappareat, ne conſpiciatur ea turpitudo, præ morum pulchritudine. Sic apud *Curtium Lib. 8. Cap. 3. Vicit gratiam meriti ſceleris atrocitas. Scheffer.*

FABULA

FABULA NONA.

Socrates ad Amicos.

VUlgare amici nomen; ſed rara eſt fides.

VUlgare amici nomen] Hinc *Ariſtoteles* crebro ad familiares ſuos conquerebatur: ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος. Ideo & *Paulus in Sententiis*, Scripſit amicos appellari debere eos, qui non levi notitia nobis conjuncti ſunt: ſed quibus fuerint jura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus, *l.* 223. §. 1. *ff. de Verb. Sign.* Sunt autem apud omnes ſcriptores querelæ frequentiſſimæ de paucitate amicorum, & quaſſa, atque ſubleſta, & lubrica plerorumque fide. *Rittersh.* Nam de amicorum fide ita *Ovidius*:

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Hinc *Sen. Lib.* 1. *Epiſt.* 3. *Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantumdem credis quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ: erat & ille, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat: præpoſtere officia permiſcent, qui cum amaverint judicant; & non amant cum judicaverint.* Hinc quod ICti. in *l.* 2. *ff. qui pet. tut. l. ult. ff. ubi pupil. educ. deb. l.* 44. *ff de negot. geſt.* appellant *amicitiam.* id *Juſtinianus*, Divos Fratres, *Severum*, & *Antoninum* ſecutus, *Pietatem*; quos *amicos* illi, *Pietate commotas* nominat, §. 4. *Inſt. de ſuſp. tut.* Atque hinc verum amicum, fratri ac conſanguineis, ſi non præponendum, certe non poſtponendum, late examinat *Andr. Tiraquell. in l. ſi unquam. verb. libertis. num.* 92. 93. 94. 95. 96. *cum multis ſeqq. C. de ve vocand. donat.* Sane *Menoch. Lib.* 2. *Cent.* 4. *de arbitr. jud. Caſ.* 361. *n.* 11. Tradit amicum & conſanguineum, qui occurrunt in oppreſſi amici

auxi-

auxilium, non censeri dolo, vel deliberato animo, sed impetu amoris, & justi doloris permotos occidisse. An & quantum amico testi pro amico sit credendum; Vide *l. 3. ff. de testib.* & *Mascard. de Probat. Vol. 1. Concl. 86.* Qui etiam in *Concl. 85. d. Vol. 1.* docet, quomodo amicitia sit probanda. L.

Cum parvas ædes sibi fundasset Socrates,
(Cujus non fugio mortem, si famam adsequar,
Et cedo invidiæ dummodo absolvar cinis)
Quæso tam angustam talis Vir pone domum?
Utinam, inquit, veris hanc amicis [illegible]eam!

Cum parvas] Hæc quoque Historia, non Fabula est, ut & sequens narratio. *Rittersh.*

Sibi] Suos, & privatos in usus, sic *Terent.* In *Heautontim. Act. 2. Sc. 3. Ornari sibi* dixit. *Scheffer.*

Cujus] De genere mortis violentæ hoc intelligendum. *Mors Socratis* enim hoc loco ea est, quali ipse olim periit. Sic *Tacitus*, mortes antiquorum usurpavit 1. *Hist. 3. Laudatis antiquorum mortibus, pares exitus. Scheffer.*

Non fugio mortem] *Aristippus* voti idem habuit. Ἐρωτώμενος γὰρ πῶς ἀπέθανε Σωκράτης, ἔφη, ὡς ἂν ἐγὼ εὐξαίμην. *Nevel.* Exprimit constantiam in eo, quod adversum quia est, non quærimus, non recuso subire. *Scheffer.*

Si famam adsequar] De famæ, & posteritatis studio, quantum illud in *Phædro* fuerit, alibi dixi: quibus hic quoque locus aggregandus est. *Rittersh.*

Dummodo absolvar cinis] Id est, post mortem, quod & *Socrati* accidit, cujus accusatores Anytus, & Melitus, tandem omnium judiciis condemnati, ipse vero *Socrates*, eorum reus absolutus est. Significat *Phædrus*, se in reatu hunc librum scripsisse, cum à Sejano iniquissimo vexaretur judicio: de quo & supra. *Rittersh.*

Cinis] Respicit ad morem quo rogo imposita cadavera, in cineres convertebantur. Veteres enim hoc modo ea cremasse res vulgatissima est, exceptis tamen infantibus adhuc edentulis. *Plin.* enim *Lib. 7. Cap. 16.* disertim ait: *Hominem priusquam genito dente cremari, mos gentium non est.* Hinc *Juvenal. Sat. 15. Vers. 139.*

——— *terra clauditur infans*
Et minor igne rogi. ———

Id est, qui nondum attigit septimum mensem; nam infantibus septimestribus demum dentes proveniunt. Atque hæc infantium *Mors acerba* Latinis dicitur, quomodo & apud *Senecam*, *Funus acerbum*, legimus, facta translatione à fructibus, qui cum primo proveniunt acerbi sunt. Juvenes vero *Immatura morte* interire dicuntur, ut loquitur *Cic. 2. Philip.* Quomodo etiam *Immaturas exsequias* dixit *Sen. de Tranquill. Cap. 11.* Atque hinc est quod ait, *Cic. 3. de finib. Si beatam vitam usque ad rogum protulisset*, id est, usque ad mortem. Quotiescunque autem loquebantur de defuncto post crematum cadaver (uti hic *Phædrus* de seipso) Sic usi sunt vocabulis *Cinis*, vel *cineres*, & *ossa*, vel *reliquiæ*. Ita *Tacit. Lib. 3. Annal.* De defuncto Germanico; *Centurionum humeris cineres portabantur*, & *Sueton.* De monumento filii Domitiani loquens, *Lib. 8. Cap. 8* ait, *Monumentum quod libertus ejus è lapidibus templo Capitolini Jovis destinatis filio construxerat, diruit per milites; ossaque & reliquias quæ inerant, mari mersit.* Et in *August. Cap. 100. Reliquias legerunt primores equestris ordinis:* Residuas enim ossium particulas colligebant. Quippe & nunquam in corpus ita flammæ sæviunt, ut totum plane consumant, & ossicula hæc urnæ destinabantur, unde ab ossibus legendis *Ossilegium* est appellatum. Hæc omniũ optime adstruit *Virgil.* in funere Miseni *Æneid. 6.*

Postquam collapsi cineres, & flamma quievit,
Relliquias vino, & bibulam lavêre favillam

Ossaque lecta cado texit chorineus aheno

Et ita *Sueton. dict. Cap.* 100. Paulo ante: *Legenda ossa per sacerdotes summorum collegiorum.* Item in *Calig. Cap.* 1. De Germanici cadavere: *Cremati quoque cor inter ossa incorruptum repertum est.* Hasce autem reliquias in urnam condebant, quæ *Urna feralis* dicebatur *Tacit. Lib.* 3. *Annal. Feralem urnam tenens egressa navi.* Et Poëtæ dicitur urna:

—— quod digitis quinque levatur onus.

Fuere quidem etiam urnæ majores, sed eæ *Ossuaria* appellabantur, in quels urnæ plures, atque adeo totius familiæ reliquiæ locabantur. Feralem autem urnam condebant extra urbem in celebrioribus viis, unde *Juvenal. Sat.* 1. *Vers. ult.* Mortuos denotare volens dixit:

Quorum flaminia tegitur cinis atque Latina.

Scilicet via Flaminia, & Latina. Tum vero mortuis, quibus bene precabantur, optabant terram levem: Reperitur enim in *Inscriptionibus Antiquis Monumentorum* S. T. T. L. Id est, SIT. TIBI. TERRA. LEVIS. Quo pertinet illud *Juvenal. Sat.* 7. *Vers.* 206.

Dî majorum umbris tenuem, & sine pondere terram
Spirantesque Crocos, & in urna perpetuum ver,
Qui præceptorem sancti voluere parentis
Esse loco. ——

Martialis Lib. 9. *Epigr.* 30. Scribens Epitaphium Philænis, hoc etiam observavit:

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena.

Videeundem *Lib.* 1. *Epigr.* 89. Ita & *Ovidius*:

Et sit humus cineri non onerosa tuo.

Idemque *Lib.* 3. *Trist. Eleg.* 3.

At tibi qui transis, non sit grave quisquis amasti
Dicere: Nasonis molliter ossa cubent.

At contra *Tibullus*:

O tu, qui venerem docuisti vendere primus,
Quisquis es, infelix urgeat ossa lapis.

L.

Nescio quis] Formula loquentium de ignotis. *Cicero de Amicit. Qualem fuisse Athenis Timonem, nescio quem accepimus. Schesser.*

Ut fieri solet] Nempe;

Qui struit in calle, multos habet ille magistros.

Ut vulgatum est dicterium. *Rittersh.*

Tam angustam] Sed verissime, & eleganter in hunc *Phædri* sensum dixit *Cic. Lib.* 1. *de Offic. Ornanda est dignitas domo, non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus, sed domino domus honestanda est.* Idem tamen paulo ante, narrat: Cn. Octavio, qui primus ex illa familia consul factus est, honori fuisse, quod præclaram ædificasset in Palatio, & plenam dignitatis domum: quæ cum vulgo viseretur, suffragata domino, novo homini ad consulatum putabatur; ita ut illi etiam ex domo dignitas quæsita sit. L.

Talis Vir] Sic apud *Plautum Captiv.* Loquitur servus ad herum:

Quid me oportet facere, ubi tu talis vir falsum autumas?

Sallustius, de Mario: *Tamen ad id locorum talis vir (nam postea ambitione præceps datus est) consulatum appetere non audebat. Schop.*

Veris amicis] Carfilis: Τί φίλος; ἀνέκριτον κτῆμα. Vide *Theogn. Sophist. Progymn. Rigalt.* Nedum domum implevit *Socrates*, cum ne navim *Theognis* impleri posse dicat undequaque collectis amicis veris, *Vers.* 83.

Τοὺς δ' οὐκ εὑρήσεις διζήμενος, οὐδ' ἐπὶ πάντας
Ἀνθρώπους, οὓς ναῦς μία πάντας ἄγοι.

Nevelet. Hinc *Cic. in Lal. Si quis diligere velit amicos, oportet ut sint firmi, stabiles, & constantes, cujus generis est magna penuria.* L.

FABULA

FABULA DECIMA.

Poëta de Credere, & non Credere.



PEriculoſum eſt credere, & non credere.
Utriuſque exemplum breviter exponam rel.
Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt.
Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.

Credere & non credere] *Martial. Lib.* VI. *Epigr.* 72. De maritorum erga uxorum caſus incredulitate nimiaque credulitate, *l.* 29 *ff. ad leg. Jul. de adulter. Rigalt.*

Exponam] Narrabo, ita *Corn. Nep. Attic. Cap.* 28. *Verſibus expoſuit, qui honore cæteros præſtiterunt. Scheffer.*

Novercæ creditum eſt] Sententioſe, & huc pertinet impersonale verbum. Nomen novercæ fuit Phædra. *Scheffer.* Hæc Hippolyti, Theſei ex Antiope Amazone filii, Dianam virginem ac venatricem colentis, abſente apud inferos Theſeo, caſtitatem oppugnat, nec expugnat. Sed repulſa ſæpius impudica mulier, Theſeo reduci oblati per vim ſtupri inſimulat. Ille credulus filium, qui jam domum impudicam fugerat abſenti mortem imprecatur: Quod votum ratum facit Neptunus, emiſſo Tauro Marino, qui equos Hippolyti conſternat, unde per vepres & ſaxa diſtractus auriga dilaniatur. Quod ubi reſcivit male ſibi conſcia mulier, ſcelus ſuum, falſumque crimen apud maritum confeſſa, gladio ſe transfigit. Theſeus innoxii filii caſum, & ſuam credulitatem dolens, iramque ſuam deteſtatus, collectos paſſim artus componit; quod pluribus narratur ab *Euripide*, & *Sen. in Hippol.*

Nites] *Terent. in Eunucho:*

Qui color, nitor, veſtitus, quæ habitudo eſt corporis?

Et *Horat. Non deteriùs nituiſtis ô pueri. Fab.* Eos proprie ſignificat, quorum pellis ex ſagina diſtenta ſplendet. Hauſit ex *Virgilio* qui ſic 3. *Æneid.*

Supereque nitentem
Cæliculum Regi mactabam in littore taurum.

Scheffer.

Feciſti tantum Corporis] Corporis, carnis, pinguedinis, Vetus Gloſſ. *corpodicina*, Μαχελλίτης, ſic corpulentior, habitior, craſſior *Plaut. Epid.*

Corpulentior videre, atque habitior.

Apulej. 7. Milet. Cum alioquin exſectis genitalibus poſſit neque in venerem ullo modo ſurgere, neſque omni metu periculi liberare, inſuper etiam longe craſſior, atque corpulentior effici. Feſtus: Corpulentis, Ennius pro magnis, nos corpulentum dicimus corporis obeſi hominem. Iſidor. Gloſſ. M. S. Corpulentus quod ſit corpore validus, & lentis carnibus. Rigalt. Corpus facere (quod haud ſcio an nemo præter hunc auctorem alius ita uſurparit) eſt pingueſcere, & nitidum, beneque curata cute fieri, ut *Horatius* loquitur. Huic contrarium eſt apud *Lucretium Lib. 1. & Cic. Lib. 7. Epiſt. Fab.* 27. Corpus amittere, id eſt, macrum fieri, & morbo exhauſtis viribus totum langueſcere, valdeque imbecillum eſſe, adeoque oſſa, atque pellem, quod dicitur apud *Plautum.* περὶ δ' ὀστέα μᾶλλον ῥινὸς ἔχει, inquit, de tali homine *Smyrnæus Lib. 9. Paralip. Plinius* non abſimiliter *Phædro* dixit, folia caput facere, quando jam in ſemen excreſcunt *Lib. 26. Cap. 12.* Sic numerum facere dixit *Cyprianus*, & *Paulinus.* Illius hæc ſunt verba *de Idolor. vanit. tract. 4. Populus de ſceleratis, & nocentibus congregatur, & aſylo conſtituto facit numerum impunitas criminum. Paulini* iſta *Epiſt. 4. Quaſi vero numerum loquacitate facturus. Rittersh.* Notandum, *Facere corpus*, pro corpulentiorem, & habitiorem fieri, quod etiamſi ſine exemplo putat *Rittershuſius*, tamen nonnulla poſſum proferre, ita ſimilia, ut germana eſſe dicas. Jam primum *Cicero in Verrem* dixit, *maximam uno anno pecuniam facere poſſet.* Quid, quæſo, ibi *facere* ſignificat, quam aggregare, undique colligere? Dein cum *Quintilianus* longe florentiſſimus auctor ſcripſit *Lib. 10. Cap. 3. Vires faciamus ante omnia, quæ ſufficiant labori certaminum*, quid aliud ſignificat, niſi vires nobis paremus, colligamus, &c.? Præterea ita locutos eſſe Græcos, mihi plane conſtat, apud quos τὸ σωματοποιεῖν præter cætera id quoque ſignificat, quod hoc loco corpus facere, dixit *Phædrus.* Cæterum exemplorum, quæ quaſi ſimilia adfert *Rittershuſius*, nullum eſt, quod ad rem faciat; ſed in refellendo tempus male poſitum putem. *Fab.* Habitudinem bonam & ſaginam ſignificat, ut in illo *Martialis Lib. 1. Epigr. 7.*

Inque omni nuſquam corpore corpus erat.

Scheffer. Tale autem corpus *Terentio in Eunuch. Act 2. Sc. 3.* dicitur, *Corpus ſolidum, & ſuci plenum.* Propter vigorem, ſcilicet, optimamque naturæ, & virium conſtitutionem: ita *Lucilius* 29:

Hic corpus ſolidum invenies, hic ſtare papillas.

Pectore marmoreo. ——

L.

Canis ſimpliciter: eadem eſt conditio tibi,
Præſtare domino ſi par officium potes,
Quod? inquit, ille: cuſtos ut ſis liminis,
A furibus tuearis & noctu domum.

Simpliciter] Aperte, abſque diſſimulatione, *Auct. de Caus. Cor. 21. Fatebor vobis ſimpliciter, ne in quibuſdam antiquorum vix riſum tenere. Curt. Lib. 4. Cap. 2. Legati reſpondent, quam bellum in animo ſit, facere eum ſimpliciter, quod ſpe pacis non ſuſtineatur.*

ſtretur. Eſtque candide, abſque dolo. *Cic. 4. Acad. Cum ſimplici homine ſimpliciter agerem. Scheffer.* Atque ita *ſimplicitas* Juris auctoribus dicitur candor ille & ſinceritas nullis difficultatibus & ambagibus involuta, uti in §. 7. *Inſt. de fideic. hær. Simplicitas in legibus magis quam difficultas placet.* Et §. 3. *Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Atque ita malitiæ opponitur in *l. 1. C. de jur. & fact. ignor. junct. l. 2. ff. de dol. mal.* Vel etiam pro inſcitia, & juris ignorantia uſurpatur, ut *Simplicitas militum l. 1. ff. de teſtam. milit.* ſive *Simplicitas militaris l. 3. C. eod. Simplicitas patris l. 6. §. Si quis ita. ff. de negot. geſt.* L.

Conditio] Hic ut alias qualitatem, & ſtatum ſignificat, *l. 33. & 34. ff. de acquir. vel omitt. hered. & l. pen. ff. quib ad libert proclam. non lic.* Unde *Conditio mancipiorum l. 15. ff. de uſufr. Conditionem matris ſequi l. 1. C. de poſtlim. revers. Conditiones agrorum*, id eſt qualitates *l. 1. §. denique. ff. de acq. & acq. pluv. arcend.* De quibus Libellum elegantem ſcripſit *Siculus flaccus*. L.

Officium] Non huc uti ſupra *Lib. 1. Fab. 29.* humanitatem, ſed miniſterium, vel operam domino debitam ſignificat. Eſtque ut ait *Donatus* in *Adelph. Terent. Act. 1. Sc. 1.* Quaſi *efficium, ab efficiendo, quod unicuique perſonæ congruit. Luc. Sen. Lib. 3. de benef. Cap. 18. Quoſdam*, ait, *officium à beneficio, & miniſterio ita ſeparaſſe, Beneficium eſſe quod alienus det: alienus eſt qui potuit ſine reprehenſione ceſſare: Officium eſſe, filii uxoris, & earum perſonarum quas neceſſitudo ſuſcitat, & ferre opem jubet: Miniſterium eſſe ſervi, quem conditio ſua eo loco poſuit, ut nihil eorum quæ præſtat, imputet ſuperiori.* Et *Marc. Sen. Lib. 2. Controvers. 5. Non eſt beneficium, ſed officium, facere quod debeas: ut ſi filius patri dicat ſe beneficium dare.* L.

Potes] Non ſimpliciter, ſed in reſpectu ad animum, & voluntatem. *Horat. 1. Ep. 5*

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Similiter *Ovid. Lib. 3. Metam. verſ. 436. Virgil. 12. Æneid. vers. 177.* & aliis locis. *Scheffer.*

Ego vero ſum paratus. Nunc patior nives,
Imbreſque in ſilvis, aſperam vitam trahens,
Quanto eſt facilius mihi ſub tecto vivere.
Et otioſum largo ſatiari cibo?

Vero] Particula elegantiſſima, quæ hic promptitudinem indicat; ſic Artabazus apud *Curt. Lib. 5. Cap. 9. Nos vero pretioſiſſimam veſtem induti, Regem in aciem ſequemur.* Verba ipſa lupi ſunt ad canem reſponſoria. *Scheffer.*

Trahens] Iterum in animo habuit. *Virgilium* ſuum, qui ſic *Lib. 3. Æneid.*

Cum vitam in ſylvis inter deſerta ferarum.

Luſtra domoſque trahe. ——— *Scheffer.*

Veni ergo mecum. Dum procedunt, adſpicit
Lupus à catena collum detritum Canis.
Unde hoc amice? Nihil eſt. Dic, quæſo tamen,
Quia videor acer, alligant me interdiu,
Luce ut quieſcam, & vigilem cum nox venerit.

Veni] Verba canis ſunt ad lupum. *Scheffer.*

A Catena collum detritum Canis] Hujuſmodi canes *Seneca* vocat catenarios

Lib. 3. de Ira Cap. 37. Artemidarus διαμάχε. Petronius : Canis ingens catena vinctus. *Rittersh.*

Nihil eſt] Sic loquebantur veteres, cum plane, & διαρρήδην reſpondere nolebant, ſed perplexabiliter, ut ait *Plautus*. Aliquando etiam dicebant *recte*, ut in *Hecyra*, & in *Adelphis*; aliquando etiam *benigne*, ut apud *Horatium*, *Fab.* Mallem ego dicere formulam eſſe illorum, qui præcidunt ſermonem, de re ſibi parum grata. Tota enim ita ſonat: *Id nihil ad hanc rem eſt. Terent. Phorm. Act. 5. Sc. 6. Omitto prolequi: nam nihil ad hanc rem eſt Antipho.* Vel eorum, qui diſſimulant aliquid, & extenuant, quomodo apud *Ciceronem* tota legitur hoc modo: *De familia literata nihil eſt quod te moveat. Scheffer.*

Die quaſo] Lupi verba, cui mox reſpondet canis: *Quia videor*, &c. *Scheffer.*

Tamen] Elegantiſſime, ac Latiniſſime, *Terentius* pro eo uſurpavit *quin*, in ſimili loco, quiest *Andr. Act. 2. Sc. 6.* Habet vim validius orandi, ut in illo Germanorum, **ſage mier es doch. thue es doch.** *Scheffer.*

Videor] Eleganter ſeſe habet tota oratio, & commoda canis extollit, incommoda extenuat mitibus vocabulis. Huc pertinet *acer*, quod mox ſequitur, & *quieſcam*, & *qua viſum eſt* &c. *Scheffer.*

Acer] Ferox, ut in illo *Virgilii Lib. 10. Æneid.*

——— *ubi nunc Mezentius acer & illa*
Effera vis animi. ———

L.

Crepuſculo ſolutus qua viſum eſt vagor,
Adfertur ultro panis: de menſa ſua
Dat oſſa dominus: fruſta jactat familia,
Et quod faſtidit quiſque pulmentarium.

Crepuſculo] Mane, oriente Sole; nam lux illa dubia quæ fit ante Solis ortum, & etiam ante occaſum *Crepuſculum* dicitur à crepero, id eſt, dubio: quia tunc multis dubium eſt, dies ſit jam an nox. Neque enim ullum inter diem & noctem eſt medium, ideoque *Crepuſculum*, neque diei, neque noctis privatio cenſetur, *Everhard. loc. leg. à contrar. ſenſ. in med.* Sed utriuſque principium & finis *Bart. in l. 16. §. 5. ff. de pœn.* L.

Fruſta] Edulii cujuſcunque, ſimpliciter ut in iſto *Juvenal. Sat. 3. Verſ. 210.*

——— *& fruſta rogantem*
Nemo cibo, nemo hoſpitio, tectoque juvabit.

Ubi recte Schol. Vet. explicat, *Panem petentem*, neque poni aſteriſcus ibi debet: nam quod præcedit, *aut ſine cauſa*, indicat ſolum pro *Fruſta*, in nonnullis libris inveniri *Fruſtra*, idque hoc ſignificat. *Scheffer.* Sic & *Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 6.*

——— *ſimeſaque lardi*
Fruſta dedit. ———

L.

Jactat] Jacit, objicit, quod poſterius uſurpat *Virgil.* in 6. *Æneid.* ſupra, mittit, poſuit. *Scheffer.*

Pulmentarium] *Plin. Lib. 18. Apitius Cepuro Cap. 2.* ὀψοφάγιον Vet. Gloſſ. *Rigalt.* Quicquid ad panem datur, vide *Varr. 4. de Ling. Lat.* & *Guyet. ad Terent. Adelph. Act. 3. Sc. 3. Scheffer.* Proprie autem dicitur puls, vel cibus in modum pultis factus: Quamquam & generalius pro quovis opſonio ſumatur. Auctor eſt enim *Plin. dict. Lib. 18. Cap. 8.* Primum in Latio cibum pultem fuiſſe non panem; argumentoque id eſſe, quod pulmentaria pro cibis ſua etiam ætate dicerentur. *Colum. Lib. 11. Cap. 3. Satureia viridis eſui eſt jucunda, nec arida, inutilis ad pulmentaria condienda. Sen. Epiſt. 82. Cum pane, & pulmentario. Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 2.*

——— *tu pulmentaria quære*
Sudanda. ———

Et *Perſ. Sat. 3. Verſ. 102.*

Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.

In *Evangelio* quoque legimus: *Nunquid pulmentaria habetis?* L.

Sic

Sic ſine labore venter impletur meus,
Age, ſi quo eſt abire animus, eſt licentia,
Non plane eſt, inquit; fruere quæ laudas Canis.
Regnare nolo, liber ut non ſim mihi.

Sic ſine labore] Deſcribit admodum eleganter Canem pigrum, & ventrem ac corpus probe curantem, adeo ut etiam abſque labore illud ſaginari geſtiat, atque hoc modo non tantum domino ſed etiam obeſo ventri ſervire, unde merito Lupo iſta libertas diſplicet tanquam per ſervitutem parata: Nam, ut ait *Sen. Epiſt.* 93. *Nemo liber eſt, qui corpori ſervit.* L.

Fruere quæ] Pro, *Fruere iis, quæ*, &c. Sunt autem hæc Lupi verba. *Scheffer.*

Liber ut non ſim] Placuit Lupo Poëtæ ſententia:

Alterius ne ſit, qui ſuus eſſe poteſt.

L.

Ut non ſim mihi] Hac lege, ac conditione, ut non ſim. Illud *mihi*, eleganter abundat, modo apud optimos Latinos auctores conſueto. *Cic. 7. Verr. Statui ego-met mihi tum modum orationis meæ.* Vide infra *Lib. 5. Fab. 5. Scheffer.*

FABULA

FABULA OCTAVA.

Soror ad Fratrem.

PRæcepto monitus, ſæpe te conſidera.
Habebat quidam filiam turpiſſimam.
Idemque inſigni, & pulchra facie filium.

Præcepto monitus] Ita ſupra hic *Fab.* 5.
——*fecit quod monitus fuit.*
Et *Virgilius*:
Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.
L.

Sæpe] Reſpicit quod ſequitur, *Quotidie ſpeculo vos uti volo. Scheffer.*

Conſidera] Proprie uſurpat, de contemplatione, quæ fit oculis, intuere te, inſpice te; beſehe dich. Sic uſurpavit *S. Ambroſius Lib.* 1. *Offic. Cap.* 4. *Ergo qui plantavit aurem, non audit? qui finxit oculum, non videt, non conſiderat?* Fruſtra *Barthius in Adverſ.* Sollicitat hunc locum: nam & *Feſtus*, Pauli ob hanc cauſam: *Conſiderare, à contemplatione ſiderum videtur appellari. Scheffer.*

Filiam turpiſſimam] Turpitudo, ut & honeſtas, proprie quidem de animo hominis; ſæpe tamen etiam de corporis forma dicitur, ex qua interdum cognoſcitur animus, quamvis admodum fallaci indicio. Sic infra, *Lib.* 4. *Fab.* 5. Turpiſſimam vocat, quam mox deformem. *Rittersh.* Sic apud *Ovidium*:
——*turpi ſine gramine campus.*
Et *Juvenal. Sat.* 6. *Verſ.* 130.
Obſcuriſque genis turpis. ——
Id eſt, deformis. L.

His

His speculum in Cathedra matris suppositum fuit;
Pueriliter ludentes forte inspexerant;
Hic se formosum jactat; illa irascitur,
Nec gloriantis sustinet fratris jocos,
Accipiens (quid enim?) cuncta in contumeliam.

In Cathedra matris] Notandum quod ait, puerulos lusisse circa matris Cathedram. Sic apud *Martial. Lib. 3. Epigr. 63.* Amatores circa amicarum Cathedras:

Inter femineas tota qui luce cathedras
Desidet, atque aliqua semper in aure sonat.

Et *Lib. 12. Epigr. 38.*

Hunc qui femineis noctesque diesque cathedris.
Incedit, tota notus in urbe nimis.

Juvenal. Sat. 9.

——— *Strata positus, longaque cathedra*
Munera femineis tractas secreta calendis.

Ad femineas cathedras pertinere puto Gloss. Ver. M. S. Ἀγλαοέδραν, τὴν λαμπρὰν καθέδραν. Vetus *Juven.* Interpr. *Scammum cervicalibus stratis. Rittersh.* Sellam gestatoriam intelligit, qua vehebantur mulieres in publico: dicam accurate in opere de *Re Vehicularia.* Interim qui volet, consulat *Pignorium* de *Servis. Scheffer.*

Sustinet fratris jocos] Ferre potest; ita *Sustinere hominum sermones*, dixit. *Cic. in Epist. ad Cassium. Scheffer.* Ita *Lucan. Lib. 7. Vers. 657.*

Ut Latiæ post se vivat pars maxima turbæ.
Sustinuit dignos etiam nunc credere votis.
Cælicolas. ———

Et *Lib. 5. Vers. 793.*

——— *Non mæsti pectora Magni.*
Sustinet amplexi dulci, non colla tenere.

Simpliciter pro, non possum, nequeo, non audeo usurpatur. Ut apud *Quintil. Lib. 2. Cap. 4. Nec enim hujus rei judicium differre sustineo.* Et *Ovid. Lib. 4. Fastor.*

——— *Nec jam suspendere fletum.*
Sustinet. ———

Item *Lib. 6. Metamorph.*

——— *Sed non attollere contra*
Sustinet hæc oculos. ———

Atque eleganter simili significatione hoc vocabulo usus est *Ovid. Trist. Lib. 4. Eleg. 1.*

Et tamen ad numeros, antiquaque sacra reverti
Sustinet in tantis hospita Musa malis.

L.

Ergo ad patrem cucurrit, læsura invicem,
Magnaque invidia criminatur filium,
Vir natus, quod rem feminarum tetigerit.

Criminatur] Reprehendit, accusat, atque ita apud ICtum usurpatur in *l. 4. § si quis. ff. de Vi bon. rapt.* Atque ita, *Subjectum filium criminari, l. 27. §. 1. ff. de testam. tret.* Id est, arguere, controversiam movere. L.

Vir natus] Supra:

Et qui humiles nati dici locupletes student.

Simili Hellenismo usus est *Apulejus Apolog. An tu ignoras nihil esse aspectabilius homini nato quam formam suam?* Hyperides apud *Rutilium Lupum 2. de fig. sent. Nonne vehementissime admiraretur, si quisquam non gratissimum munus arbitraretur virum se natum: sed depravato naturæ beneficio in mulierem convertere se properasset. Rigalt.*

Rem feminarum] *Anacreon εἰς γυναῖκας.*

Τοῖς

Τοῖς ἀνθράσι φρόνημα.
Γυναιξὶν οὐκ ἔτ' εἶχεν,
Τι οὖν δίδωσι; κάλλος.

Rigalt. Ne tu aliam rem intelligas quam supellectilem, qua scilicet sunt quod audiunt. *Rittersh.* Vides, lector, quæ sit hoc loco *res fœminarum*, speculum scilicet, & aliæ id genus nugæ, queis utuntur mulierculæ, & tamen *Rigaltius*, quod una mecum nurabere, allato *Anacreontis* testimonio, persuadere cupit, debere hoc de pulchritudine intelligi: quod quam ridiculum sit, mitto dicere, neque annotassem, nisi veritus essem, ne tanti viri auctoritas aliis imponeret. *Fab.* Imitatus *Terentium* videtur qui sic loquitur in *Heautontim. Act.* 2. *Sc.* 3. *Ostendimus ipsam*, ait, *nulla mala re esse expolitam muliebri.* Per *Rem muliebrem*, pigmenta, & id genus alia cultui, & ornatui servientia intelligit. *Scheffer.*

Amplexus ille utrumque, & carpens oscula,
Dulcemque in ambos charitatem partiens:
Cotidie, inquit, speculo vos uti volo.
Tu formam ne corrumpas nequitiæ malis,
Tu faciem ut istam moribus vincas bonis.

Carpens] Fervorem amoris, & ex eo festinationem notat. *Ovid. Epist.* 2. *Heroid.*

Non super incubui, non oscula frigida carpsi.

Scheffer. Quasi summis labiis decerpere, quod alias delibare dicitur. Ut *Sueton. in August. Cap.* 94. Digitis delibatum osculum ad os suum referre. Et *ibid. Cap.* 68. Delibare pudicitiam. Usus est etiam *Carpendi* vocabulo eadem fere significatione *Ovid. Art. Amat. Lib.* 3. *circa fin.*

Carpe cibos digitis (est quiddam gestus edendi)
Ora nec immunda tota perunge manu.

L.

Dulcemque in ambos] Suaviter, & eleganter dictum: ut *Gunth. Lib.* 7. *Ligurini*:

——— *dulcem tecum partimur amorem:*

Ubi in notis meis docui, imitatione *Cæsaris*, *Virgilij*, & *Statij* hæc dicta esse: sic & dulcem benevolentiam dicet infra, *Fab.* 15. *Rittersh.*

Partiens] Tribuens unicuique partem suam, eleganter, quomodo apud *Virgil.* 1. *Æneid.*

Hinc portum petit, & socios partitur in omnes.

Scheffer. Nam certe *Partiri*, uti hic, ita etiam apud ICtos. dividere significat. *Mævius heres meus hereditatem meam partito, dividito. Ulpian. Reg. Tit.* 25. Ita *Cic. pro Cluent.* Partiri hereditatem, ut & in *l.* 19. §. 1. *ff. ad Sc. Trebell.* Sic *Virgil. Lib.* 1. *Georgic.*

——— *partiri limite campum.*

Dixit. Et *Cic. in Verr. Act.* 1. *Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis Prætor adimere nobis mortuis bona fortunasque potest? Si pater cum filiis bona quæ habebat partitus sit. l.* 4. *ff. pro suo. Arbitrum ad fundum partiendum petere l.* 30. *ff. fam. ercisc. Si quis minor* 20. *annis ad partiendum pretium vænum se dari passus est.* Et mox: *Post vicesimum autem annum pretium partitus l.* 7. §. 1. *ff. de liber. caus. Duo tutores partiti sunt inter se administrationem tutelæ, l.* 5. *ff. de Magistrat. conven.* Et similibus locis. L.

Speculo vos uti volo] *Plautus Epidico*:

Non oris causa modo homines æquum fuit
Sibi habere speculum, ubi os contemplarent suum,
Sed qui perspicere possent cor sapientiæ.

Sen. Natur. Quæst. 1. *Cap.* 17. *Inventa sunt specula, ut homo ipse se nosceret. Multa ex hoc consecuta, primo sui notitia, deinde & ad quædam consilium, formosus ut vitaret infamiam, deformis ut sciret redimendum esse virtutibus, quicquid corpori deesset &c.*

Ælius

Ælius Donat. in Adelph. Terent. Causa inſpiciendi ſpeculi, emendatio eſt vultus. Martial. Lib. 9 Epigr. 17.

Conſilium forma ſpeculum. ——— *Plutarch. Præcept. Conjug.* Ὁ Σωκράτης ἐπίλυτε τὸ ἱσπτρεζόμενον νεανίσκον τὸν μὲν αἰσχρὸν ἐπιτροδίδθαι τῇ ἀρετῇ· τὸν δὲ καλὸν μὴ κατιοχύειν τῇ κακίᾳ τὸ εἶδος καλὸν ὄν· καὶ τὴν σύμβολον πίναν, ὅπου οὖ παῖς χρῆσιν ἴχη τὸ ἱσπτρον αὐτὸν οὖ ἑαυτῇ διαλαλεῖν τὴν μὲν αἰσχρὸν, τί ἂν ἀν μὴ σώφρων γένομαι; τὴν δὲ καλὴν, τί δὲ ἂν σώφρων γένομαι? Circe apud *Petron. Sat.* *Nunquid ab aliquo naturali vitio formam meam excaco?* Mali mores καθάπερ λώβη εἰς ὡραιότατον πρόσωπον. *Nicet. 1. Man. Commen.* Vide *Apulej. Apolog. Rigalt.* Sic & Socrates ſpectatores ſuos ac familiares volebat ſpeculum crebro inſpicere, eandem ob cauſam, qua de re ſic *Apulejus in Apologia: An turpe arbitraris formam ſuam ſpeculo aſſiduo explorare? Annon Socrates Philoſophus ultro etiam ſuaſiſſe fertur diſcipulis ſuis, crebro ut ſemet in ſpeculo contemplarentur? ubi qui eorum foret pulchritudine ſibi complacitus, impendio procuraret, ne dignitatem corporis malis moribus dedecoraret: qui vero minus ſe commendabilem forma putaret, ſedulo operam daret, ut virtutis laude turpitudinem tegeret. Adeo vir omnium ſapientiſſimus ſpeculo etiam ad diſciplinam morum utebatur.* Hæc *Apulejus*: ad quem locum quæ amicus noſter *Iſ. Caſaubonus* in ſuis illis longe eruditiſſimis Scholiis adſcripſit, non corrado. *Rittersh.*

Tu] Diſtributive reſpicit filium. *Scheffer.*

Formam ne corrumpas] Similiter *Plautus Moſtellaria. Rittersh.* Uſus eſt in juvenibus ſpeculi iſte. In ſenibus vero quis eſſe poſſit, docet *Plaut. Epid. Act 3. Sc. 3.* Cæterum idem quod pater hic filiis ſuadet, ſuadebat juvenibus *Socrates* συνίχως nempe καταστρέζεσθαι ἐν οἷς μὲν καλοὶ εἶεν, ἄξιοι γίγνοιντο, εἰδ' αἰσχροὶ, παιδείᾳ τὴν εὐσυδείαν ἐπικαλυπτόμενοι. *Nevelet.* Verba ſunt *Planti Moſtell. Act. 1. Sc. 3.*

——— *nequicquam exornatæ eſt domus*
ſi morata eſt male
Pulchrum ornatum turpes mores pejus
cœno collinunt.
Nam ſi pulchra eſt, nimis ornata
eſt. ———

&c. L.

Vincas] Innuit curam, & laborem, quam hæc res requirit; *Iſtam* ponitur demonſtrative, pro turpitudine, ac deformitate, de qua proprie illud *Vincere* intelligendum. Eſt autem *Vincere*, hoc agere, ut ne appareat, ne conſpiciatur ea turpitudo, præ morum pulchritudine. Sic apud *Curtium Lib. 8. Cap. 3. Vicit gratiam meriti ſceleris atrocitas. Scheffer.*

FABULA

FABULA NONA.

Socrates ad Amicos.

VUlgare amici nomen; ſed rara eſt fides.

VUlgare amici nomen] Hinc *Ariſtoteles* crebro ad familiares ſuos conquerebatur: ὦ φίλοι οὐδεὶς φίλος. Ideo & *Paulus in Sententiis*, Scripſit amicos appellari debere eos, qui non levi notitia nobis conjuncti ſunt: ſed quibus fuerint jura cum patrefamilias, honeſtis familiaritatis quæſita rationibus, *l.* 223. §. 1. *ff. de Verb. Sign.* Sunt autem apud omnes ſcriptores querelæ frequentiſſimæ de paucitate amicorum, & quaſſa, atque ſubleſta, & lubrica plerorumque fide. *Rittersh.* Nam de amicorum fide ita *Ovidius*:

Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum,
Tempore ſic duro eſt inſpicienda fides.

Hinc *Sen. Lib.* 1. *Epiſt.* 3. *Si aliquem amicum exiſtimas, cui non tantumdem credis quantum tibi, vehementer erras, & non ſatis noſti vim veræ amicitiæ: errat & ille, qui amicum in atrio quærit, in convivio probat: præpoſtere officia permiſcent, qui cum amaverint judicant; & non amant cum judicaverint.* Hinc quod ICti. in *l.* 2. *ff. qui pet. tut. l. ult. ff. ubi pupil. educ. deb. l.* 44. *ff de negot. geſt.* appellant *amicitiam.* id *Juſtinianus*, Divos Fratres, *Severum*, & *Antoninum* ſecutus, *Pietatem*; quos *amicos* illi, *Pietate commotas* nominat, §. 4. *Inſt. de ſuſp. tut.* Atque hinc verum amicum, fratri ac conſanguineis, ſi non præponeadum, certe non poſtponendum, late examinat *Andr. Tiraquell. in l. ſi unquam. verb. libertis. num.* 92. 93. 94. 95. 96. *cum multis ſeqq. C. de re vocand. donat.* Sane *Menoch. Lib.* 2. *Cent.* 4. *de arbitr. jud. Caſ.* 361. *n.* 11. Tradit amicum & conſanguineum, qui occurrunt in oppreſſi amici auxi-

auxilium, non cenſeri dolo, vel deliberato animo, ſed impetu amoris, & juſti doloris permotos occidiſſe. An & quantum amico teſti pro amico ſit credendum, Vide *l. 3. ff. de teſtib.* & *Maſcard. de Probat. Vol. 1. Concl. 86.* Qui etiam in *Concl. 85. d. Vol. 1.* docet, quomodo amicitia ſit probanda. L.

Cum parvas ædes ſibi fundaſſet Socrates,
(Cujus non fugio mortem, ſi famam adſequar,
Et cedo invidiæ dummodo abſolvar cinis)
Quæſo tam anguſtam talis Vir non [illegible]num?
Utinam, inquit, veris hanc amit[illegible]am!

Cum parvas] Hæc quoque Hiſtoria, non Fabula eſt, ut & ſequens narratio. *Rittersh.*

Sibi] Suos, & privatos in uſus, ſic *Terent.* In *Heautontim. Act. 2. Sc. 3. Ornari ſibi* dixit. *Scheffer.*

Cujus] De genere mortis violentæ hoc intelligendum. *Mort Socratis* enim hoc loco ea eſt, quali ipſe olim periit. Sic *Tacitus*, mortes antiquorum uſurpavit *1. Hiſt. 3. Laudatis antiquorum mortibus, pares exitus. Scheffer.*

Non fugio mortem] *Ariſtippus* voti idem habuit. Ἐγωπάρδ' ἂν μᾶς ἀπίδοιμι Σωκράτης, ἔφη, ὡς ἂν ἐγὼ ἐυξαίμην. *Nevel.* Exprimit conſtantiam in eo, quod adverſum quia eſt, non quærimus, non recuſo ſubire. *Scheffer.*

Si famam adſequar] De famæ, & poſteritatis ſtudio, quantum illud in *Phædro* fuerit, alibi dixi: quibus hic quoque locus aggregandus eſt. *Rittersh.*

Dummodo abſolvar cinis] Id eſt, poſt mortem, quod & *Socrati* accidit, cujus accuſatores Anytus, & Melitus, tandem omnium judiciis condemnati, ipſe vero *Socrates*, eorum reus abſolutus eſt. Significat *Phædrus*, ſe in reatu hanc librum ſcripſiſſe, cum à Sejano iniquiſſimo vexaretur judicio: de quo & ſupra. *Rittersh.*

Cinis] Reſpicit ad morem quo rogo impoſita cadavera, in cineres convertebantur. Veteres enim hoc modo ea cremaſſe res vulgatiſſima eſt, exceptis tamen infantibus adhuc edentulis. *Plin.* enim *Lib. 7. Cap. 16.* diſertim ait: *Hominem priuſquam ędito dente cremari, mos gentium non eſt.* Hinc *Juvenal. Sat. 15. Vers. 139.*

——— terra clauditur infans
Et minor igne rogi. ———

Id eſt, qui nondum attigit ſeptimum menſem; nam infantibus ſeptimeſtribus demum dentes proveniunt. Atque hæc infantium *Mors acerba* Latinis dicitur, quomodo & apud *Senecam*, *Funus acerbum*; legimus, facta tranſlatione à fructibus, qui cum primo proveniunt acerbi ſunt. Juvenes vero *Immatura morte* interire dicuntur, ut loquitur *Cic. 2. Philip.* Quomodo etiam *Immaturas exſequias* dixit *Sen. de Tranquill. Cap. 11.* Atque hinc eſt quod ait, *Cic. 3. de finib. Si beatam vitam uſque ad rogum protuliſſet*, id eſt, uſque ad mortem. Quotieſcunque autem loquebantur de defuncto poſt crematum cadaver (uti hic *Phædrus* de ſeipſo) Sic uſi ſunt vocabulis *Cinis*, vel *cineres*, & *oſſa*, vel *reliquiæ*. Ita *Tacit. Lib. 3. Annal.* De defuncto Germanico; *Centurionum humeris cineres portabantur*, & *Sueton.* De monumento filii Domitiani loquens, *Lib. 8. Cap. 8* ait, *Monumentum quod libertus ejus è lapidibus templo Capitolini Jovis deſtinatis filio conſtruxerat, diruit per milites; oſſaque & reliquias quæ inerant, mari merſit.* Et in *Auguſt. Cap. 100. Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis:* Reſiduas enim oſſium particulas colligebant. Quippe & nunquam in corpus ita flammæ ſæviunt, ut totum plane conſumant, & oſſicula hæc urnæ deſtinabantur, unde ab oſſibus legendis *Oſſilegium* eſt appellatum. Hæc omnia optime adſtruit *Virgil.* in funere Miſeni *Æneid 6.*

Poſtquam collapſi cineres, & flamma quievit,
Reliquias vino, & bibulam lavere favillam

FABULA DECIMA.

Poëta de Credere, & non Credere.



PEriculoſum eſt credere, & non credere.
Utriuſque exemplum breviter exponam rel.
Hippolytus obiit, quia novercæ creditum eſt.
Caſſandræ quia non creditum, ruit Ilium.

Credere & non credere] *Martial. Lib.* 11. *Epigr.* 72. De maritorum erga uxorum caſus incredulitate nimiaque credulitate, *l.* 29 *ff. ad leg. Jul. de adulter. Rigalt.*

Exponam] Narrabo, ita *Corn. Nep. Attic. Cap.* 28. *Verſibus expoſuit, qui honore cæteros præſtiterunt. Scheffer.*

Novercæ creditum eſt] Sententioſe, & huc pertinet impersonale verbum. Nomen novercæ fuit Phædra. *Scheffer.* Hæc Hippolyti, Theſei ex Antiope Amazone filii, Dianam virginem ac venatricem colentis, abſente apud inferos Theſeo, caſtitatem oppugnat, nec expugnat. Sed repulſa ſæpius impudica mulier, Theſeo reduci oblati per vim ſtupri inſimulat. Ille credulus filium, qui jam domum impudicam fugerat abſenti mortem imprecatur: Quod votum ratum facit Neptunus, emiſſo Tauro Marino, qui equos Hippolyti conſternat, unde per vepres & ſaxa diſtractus auriga dilaniatur. Quod ubi reſcivit male ſibi conſcia mulier, ſcelus ſuum, falſumque crimen apud maritum confeſſa, gladio ſe transfigit. Theſeus innoxii filii caſum, & ſuam credulitatem dolens, iramque ſuam deteſtatus, collectos paſſim artus componit; quod pluribus narratur ab *Euripide*, & *Sen. in Hippol.*

Hujus autem Hippolyti historiæ plane consimilem Comminii cujusdam refert *Plutarchus in Parallelis*, ex *Dosithei* Italica Historia. L.

Cassandræ quia non creditum] *Virgil.* 2. *Æneid.*

Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris
Ora Dei jussu, non unquam credita Teucris

Nam ut de eadem ait, *Tryphiodorus*, *Halosi Ilii*:

——— Τὴν γὰρ Ἀπόλλων
Ἀμφότερον μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ ἄπιστον ἔθηκε.

Id est:

——— *Dederat hui augur Apollo*
Esse bonam vatem, sed non credenda profari.

Et apud *Q. Smyrnæum Lib.* 12. *Paralip. Homeric.*

Οἴη ἔμπεδον ἦτορ ἔχεν πινυτόν τε νόημα
Κασσάνδρη. Τῆς οὔποτ' ἔπος γένετ' ἀηράμαντον,
Ἀλλ' ἄρ' ἐτήτυμον ἔσκεν· ἀκούετο δ' ἔκ τινος αἴσης.

Est post:

Ὡς ἀνεμώλιον ἦεν, ἵν' ἄλγεα τρωσὶ γένητο.
Κῆρες γὰρ πάντων νόον ἔκβαλον.

Quorum versuum sententiam sic placuit Latinis exprimere:

Soli inerat mens firma animi, & præcordia dextra
Cassandræ, haud unquam verbum vanum ore profatæ
Cui suus eventus non respondisset; at ipsi
Nescio quo fato nemo ausculture volebat,
Tanquam vaniloquæ. Trojanis quippe parabant
Pœnas fata suas infligere. Cæca proinde
Omni privabant sensu rationeque corda.

Significatur autem per hæc cæcitas, & furor hominum, imminentibus pœnis fatalibus, quando sana consilia, & salutaria monita à nemine in animum demittuntur, sed omnes clausis oculis, & auribus in suam perniciem ruunt. Qua de re sunt noti versus veteres relati à *Lycurgo in Oratione contra Leocratem*: Notus locus *Velleji Paterc. Lib.* 2. *Hist.* notus *Ammiani Marcellin. Lib.* 14. & 17. Noti denique verus *Lucani*. Porro titulus hujus narrationis græcissat: *de credere, & non credere*: περὶ τοῦ πιστεύειν, καὶ ἀπιστεῖν. De hoc autem argumento lege *Dionis Chrysostomi* elegantissimum libellum, à *Joachimo Camerario* latine conversum, & notis illustratum. Notum est *Epicharmi* quoque præceptum politicum: μέμνησο ἀπιστεῖν: quo ille tanquam nervis, & artubus sapientiam dicebat contineri. Quod & *Cicero* sæpissime inculcat, & extat versus nescio cujus auctoris:

Πίστεις ἄρα ὁμῶς καὶ ἀπιστίαι ὤλεσαν ἄνδρας.

Ut autem hic nimis citò credit maritus iste liberti criminationibus: ita apud *Heliodorum* Aristippus Demænetæ uxori privignum Cnemonem falsò deferenti, fidem temere adhibet *Æthiopic. Hist. Lib.* 1. Quod exemplum augere potest numerum illorum octo vel decem, ab elegantissimo *Mureto* relatorum *Lib.* 1. *Var. Lect. Cap.* 12. *Rittersh.*

Ruit Ilium] Cassandra quippe Priami filia sæpius, & præcipue veniente Helena exitium Trojæ prædixerat, sed ei à Trojanis fides habita non est: referunt enim *Mythologi* Apollinem illi sub spe coitus divinitatem, & vaticinandi donum contulisse, sed promisso stupro fraudatum credulitatem, & fidem vaticinio ejus abstulisse, ut non crederetur etiam vera dicenti. L.

Ergo exploranda est veritas multum prius,
Quam stulta prave judicet sententia.
Sed fabulosa ne vetustate elevem,
Narrabo tibi memoria quod factum est mea.

Expla-

Exploranda] Diligenter inquirenda, inveſtiganda. *Explorare* enim teſte *Nonio Marcello*, eſt ingentius obſervare, item verum inquirere uti hic dixi ſupra *Lib.* 1. *Fab.* 2. Huic autem *Phædri* Sententiæ congruit vulgare ſed elegans JCtorum dictum *Præcipitantium eſſe novercam juſtitiæ.* Unde illud neſcio cujus:

Judicium præceps inſani judicis index.
Omnia ſunt longis diſcutienda moris.

Et hoc *Publici Syri*:

Deliberare utilia, mora tutiſſima eſt.

Atque hinc *Sophocl. in Oedip.*

Φερεῖν γὰρ οἱ ταχεῖς, οὐκ ἀσφαλεῖς.

Id eſt:

Periculoſa eſt præpropera prudentia.

Huc quoque pertinet proverbium illud: *σύνυκτι βέλη, in nocte conſilium*, & alia quæ de prudenti cunctatione, & conſilio congeri poſſent. L.

Multum primi] Conjungunt vulgo, ſed illud *multum*, ad *exploranda*, referendum *Scheffer.*

Sententia] Animus, judicium, effectus, pro efficiente cauſa, nota figura. *Schaffer.*

Maritus quidam cum diligeret conjugem,
Togamque puram jam pararet filio:
Seductus in ſecretum à liberto ſuo,
Sperante hæredem ſe feciſſe proximum:

Togamque puram] Depoſita nimirum prætexta, quam purpura diſtinctam geſtabant uſque ad animum ætatis decimum ſextum completum, Sic *Cicero* ſe filio ſuo togam puram Arpini dediſſe ſcribit, *ad Attic. Lib.* 9. *Epiſt. ult. Catullus*, *Elegia ad Manlium*, vocat veſtem puram:

Tempore quo primum veſtis mihi tradita pura eſt,
Jucundum cum ætas florida ver ageret.

Rittersh. Erat autem dicta pura, quia nullam prætextam habebat purpuram, ut toga puerorum. Vide *Bayſium* & *Ferrarium de re veſtiaria. Scheffer.* Hi utique uſque dum annum decimum ſeptimum attigiſſent, prætextati dicebantur; unde *Paterc. Lib.* 1. *Hiſtor. Cap.* 10. L. *Paulo quatuor filii fuere, ex iis duos natu majores, & duos minores natu prætextatos, quo tempore victoriam adeptus eſt.* Et *Sueton. in pr. operis ſui* dixit: *Coſſutia Julio Cæſari prætextato deſponſata fuerat.* Item *Quintilian. Lib.* 12. *Cap.* 21. *Multum ante quæſturiam omnes ætatem graviſſima judicia ſuſceperunt, prætextatos quoſdam cauſas egiſſe traditum eſt.* Eleganter *Propertius* de Nuptiis ante annum decimum ſeptimum initis:

——— *Facibus ceſſit prætexta maritis.*

Hinc prætextata ætas *Agellio* dicitur, & anni prætextæ *Plinio*, id eſt, pueritia. *Martialis*, niſi fallor:

Tu mihi ſimplicibus multum dilectus ab annis,
Et prætextata cultus amicitia.

Ingreſſi vero annum decimum ſeptimum ponere prætextam dicebantur, & togam puram ſumere, quod hic optime etiam *Phædrus* expreſſit. L.

Seductus] Seorſim ductus in locum ſolitarium. *Liv. Lib.* 30. *Cap.* 5. *Scipio deinde Lælium, & Maſſaniſſam ſeparatim ſeductos obteſtatur. Scheffer.*

Hæredem ſe feciſſe proximum] *Perſius Sat.* 2.

——— *Pupillumque utinam quem proximus heres*
Impello, expungam. ———

Rigalt. Proximus heres hic dicitur, qui alias crebrius à JCtis. & Hiſtoricis, etiam ab *Heratio* appellatur ſecundus heres, id eſt, ſubſtitutus. *Rittersh.* Ad differentiam heredum inſtitutorum, qui priore gradu, & loco inſtituuntur, atque ideo primo appellantur. Sic *Secundum heredem ſcribere* in *l.* 8. *C. de Inſtit. l.* 56. *ff. de fideic. libert.* Explicatur hoc verbum à *Boët. in Topic.* Frequenſque eſt apud *Ciceronem*, ut in *Orat. pro Cluent. Lib.* 1. *de Invent. Lib.* 15. *Epiſt. ad Attic.* & *Lib.* 13. *Epiſt.* Utitur etiam hoc verbo *Plin. Lib.* 7. *Cap.* 6. Et *Salluſt. in bell Jugurth. Quem Micipſa teſtamento ſecundum hæredem ſcripſerat.* Item *Sueton.*

in Jul. Cæs. Cap. 83. Plures percussorum in tutoribus si quis sibi filius nasceretur nominavit: D. Brutum etiam in secundis heredibus. Appian. Lib. 2. Bellor. Civil. Τῶν ἀνδροφόνων Δέκιμον ὁ Βροῦτος ἐν τοῖς δευτέροις κληρονόμοις ἐγέγραπτο παῖς· ἔθος γὰρ Ῥωμαίοις παραγράφειν τοῖς κληρονόμοις ἑτέρου εἰ μὴ κληρονομοῖεν οἱ πρότεροι. Sic & *secundo loco scribere heredem l. 4. ff. de Sc. Silan.* Et *Testamentum secundo loco factum l. 29. ff. ad Sc. Trebell.* Per quod prius sublatum est. L.

Se fecisse] Melius *Suffici se*, ut *Facere*, & *sufficere heredes* dicimur, cum alios aliis substituimus, quanquam magis usitate substitui dicantur. Simili sensu *Corn. Nep. Hannib. Cap. 3. Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit.* Cæterum *Suffici se*, pro *Suffectum iri*, vel *Sufficiendum esse*, quomodo apud *Virgil. 1. Æneid.*

Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat. ———

Pro ducendam esse. *Scheffer.*

Qui cum de puero multa mentitus foret,
Et plura de flagitiis castæ mulieris,
Adjecit, id quod sentiebat maxime
Doliturum amanti, ventitare adulterum,
Stuproque turpi pollui famam domus.

De puero] Adhuc scilicet prætextato, uti supra. L.

Et plura] Plura etiam, longe adhuc plura adjecit. *Scheffer.*

Adjecit, id quod] Non placet hæc distinctio, verba illa omnia: *Id quod sentiebat maxime doliturum amanti*, ponenda in parenthesi censeo. *Scheffer.*

Maxime doliturum amanti] Οὐ μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ἀτρεΐδαι: ut ex *Homero* joci causa adferebat *Sext. Cæcilius ICtus. Lib. 13. §. 1. ff. ad leg. Jul. de adult. Rittersh.* Dolorem allaturum, propter amorem marito significat. *Doliturum* imitatione *Terentij*, & *Plauti*, sic usurpat, qui posterior in *Captiv. Act. 1. Sc. 2.*

——— *huic illud dolet,*
Quia nunc remissus est edendi exercitus.

Scheffer. Atque hinc maritus in casibus legis Juliæ de Adulteriis dicitur justum dolorem vindicare; at qui patitur uxorem suam delinquere, nec prohibet flagitium cum possit, matrimonium suum contemnere, & contaminationi non indignari *l. 2. § 3. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Quod vix unquam de bono patrefamilias licet suspicari, qui ipse est vitæ honestæ & probatæ: nam ex præcepto ICti. in *d. l. 13. §. 5. ff. eod. judex adulterij ante oculos habere debet, & inquirere an maritus pudice vivens, mulieri quoque bonos mores colendi auctor fuerit? Per iniquum enim videtur esse ut pudicitiam vir ab uxore exigat, quam ipse non exhibeat.* Et, ut auctor est *Lactantius*, exemplo continentiæ docenda uxor est, ut se caste gerat; iniquum est enim, ut id exigas, quod præstare ipse non possis. L.

Ventitare] Crebro & frequenter venire. L.

Adulterium] Quendam ignotum. *Scheffer.*

Incensus ille falso uxoris crimine,
Simulavit iter ad villam, clamque in oppido
Subsedit: deinde noctu subito januam

Intra-

Intravit, recta cubiculum uxoris petens,
In quo dormire mater natum jusserat,
Ætatem adultam servans diligentius.

Incensus] Eleganter ad indicandam iræ vehementiam. *Terent. Phorm. Act. 1. Sc. 4. Loquarne? Incendam? Taceam? Insligem?* Ubi *Donatus: incendam, quia iracundia ignis est. Scheffer.*

Simulavit iter ad villam] Videndus *Apulejus Milef. 9. Rigalt.*

Subsedit] Subsitit, commoratus est, *Cic. 5. Attic. Epist. 16. Itaque subsedi in ipsa via, dum hæc summatim tibi perscriberem. Scheffer.* Ita *Subsidere legata apud heredes* dicuntur *l. 76. ff. ad leg. Falcid.* id est, remanere. *Subsedisse* autem alia significatione *Pars soli* dicitur, quæ depressa est *l. 14. §. 1. ff. de aq. & aq. pluv. arc.* Et *Cic. Lib. 1. de Divinat.* Verbo desidere, non semel eo sensu usus est. L.

Januam intravit] Ellipsis, pro *per januam in ædes. Scheffer.*

Ætatem adultam] Adultam ætatem, pro adolescente usurpat. Non potest autem quisquam nimium diligenter suorum liberûm custodire pudicitiam: ut est apud *Plautum.* Καλὸν ἀνήρ ἐστιν παιδῶν τοκίσσιν, inquit, *Phocylides.* Et *Cicero. 1. de Offic.* Rectissime monet, atque saluberrime: *Maxime hæc ætas à libidinibus arcenda est, exercendaque in labore, patientiaque & animi, & corporis.* &c. *Rittersh.* Sic *Catullo* puella *adservanda nigerrimis diligentius uvis. Rigalt.* At, teste *Ovidio*, ea demum casta est quæ seipsam & pudicitiam suam servat, ita enim ait, *Lib. 3. Amor. Eleg. 4.*

—— ingenio quæque tuenda suo.
Si qua metu demto casta est, ea denique casta est
Quæ, quia non liceat, non facit; illa facit.

L.

Servans diligentius] Eo scilicet quod adulta esset, vitiisque obnoxia, quæ hic tacite Noster innuit, plus quam antea. *Servans*, pro, *Observans*, id est, custodiens *Corn. Nep. Cim. Cap. 4. Nunquam hostis custodem imposuit fructus servandi gratia. Scheffer.* Et sic *Ovid. dict. Lib. 3. Amor. Eleg. 4.*

Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est.

Et Paulo post:

Quicquid servatur cupimus magis. ——

L.

Dum quærunt lumen, dum concurrant familia,
Iræ furentis impetum non sustinens,
Ad lectum accedit, tentat in tenebris caput.
Ut sentit tonsum, gladio pectus transigit,
Nihil respiciens dum dolorem vindicet.

Familia] Id est, servorum multitudo, ut infra *Lib. 4. Fab. 20. Rittersh.*

Furentis impetum] Gravissime, ad indicandam vim doloris, & causam tam atrocis facinoris. Sic *Impetum libidinum* dixit *Cic. de finib. Scheffer.* Sic apud *Ovid. Lib. 8. Metamorph.*

—— Est impetus illi
Turribus è summis in Gnosia mittere corpus
Castra. ——

Loquitur de libidinosa Nisi Regis filia. Sed hoc *Phædri* loco, ut & alias apud ICtos, efferveścentem animi motum & calorem significat; *Mariti calor, & impetus facile decernentis fuit refrenandus l. 22. §. ult. ff. ad leg. Jul. de adult. Si maritus uxorem adulterio deprehensam impetu tractus doloris interfecerit, l. 38. §. 8. ff. eod.* Sic & in *l. 32. §. ult. ff. ad leg. Aquil. Si*

quis uno impetu pluribus vulneribus aliquem occiderit. Et in *l.* 23. §. *ult. ff. ad leg. Jul de adult. Debet prope uno ictu, & eodem impetu utrumque occidere.* Itemque in *l.* 11. §. *delinquitur. ff. de pœn. Impetu delinquitur, cum per ebrietatem ad manus, aut ad ferrum venitur.* Alibi calorem iracundiæ dicunt. L.

Tentat in tenebris caput] *Arnob.* 5. *Altitudinem dormientis, & matris patientiam tentans. Virgil.* 2. *Æneid.*

——— *tentare latebras.*

Tentare, *tatoner*, quod cæci faciunt. Sic *Plin.* de cochleis quæ oculis carent, *Corniculis prætentant iter. Rigalt.* Tentat, id est, explorat manu *Plaut. Aulul. Act.* 4. *Sc.* 3. E V. *Agedum, excute dum pallium.* S T R. *tuo arbitrata.* E V. *ne inter tunicas habeas.* S T R. *tenta quæ lubet.* Vide *Giphan. Ind. Lucret. Scheffer.* Sic *Tentat loqui*, à ICtis nostris alicubi in Pandectis usurpatum memini. L.

Ut sentit tonsum] Virile scilicet, Romanos etenim tum temporis barbam & capillos tondisse constat; nam antiqui intonsi incedebant, & capillati, unde *Juvenal. Sat.* 5. *Vers.* 29.

Ipse capillato diffusum consule potat.

Id est, vinum valde vetus. Sed postea mos ille exolevit, ita ut non nisi in squallore & luctu barbam, & capillos pro mitterent. Hinc *Liv. Lib.* 27. *Cap.* 56. *Octavo ferme post damnationem anno consules reduxerant M. Livium in urbem, sed erat veste obsoleta, capillo que, & barba promissa, præferens in vultu habituque insignem memoriam ignominiæ acceptæ.* Similiter *Lib.* 6. *Cap.* 16. *Conjecto in carcerem Manlio satis constat magnam partem plebejam vestem mutasse, multos mœrtales capillum ac barbam promisisse observatamque in vestibulo carceris mœstam turbam.* Item *Justin. Lib* 4. *Cap.* 4. *Legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo, barbaque promissis, & omni squaloris habitu ad misericordiam commovendam acquisito, concionem deformes adeunt.* Sic & *Suetonius* de Augusto, *Lib.* 2. *Cap.* 23. *Per quatuor continuos menses barba capilloque summisso.* L.

Transfigit] Omnino legendum *transfigit*, id est, confodit, metron pariter & sensus hoc poscit. *Virgilius* transadigit bis terve in eadem re usurpat, sed & *Valer. Flac. Lib.* 3. *Argonaut.*

——— *Lævum per luminis orbem*
Transfigitur. ———

Sic *Silius Italicus Lib.* 4.

——— *Transegit pectora mucro.*

Tacit. Lib. 14. *Annal.* 37. *Gladio seipsum transegit.* Igitur Tò *transfigit*, manifesto ex Glossa est. *Rittersh.*

Respiciens] Attendens, curans, quomodo *Corn. Nep. in Miltiade Cap.* 8. *Hæc populus respiciens, maluit eum plecti. Scheffer.*

Dolorem vindicet] Vindicamus proprie injurias; sed quia ex injuriis dolor, ideo sic loquitur. *Scheffer.* Nam proprie, quemadmodum hoc sensu *Vindicare*, ulcisci significat. Sic *Vindicare adulterium. l.* 13. §. 1. *ff. ad leg. Jul. de adult.* Et *Vindicta proprii doloris, l.* 37. *ff. eod. Ad vindictam Majestatis publicæ pertinet, l.* 53. *ff. de Injur.* Sed *Vindicare injuriam* sibi factam, exequi, & crimen persequi denotat *l.* 2. §. *sed & si agant. ff. de judic. l.* 18. §. 1. *ff. de jure fisc.* Sic *Vindicare mortem l.* 18. *ff. de Sc. Silan. l.* 11. *ff. de accusat. l.* 5. *C. de quæstionib. Vindicare necem. l.* 26. *ff. de Sc. Silan. l.* 10. *C. de his quæ ut indign. l.* 37. §. *ult. ff. de bon. libert. l.* 2. *C. de calumniat.* Alia significatione hoc vocabulo usus est *Sallustius*, pro animadvertere, de pœna, puniri, *Vindicatum*, inquit, *fuit in noxios*; sic quoque *Vindicare delictum*, judex dicitur in *l.* 1. *ff. de obsq. par. & patr. præst.* L.

Lucernâ allatâ, simul adspexit filium,
Sanctamque uxorem dormientem cubiculo,
Sopita primo quæ nil somno senserat,
Repræsentavit in se pœnam facinoris,
Et ferro incubuit, quod crudelitas strinxerat.

Adspe-

Adſpexit] Eleganter de conſpectu improviſo, **ſo bald er ſeiner anſichtigh worden.** *Scheffer.*

Sanctamque uxorem] Quam paulo ante vocabat, caſtam, & mox, innocentem. Sic ſæpe *Cicero. Rittersh.* Ita & *Martial. Lib.* 10. *Epigr.* 30.

Non ille ſanctæ dulce Tibur uxoris.

Et ſæpe in vetuſtis ſepulchrorum inſcriptionibus, UXORI SANCTISSIMÆ. *Rigalt.* Et *Virgil.* 11. *Æneid.*

——— *tuque ô ſanctiſſima conjux.*

Scheffer.

Sopita primo ſomno] Qui arctiſſimus eſſe ſolet. *Rittersh.* Dicit hoc imitatione *Virgilii*, qui, *Lib.* 1. *Æneid.*

Hinc ego ſopitum ſomno ſuper alta Cytheræ
Recondam. ———

Eſt autem *Sopita*, plus quam dormiens, & de profundo ſomno uſurpatur. Unde *Plin. Lib* 21. *Cap.* 18. *Hujus ſemine ajunt ſomnum allici, ſed modum ſervandum, ne ſopor fiat. Donatus* ad ſuperiorem locum: *Sopitum, nam illa ætas multum profundeque dormit. Scheffer.*

Quæ nil ſomno ſenſerat] In Epitaphio Miellæ *Lib.* 3. *Epigr. Vet.*

Irrumpit gladio conjux, heu victa ſopore.
Vix ſenſi armatas in mea fata manus.

Rigalt.

Repræſentavit] Statim de ſe ſumſit. Notat celeritatem, ſic *Repræſentare medicinam* dixit *Cic. Lib.* 5. *Epiſt. Fam.* 16. *Neque exſpectare debemus temporis medicinam, cum repræſentare ratione poſſimus.* Sic *Sueton. Auguſt. Cap.* 101. *Summam repræſentari juſſit. Scheffer.* Congruit cum hac ſignificatione, ea, qua ICti. hoc vocabulum uſurpatur: iis enim *Repræſentare* dicitur, id quod in diem debetur, ante diem ſolvere, quod Græci vocant παραχρῆμα *l.* 8. §. 6. *ff. de tranſact. l.* 36. *ff. de condit. & dem. Cic. Lib.* 16. *ad Attic. Mihi quidem*, inquit, *videntur iſtorum animi incendi ad repræſentandam improbitatem ſuam. Sueton. in Auguſt. Summam legionariis legatam, repræſentari juſſit.* Sic *Repræſentata libertas* dicitur, quæ ante diem ſoluta eſt *l.* 37. & *l.* 41. §. 1. *ff. de fideic. libert.* Et *Repræſentata pecunia d. l.* 8. §. 6. *ff. de tranſact.* Inde *Repræſentatio*, ante diem ſolutio *l.* 24. §. *quoties. ff. ſol. matr. l.* 1. & 2. §. *idem Julianus. ff. de dote præleg. l.* 88. §. *teſtator. ff. de legat.* 2. *l.* 10. §. *ſi cum in diem. ff. quæ in fraud. cred.* §. *ex contrario. Inſt. de legat.* Atque hoc ſenſu dicitur *Repræſentari condemnatio. l.* 24. §. *quoties. ff. ſol. matr.* & *reſtitutio*, *l.* 55. §. 1. *ff. ad Sc. Trebell.* L.

Accuſatores poſtularunt mulierem,
Romamque pertraxerunt ad Centumviros,
Maligna inſontem deprimit ſuſpicio,
Quod bona poſſideat: ſtant patroni fortiter
Cauſam tuentes innocentis feminæ.

Poſtularunt] Solenne verbum. Eſt autem *Poſtulare*, deſiderium ſuum in jure, apud eum, qui juriſdictioni præeſt exponere. *Briſſon.* quem vide. *Scheffer.* Verba ſunt ICti. in *l.* 1. *ff. de poſtul.* Unde in *l.* 9. *ff. de pœn. Poteſt & ita interdici cui, ne apud Tribunal. Præſidis poſtulet.* Et in *l.* 39. *ff. de evictionib. Sejus poſtulabat apud Prætorem.* L.

Pertraxerunt] Eſt & hoc inter ſolennia, de quibus *Briſſonius.* Apud *Horat.* Legitur *Extrahi* hoc ſenſu *Lib.* 1. *Sat.* 1.

Ille datis vadibus, qui rure extrahitur in urbem.

Scheffer.

Ad centumviros] Apud hos enim agebantur, diſceptabanturque cauſæ graviores, quæ & centumvirales inde appellatæ *Ciceroni*, *Quintiliano*, & *Plinio Secundo. Rittersh.* Atque hic præcipue de hereditate motam controverſiam apparet ex ſequentibus: *Quod bona poſſideat.* De Centumviris autem ita *Feſt. Pomp. Cum eſſent Romæ triginta, & quinquaginta Tribus (quæ &*

tentia facere profitebantur. *Fab. Decl.* 323. *Rigalt.* Jurati enim Senatores, & Decuriones ſententiam ferebant: ſi vero aqua ipſis hæreret, neque ſatis liqueret, quid veri eſſet in re, qua de agebatur, tunc Imperatoris judicium exquirebant, In quam rem teſtimonia ſi afferam otio abutar. *Fab.* Vide *Gell. Lib.* 14. *Cap.* 2. & *Briſſon. in form.* Ita ſenſus erit: petierunt, ut juvaret ſe, qui feciſſent fidem jurejurando, ſe litis hujus deciſionem non invenire. *Scheffer.*

Error] Eleganter, ſicut *error viæ, Pelagi*, & ſimilium, apud *Virgilium*, ſic *error criminis*, de ambiguitate, incertitudine, obſcuritate. *Scheffer.*

Implicuiſſet] Incertos, dubios feciſſet. *Scheffer.* Intricatam ipſis cauſam dediſſet. Atque hoc ſenſu dixit ICtus. in *l.* 2. §. *ſi quis ex uncia. ff. de dol. except. Implicari moleſtiis hereditariis*, vel *negotiis hereditariis l.* 22. *ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſt. l.* 87. *ff. de legat.* 1. Et *ne oneribus patris pupilli hereditas implicetur l.* 42. *ff. de acquir. vel omit. hered. Qui ſcire potuit ſe oneribus fore implicitum l.* 38. *ff. eod. Quæ non implicantur rebus ſoli l.* 30. §. 1. *ff. de uſucap.* Sic *Implicitus ſtatulibero caſus libertatis l. ult. ff. ſi ex noxal. cauſ. ag. Implicita facti quæſtio, l.* 52. *ff. pro ſoc. Menſularium cum quo rationem implicitam habebat l.* 47. *ff. de pact.* L.

Qui poſtquam tenebras diſſulit calumniæ,
Certumque fontem veritatis reperit,
Luat, inquit, pœnas cauſa libertus mali;
Namque orbam nato, ſimul & privatam viro,
Miſerandam potius, quam damnandam exiſtimo.

Calumniæ] Propriè hic & eleganter de falſa accuſatione, dixi ſupra *Lib.* 1. *in Prol.* ſequitur enim:

Certumque fontem veritatis &c. —— L.

Fontem veritatis] Videtur ad illud *Democriti* reſpexiſſe: *ἐν βυθῷ ἡ ἀλήθεια. Rittersh.*

Luat pœnas] Sic etiam in *l.* 2. *ff. de Iurisd. l.* 29. *ff. ad leg. Cornel. de fals. Luere pœnam*, id eſt ſolvere, ut *Salluſtius in bell. Catil.* loquitur *Luere pœnas capitis l.* 6. §. *exploratores. ff. de re milit.* Ita, *Capite luendum vel minore ſupplicio l.* 16. §. *locum. ff. de pœn. Quæ pecunia lui præſtarique poſſunt l.* 9. §. *illud. ff. de ſtatuliber.* De hoc vocabulo ita *Serv. in Lib.* 10. *Æneid. Luant peccata*, ait, *id eſt, abſolvant: Dicimus autem & luo pœnam: melius & luo peccatum. Nam peccatum ſolvitur pœna: qui enim crimine tenetur obnoxius, eum pœna à priſtina liberat obligatione. Contra, luo pœnam ſi dixeris non procèdit quare pœna ſolvatur. Tamen auctoritas iſta licenter confundit: more qui ſolet poni, vel à ſequenti quod præcedit, vel à præcedenti quod ſequitur.* L.

Quod ſi damnanda perſcrutatus crimina
Paterfamilias eſſet, ſi mendacium
Subtiliter limaſſet à radicibus,
Non evertiſſet ſcelere funeſto domum.

Subtiliter limaſſet] *Lucretiani Codices Mſ. S. Lib.* 3.

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia limant.

Gloſſæ veteres: *Liamatur, Rimatur, Terit,* Ζητεῖ. Vellem viros doctos hæc ſubtilius limaſſe. *Rigalt.*

Limaſſet à radicibus, non evertiſſet] Pec-

cat

eat meo quidem animo hæc diſtinctio. Quid enim eſt limare à radicibus? Evertere à radicibus eleganter dicitur, illud non item, ut puto. Quare mecum ſic potius diſtingue:

——— *Si mendacium*
Subtiliter limaſſet, à radicibus
Non evertiſſet ſcelere funditus domum.

Majoris emphaſeos cauſa duo ejuſdem ſignificationis conjunxit: funditus à radicibus evertere: quod eſt μιξόθεν πρόῤῥιζον ἀναιρεῖν. *Rittersh.* Poſt hæc verba: *Limaſſet à radicibus* recte comma collocatur, contra quam tu *Rittershuſi*, exiſtimas. Legendum autem ulterius, *rimaſſet*, antique, pro, rimatus fuiſſet, hoc eſt, ſcrutatus, quæſiviſſet, teſte *Nonio*, confirmat hoc *Plauti* locus *Trinum. Act.* 1. *Sc.* 2.

Quod ſi exquiratur uſque ab ſtirpe auctoritas
Unde quicquid auditum, niſi id appareat,
Famigeratori res ſit, cum damno, & malo.

Schop. Sed non vidit *Schoppius* locum hunc eſſe imitationem *Ciceronis* 2. *de Offic. veritas limatur in diſputatione.* Ceterum mihi ſatis placet *Rittershuſi.* ſententia, exiſtimantis hæc verba: *à radicibus* jungi cum illis debere, *non evertiſſet*, &c. Quod illi *Salluſtiano* ſimile erit, *Carthago à ſtirpe interiit. Fab.* Evertere à radicibus, ut expellere ab radicibus apud *Virgilium. Cicero*, pro his dixit, *radicitus extrahere. Scheffer.*

Funeſto] Pernicioſo, exitiali, ita *Cic. ad Attic. Majores noſtri funeſtiorem eſſe voluerunt diem Allienſis pugnæ, quam Urbis captæ.* Et *Ovid. Triſt. Lib.* 3. *Eleg.* 6.

Lumina funeſti conſcia facta mali.

Funeſta autem familia dicebatur cujus dominus mortuus eſſet, *Cic. Lib.* 2. *de legib.* & tantiſper donec cadaver humatum non eſſet, neque juſta perſoluta *l.* 28. §. *ult. l. ult. ff. de ſtip. ſerv.* Et ſcribit *Varro Lib.* 4. *de ling. lat.* quamdiu *in ſepulchrum defuncti gleba abjecta non eſſet, aut os mortui, ad familiam expurgandam exceptum eſſet*, tamdiu *funeſtam* eam manſiſſe. L.

Nil ſpernat auris, nec tamen credat ſtatim
Quandoquidem & illi peccant, quos minime putes:
Et qui non peccant, impugnantur fraudibus.
Hoc ammonere ſimplices etiam poteſt,
Opiniones alterius ne quis ponderet.

Nec tamen credat ſtatim] *Petron. Satyr. Nunquam recte facit, qui cito credit. Rigalt.* Unde *Sen. Conſol. ad Polyb. Cap.* 10. *Suâ quemque credulitas decipit.* Sic *Horat. Carm. Lib.* 3. *Ode* 7.

Ut Prætum mulier perfida credulum.
Falſis impulerit criminibus nimis
Caſto Bellerophonti
Maturare necem refert.

Prudentiſſime igitur *Sen. de Ira* Lib. 2. *cap.* 22. *Dandum*, inquit, *ſemper eſt tempus veritatem dies aperit; ne ſint aures criminantibus faciles, hoc humanæ naturæ vitium ſuſpectum, notumque nobis ſit, quod quæ inviti audimus libenter credimus, & antequam judicemus iraſcimur.* Idemque paulo poſt, *Cap.* ſcilicet 23. *Plurimum mali credulitas facit, ſæpe ne audiendum quidem eſt, quoniam in quibuſdam rebus ſatius eſt decipi quam diffidere.* Optime *Menander*: Μὴ πάντα πιστῷ πᾶσι πιστεύειν ἀεί. Id eſt, *Credenda cunctis eſſe cuncta ne putes.* Et notum eſt illud *Epicharmi*: *Nervi, atque artus ſunt ſapientiæ non temere credere.* Unde *Salom. Prov. Cap.* 14. *Vers.* 15. *Stultus omni verbo credit.* L.

Etiam] Referendum ad *hoc*, quaſi diceret, præter id quod jam propoſui, etiam hoc poteſt. *Scheffer.*

Ambitio

Ambitio namque diſſidens mortalium
Aut gratiæ ſubſcribit, aut odio ſuo,
Erit ille notus, quem per te cognoveris.
Hæc exſecutus ſum propterea pluribus
Brevitate nimia quoniam quoſdam offendimus.

Subſcribit] Verbum ex foro huc tranſlatum, quia de re tali ſermo erat; dicuntur autem ſubſcribere, qui ſequuntur alios, eorumque ſententiam acceſſione ſua firmant. Vide *Polleti For. Scheffer.* Atque ita *Subſcribere* dicebatur, qui accuſatori ſe ſocium addebat, ut è *Cicer. de Divinat.* & 3. in *Verr.* Ubi vide *Aſcon.* Hinc *ſubſcriptio cenſoria. Cic. pro Cluent.* Ad ſubſcriptionem accuſator compellitur. *Plin.* Lib. 5. *Epiſt.* 1. *Poſt hoc ille cum ceteris ſubſcripſit Centumvirale judicium.* Et paulo poſt: *Scis te non ſubſcripſiſſe mecum.* Ab hac denominatione *Subſcriptores* etiam olim dicebantur, qui accuſatori ſe addebant, & adjungebant. L.

Erit] Id eſt, eſſe debet, ſit: ita infra, Lib. 4. *Fab.* 4. *Hæc iracundos admonebit Fabula.* Pro, *admoneat. Plaut. Menæ. Act.* 2. *Sc.* 2. *Dii te amabunt*; pro, te ament. *Scheffer.*

Per te] Tuo ſtudio proprio, non ex relatione aliorum. *Cic. de Amicit. Quod quiſque minus per ſe ipſe poſſet, id acciperet ab alio. Scheffer.*

Exſecutus ſum] Ἐπιξῆλθον, vel διεξῆλθον. *Plautus* eo ſæpius utitur, pro narrationem inſtitutam quaſi protelo continuare. Vide *Muret. Var. Lect.* Lib. 10. *Cap.* 13. *Rittersh.* Ita *Plaut. Amphitr. Act.* 2. *Sc.* 2. *Perge exſequi.* Eſt autem *Exſequi*, exponere, narrare dicere, vide *Terent. Hec. Act.* 3. *Sc.* 1. & ibi *Gyetum. Scheffer.*

FABULA

FABULA UNDECIMA.

Eunuchus ad Improbum.

EUnuchus litigabat cum quodam improbo:
Cui super obscæna dicta, & petulans jurgium,
Damnum insectatus est amissi corporis.

E*Unuchus litigabat*] Sexus humanus secundum naturam, in marem, ac feminam tribuitur: præter naturam vero in Hermaphroditum, & Eunuchum: ac Hermaphroditus quidem, etsi neque mas, neque femina dici vere possit, tamen & mas, & femina videri potest. *Aristophanes in Convivio Plat.* Androgynum quasi tertium sexum, ex utriusque participatione compositum fuisse docet, τριτὸν καὶ κοινὸν ἀμφοτέρων. Hanc vero participationem *Paul. Ægineta Lib.* 6. utrique, sexui magno dedecori esse ait: πολλὴν παρέχειν ἀπρέπειαν ἀμφοτέροις τοῖς γένεσιν. Nempe sexuum inverecundam confusionem præferi: qua de re extat apud *Trallianum Phlegontem* versus *Pag.* 77. Enimvero deterior multo Eunuchi conditio est: nec enim vir, neque mulier, nec utrumque, sed plane nihil est. Sic *Plaut. Mil. Glor.* Exsectum, *Nihili factum*, vocat. Hermotimus apud *Herodotum Urania* nimiam Pannonio impietatem exprobrans, ejulando miserabili voce ita loquebatur. Ὦ πάντων ἀνδρῶν ἤδη μάλιστα ἀπ' ἔργων ἀνοσιοτάτων τὴν βίον κτησάμενε, τί σε ἐγὼ κακὸν ἢ αὐτὸς, ἢ τῶν ἐμῶν τίς σε προγόνων ἐργάσατο, ἢ σε, ἢ τῶν σῶν τινα, ὅτι με αὐτ' ἀνδρὸς ἐποίησας τὸ μηδὲν εἶναι. *Lucianus Eunucho:* πολὺ, ἦν ὁ τοῦ τοῦτο λόγος, οὔτε ἄνδρα

οὔτε

οὔτε γυναῖκα εἶναι τὸν εὐνοῦχον λέγοντος, ἀλλὰ τι σύνθετον, καὶ μικτὸν, καὶ τερατῶδες, ἔξω τῆς ἀνθρωπείας φύσεως. Diogenes Demonico in *Epist. Theophylactæ Simocatæ*: Τὸ τέχνητον γύναιον, τὸ δίγενες ἡμιάνδριον, τὸ παρὰ τῇ φύσει κατὰ μηδὲν ἔντελες, ὑβριστέον λυδὸς εὐνοῦχος. Nimirum Eunuchos, *Quasi à consortio humani generis extorres, ab utroque sexu aut naturæ origo, aut clades corporis separavit*, ut ait, *Mamertinus Panegyric. Julian. Cyrillus*, spadones, sive Eunuchos esse, ait, τερατόμορφα πρόσωπα, ψυχοκτόνους καὶ σωματοφθόρους, καὶ τῆς φύσεως παραχαράκτας. λοιμοὺς τῆς φύσεως, καὶ τοῦ γένους πολεμίους. Unde merito Eunuchi mulierum amatores, qui nihil tamen possunt, nebulones, & μάταιοι dicti. Vetus Glossarium: Μάταιος, *inanis, cassus, vanis, nebulo. Terent. Eunuch. Sane quod tibi nunc vir videatur esse, hic nebulo magnus est.* Porro Eunuchi, vel nascuntur, vel fiunt. Qui nascuntur, spadones, qui fiunt, Castrati. Glossæ Veteres: Εὐνοῦχος, ἀπὸ φύσεως, Spado: Εὐνοῦχος ὁ ἐκ τομίας, Castratus. Nascuntur, vitio aut debilitate parentum; fiunt arte, casu, insidiis, sponte. *Arnob. 5. Catull. de Aty. Plin. Lib. 11. Cap. 48.* De spontanea exsectione *Lucianus*, Syria Dea. *Varro* Lege Mœnia: *Si qui patriam majorem parentem extinguit, in eo culpa: quod facit pro sua parte, is qui se eunuchat, aut aliqua liberos producit.* Sæpenumero tamen cogebantur à principibus medici facere Eunuchos; adeoque ars ipsa, cujus erat præcipua cura naturalem corporibus statum, habitumque conservare, aut læsum reparare, ac redintegrare, in maximum naturæ totius armata est detrimentum. *Paulus Ægineta* querebatur: Σκοπὸν ἐχούσης τῆς ἡμετέρας τέχνης ἀπὸ τοῦ παρὰ φύσιν ἐπὶ τὸ κατὰ φύσιν ἐπάγειν τὰ σώματα, τῆς ἐναντίας ὁ εὐνουχισμὸς ἐπαγγελίας τετύχηκεν, ἀλλ' ἐπειδὴ καὶ ἄκοντες πολλάκις ὑπό τινων ὑπερεχόντων εὐνουχίζειν ἀναγαζόμεθα &c. *Petron. Satyr.*

Persarum ritu male pubescentibus annis.
Surripuere viros. ———

Sic pueri puellæ fiebant, & puellascebant, & contra. *Varro, Baiis: Quod non solum innubæ fiunt communes, sed etiam veteres puerascunt, & multi pueri puellascunt.* Hæc autem improba in Eunuchis luxuria tandem Romanorum Imperatorum legibus coërcita, *D. Hadrianus.* ne spadones fierent, pœna Legis Corneliæ de sicariis irrogata, rescripto cavit *l. 4. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Constantinus* viros exsecantes capitaliter puniri voluit *l. 1. C. de Eunuch. Justinianus* talionis lege agere permisit, ut illud idem, quod aliis fecissent, ipsi paterentur *Novel. 142. Ovid. Eleg. 3. Amor. 2.*

Qui primus pueris genitalia membra recidit,
Vulnera quæ fecit, debuit ipse pati.

Quam pœnam veluti civilem, ac legitimam Hermotimus in Pannonium, à quo fuerat excisus statuebat, hoc superdicto: ὥστε σε μὴ μέμψασθαι τὴν ἀπ' ἐμέοτοι ἐσομένην δίκην. Simulque Pannonium proprios liberos emasculare jussit, ipsosque deinde patri virilitatem eripere coëgit. Nempe ut cædem cæde ulcisceretur. Emasculationem, ac detestationem φόνους vocat *Justinianus d. Novell.* Et Eunuchismo homicidium committi *Apostolici Canones* sanciunt. *Balsam. & Phoci Nomocan. Tit. 1. Cap. 3.* Quippe Eunuchi sibi ipsis supervivunt; nam quasi vitam simul cum viro amittunt, ac toti in parte una pereunt. *Apulej. Miles. 7. Tali sententia mediis orci manibus retractus, sed extremæ pœnæ reservatus, mærebam, & in novissima parte corpiris totum me periturum deflebam, inedia denique continua, vel præcipiti ruina, memet ipse quærebam extinguere; moriturus quidem nihilominus, sed moriturus integer.* Hinc manifestarios mæchos ejus conditionis, ut jure occidi potuissent, contumelia adficere permittebatur *l. nec in ea. §. sed qui occidit. ff. ad leg. Iul. de adult.* puta raphanis, & mugilibus forare, ut apud *Catullum*, & *Iuvenalem*, προτείνειν ἐκείνοις τὴν ἐπὶ σκόλοπος ἀπαιώρησιν. *Nicet. Chon.* Item licebat eos viro spoliare, quo referendum illud *Phædri*:

Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

Nimi-

Nimirum ut per quæ peccavit, per eadem puniatur. Quomodo & legislatoris τοὺς πατροτόπτας χειροκοποῦσι, iis qui patrem suum pulsaverant, manum amputabant, quæ triste occidendi patris ministerium patraverat, ut notat in *Allegoriis Homericis Heraclides Ponticus*: καὶ γὰρ εἰκὸς ἦν ᾧ ἡμάρτανεν ἐν μέρει τοῦ σώματος, τούτῳ καὶ κολασθῆναι. *Artemidor. Dald.* 1. *Oneiroc.* Hinc emandus, & explicandus contra *Dion. Lambinum Plaut. Mil. Glor. Sc. ult.*

Etsi intestatus nunc abeo hinc, bene agitur pro noxia.

PE. *Quid si id non faxis?* PV. *ut vivam semper intestabilis.*

Mæchis virum exsectum collo per ludibrium suspendebant. *Plaut. ibid.*

Quin jamdudum gestio macho hoc abdomen adimere,

Vt faciam quasi puero in collo pendeant crepundia.

Hæc de marium exsectione. In feminis duæ quasi εὐνουχισμοῦ rationes; Una est νυμφοτομία. Nam in locis muliebribus, aliquando νύμφη ultra modum, καὶ εἰς ἀπρέπειαν αἰσχύνης protuberat, eaque etiam parte mulieres ὀρθιάζουσιν ἀνδράσιν, ὁμοίως καὶ πρὸς συνουσίαν ὁρμῶσι. Huic vitio sectione remedium; Vide *Æginet. Lib.* 6. *Cap.* 80. Altera est μαστοτομία. Sic Amazones viriles videbantur, & apud *Arnobium*, ut Atys se viro, sic ejus amica mammarum honestate sese privavit: uterque scilicet inguina sibi demessuit. Nam papillæ inguen dicitur. *Lucilius*:

Inguen ne existat papulæ, tamen ne boa noxit.

Sueton. Tiler. Cap. 44. *Nondum lacte depulsos inguini, ceu papillæ admoveret.* Inguen stantis papillæ ἀκρομάδιον. Inguina papillarũ exstantia habere, ὑπερμαζῶν, τοὺς μεγάλους μαστοὺς ἔχειν. Vela, & fasciæ, quibus extumidæ opprimuntur papillæ, σπαθονίσματα μαστῶν: spadonatus mammarum in *Epigr. Vid. Sud. Rigalt.*

Super] Præter, *Virgil.* 10. *Æneid.*

Advolat Æneas vaginaque eripit ensem

Et super hæc, ubi nunc Mezentius acer. ———

Liv. Lib. 28. *Super morbum etiam fames afflixit. Scheffer.*

Dicta] Jocos; ita supra *Lib.* 2. *Prol.* Adde *Ovid. Fast.* 3. *Vers.* 695. & ibi Ampliss. *N. Heinsium. Scheffer.*

Petulans jurgium] Jurgia petulans ille nebulo qualia ingerere potuerit, disce ex *Luciano* in Εὐνούχῳ. Jurgiis contumeliisque obnoxios docet esse Eunuchos *Xenoph. Lib.* 7. *Cyropæd. sub. fin.* Ἄδοξοι ὄντες οἱ εὐνοῦχοι παρὰ τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις καὶ διὰ τοῦτο δεσπότου ἐπικούρου δέονται. *Nevel.*

Damnum insectatus est] *Martial. Lib.* 9. *Epigr.* 7.

Virilitatis damna mæret erepta.

Juvenal. Sat. 12.

——— *Cupiens evadere damno.*

Testiculorum. ———

Rigalt. Sic *Cic.* 2. *ad Brut. Epist.* 17. *Desinant gloriando insectari dolores nostros.* Est autem *Insectari*, per cavillationem traducere, quavis obvia captata occasione. *Scheffer.* Sic *Insectari calumniosis criminibus innocentes*, *l.* 6. §. *ne potentiores. ff. de Offic. Præs.* Vel etiam *Famam alienam libello, dato principi vel alij*, *l.* 15. §. *si quis libello. ff. de injur.* L.

Amissi corporis] Sic *Ulpian. l.* 4. *ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Amittere virilitatem.* Amissa dicuntur ea, quæ corrupta alicui relinquuntur, scissa forte, vel fracta. *Ulpian. l.* 4. *ff. de vi bon. rapt. Rigalt.*

Corporis] Pari significatione dixit *Petronius*: *Curavi diligentius noxiosissimum corpus. Rigalt.*

En, ait, hoc unum est, cur laborem validius,
Integritatis testes quia desunt mihi.
Sed quid fortunæ, stulte, delictum arguis?
Id demum est homini turpe, quod meruit pati.

Laborem

Laborem] Nep. *in Vita Pelop. Cap.* 3. *Magiſtratum ne quærere quidem de tanta re laborvit. Scheffer.*

Integritatis teſtes] Ancipiti ſenſu hæc intelligenda, & ſedulo legendus *Xenophon Lib.* 8. Κυρ. παιδ. Teſtes, μάρτυρες, item ὄρχεις, δίδυμοι ἐμπηγὲν ζεύγ. ἐμπίεσθαι χρεμῶμενον *Lucian. Amorib. Rigalt.* Integritatis, ἀρρενότητος, adeundus *Scaliger.* ἐθαυμάσθ., *ad Pallica.* Ceterū teſtes vulgo dicuntur, per honeſtam ἔλλειψιν; perpetuo enim intelligendum, *integritatis*, aut *virilitatis*: uſum hujus vocis retinuit ſermo noſter: dicimus enim equum integrum, qui non ſit ἐκτομίας. *Fab.* Atque hos integritatis teſtes, etiam ſimpliciter *Virilitatem* appellari conſtat. *Paul. Lib.* 3. *Sentent. Tit.* 9. *Pudorem virilitatis* dixit. Et *Tac. Lib.* 5. *Annal. Proximus huic Abdus adempta virilitatis. Hirc. Lib.* 1. *de Bell. Alexandrin. Neque exectis virilitatem reſtituere poſſe, quod quidem ſupplicium gravius morte cives Romani ſubiiſſent Plin. Lib.* 35. *Cap.* 12. Galli *Samia teſta virilitatem ſibi amputant. Quintil. Declam.* 340. *Mango iratus*, ait, *illi fortaſſe pretium exciſa virilitate producet.* Et *Inſt. Orat. Lib.* 5. *Cap.* 13. *Non alio medius fidius modo docentium, quam pro mancipiorum negotiatores formæ puerorum exciſa virilitate lenocinantur. Apul. Lib.* 8. *Aſin. Aur. Fuga deteſtabilem illum exectorem virilitatis meæ relinquentem.* L.

Sed quid] Non puto hæc verba eſſe loquentis Eunuchi, ſed auctoris noſtri, uſum fabulæ hæc epicriſi depromentis. *Scheffer.*

Fortunæ, ſtulte,] Idem ille apud *Plaut. Capt. Act.* 3. *Sc.* 4.

Pergin' ſervum me exprobrare eſſe, id
quod vi hoſtili obtigit.

Nevel.

Quod meruit pati] Sic *Ovidius*:

Quæ venit ex merito pœna, dolenda venit.

Nulla autem calamitas, aut deformitas corporis cuiquam probro dari debet, ſi animi vitia abſint; ſit neque formæ elegantia in laude ponenda eſt, ſi abſit animi probitas. *Plutarchus* cauſam inquirens, cur apud *Homerum*, & Venus Vulcano, quamvis blandiens, claudicationem tamen tribuat, & contra Hector Paridi convicium licet faciens, nihilominus eum his compellet verbis: Δύσπαρι εἰδ. ἄρεσσι: *Plutarchus* ergo hæc ſcribit: οὐ τοὺς ὄμμασι καταγελᾶ τῶν αἰσχυνομένων ἐπὶ χωλότησιν, ἢ τυφλότησιν, ἢ ψιττὸν ἡγεμονεύ. Τὸ μὴ αἰσχρὸν, ἢ αἰσχρὸν τὸ μὴ δι' ἡμᾶς ἀλλ' ἀπὸ τύχης γινόμενον. Qui locus valde huc pertinet. Vide & *Muret. Lib.* 11. *Var. lect. Cap.* 10. *Rittersh.* Sic & *Plutarch. de audiend. Poët.* Καθάπερ γὰρ οἱ παίπαλα μασιγοῦντες ἐχ' ἅπτονται τοῦ σώματος, οὕτως οἱ δυσχερείας πινὰς ἢ δυσγενείας ὀνειδίζοντες, εἰς τὰ ἐκτὸς ἐκπίπτουσι καιρῶν, καὶ ἀνοήτως, τῆς ψυχῆ δ' ἀ διγλαίνειν. *Nevel.*

FABULA DUODECIMA.

Pullus ad Margaritam.

IN ſterquilinio Pullus gallinaceus
Dum quærit eſcam, Margaritam reperit.
Jaces indigno quanta res, inquit, loco;
Hoc ſi quis pretii cupidus vidiſſet tui,
Olim reciſſes ad ſplendorem maximum.

Pullus ad Margaritam] *Fo: Camerarius Pag.* 172. *Rigalt.*

In ſterquilinio] Quod ſcilicet acervus eſſet, nam id diſtinguunt ICti. ab eo quod in ſtabulis jacet, item quod vendendi, ab eo quod ſtercorandi agri cauſa comparatum eſſet *l.* 17. § 2. *ff. de act. empt.* In talibus vero ſterquiliniis, quæ acervi ſunt, pullos gallinaceos, & gallinas eſcam quærere, ignotum non eſt. L.

Margaritam] Margaritas, & Margarita promiſcuo genere ICti. dicunt, & à Gemmis, & Lapillis ſeparant *l.* 25. §. *ult. ff. de aur. & arg. leg. l.* 2. §. *cum in eadem. ff. de Lege Rhod. l. ult.* §. *ſpecies. ff. de Publican.* Eaſque *nec Gemmis, nec Lapillis contineri Sabinus ait, quia Conchæ. Apud Rubrum mare & creſcit, & coaleſcit l.* 19. §. *Gemmæ. ff. de aur. & arg. leg.* At *Servius in* 1. *Æneid. Gemmas à Margaritis*, eo ſeparari ait, quod *illæ diverſi coloris, hæ, albæ: vel, quod illæ integræ, hæ, pertuſæ. Zonaras Tom.* 3. *in Baſil. Porphyrogen.* Λιθῶν πολυτίμων, τῶν τε ἄλλων, καὶ τῶν λευκῶν, οἷς ἰδιάζουσα κλῆσις ὁ Μάργαρος, κιβώτια. Concha autem quam *Ulpian. in dict.* §. *Gemmæ.* Prædicat, Margaritarum parens eſt.

est. Unde *Plin. Lib. 32. Cap. 11. Concharum*, ait, *genera, in quibus Margariti feræ.* Et *Tertull. in Lib. de Hab. Muliebr. Sed si quid*, inquit, *de Mari Britannico, aut Indico, ambitio pascatur: Conchæ genus est, non dico Conchylio aut ostreo, sed nec peloride gratius de sapore. Ad hoc enim Conchas noverim Maris poma. Quod si Concha illa aliquid intrinsecus pustulat, vitium ejus magis debet esse quam gloria. Et licet Margaritum vocetur, non aliud tamen intelligendum, quam Conchæ illius aliqua dura, & rotunda verruca.* Item *Sosipat. Lib. 1. Non enim ipsa caro, quæ Concha prægnans est, Margaritum est, sed dicitur illi inesse calculus hic, quem nos Margaritum vocamus.* Et quod illi, *Concham*, cum *Plin. Lib. 9. Cap. 32.* Alii *Ostreum* vocant. *B. Ambros. Lib. 7. Hexaemer. Cap. 11. Unde etiam ostreis pretiosissimum Margaritum natura infixerit; quomodo eam maris aqua in tam molli carne solidaverit. Philostrat. Lib. 3. de Vita Apollon.*, ἁλίσκεται δὲ καὶ λίθος, ἐκεῖ Μάργαρις, ἐν ὀστράκῳ λευκῷ. καρδίας τρόπον ἔχουσα τῷ ὀστρέῳ. Et quidem apud Rubrum mare crescere ejusmodi Conchas *Ulpianus* scribit; hinc *Propert. Lib. 1. Elegiar.*

Et legitur Rubris Gemma sub æquoribus.

Et *Lucan. Lib. 6.*

——— innataque Rubris
Æquoribus custos pretiosæ vipera Conchæ.

Idem *Lib. 10.* de Cleopatra:

Plena Maris Rubri spoliis.

Clariorem utique unionem is Rubro Mari reperiri: Indicum vero, licet magnitudine præcellentem, specularum lapidum squamas assimulare *Plinius* tradit. Margaritarum autem non unum genus est. Etenim in libris nostris, *Uniones, Tympana*, & *Elenchi* memorantur. *Paulus* in *l. 32. §. ult. ff. de aur. & arg. leg. In aures, in quibus duæ Margaritæ Elenchi*, & paulo post: *Ornamenta mamillarum ex Tympanis Margaritis*: quorum verborum differentias aperit *Plin. Lib. 9. Cap. 35. Conchas*, inquiens, *etiam captas, multo obrutas sale in vasis fictilibus, erosa carne omni, nucleos quosdam corporum, hoc est, uniones decidere in ima. Dos omnis in candore, magnitudine, orbe, levore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti: unde nomen unionum Romanæ scilicet imposuere delitiæ. Nam id apud Græcos, non est, ne apud Barbaros quidem, inventores ejus, aliud, quam Margaritæ.* Et in extremo ejus capitis: *Cum Ælius Stylo, Jugurthino bello, Unionum nomen impositum maxime grandibus Margaritis prodat.* Et *Solin. in Polyhystor. Cap. 54.* De Margaritis loquens: *Nunquam duo simul reperiuntur: unde & Unionibus nomen.* Item *Isidor. Lib 16. Orig. Cap. 10. de Margarit. Ex quibus Margaritis, quædam Uniones vocantur; aptum nomen habentes, quod tantum unus, nunquam duo vel plures simul reperiantur.* Margaritas rudes dixit *Ulpian.* in *d. l. 25. §. Margarita ff. de aur. & arg. leg.* Sive in nulla adhuc opera (ut *Arnobius* loquitur) conjectas: sive quod *Sani Concharum partus*, ut *Plinius* tradit, *multiplici constant cute: non improprie callum ut existimari corporis possit: itaque & purgantur à peritis.* Perforatas autem fuisse Margaritas, ut pertusis in linea uterentur. *Ulpianus* indicat in *l. 27. §. si cum maritus. ff. ad leg. Aquil.* Cum ait: *Cum maritus uxori Margaritas extricatas dedisset in usu, eaque invito, vel inscio viro perforasset, ut pertusis in linea uteretur.* Unde *Line: Margaritorum triginta quinque l. 26. ff. ad leg. Falcid.* L.

Redisses] Facta esses splendida, ut, olim, quæ nunc fimo conspurcata jaces tanto tempore. *Scheffer.*

Ad splendorem maximum] Nimirum si in mundo, cultuque muliebri fuisset: nam circa Margaritas ardebat insana mulierum superbia. Imo puellularum infantiam pertusa aurium lamina scupuloso oneri ferendo præparabant: unde gravis apud *Tertullianum* querela, *Lib. de cultu fæm. Scrupulosa Deus auribus vulnera intulit, & tanti habuit vexationem operis sui, & cruciatus infantiæ tunc primum dolentis, ut ex illis jam ferruminati corporis cicatricibus grana nescio quæ penderent?* Grana vocat scrupulos, sive lapillos, quales Elenchos mulierculæ Romanæ appellitabant, magnitudine præcellentes. Glossæ Veteres: *Uniones*, Μαργαρίται μεγάλοι, μονόκοκκοι. Item: Μαργαρίται μεγάλοι, Margaritæ Elenchi. *Juvenal. Sat. 6.*

Auribus extensis magnos commisit Elenchos.

Plin. Lib. 10. Cap. 35. Procerioribus sua gratia est; Elenchos appellant fastigiata longitudine alabastrarum figura in pleniorem orbem desinentes. Petron. Sat.

Quo Margarita cara tribacca Indica
An, ut matrona onerata falcris pelagiis
Tollat pedes indomita in strato extraneo?

Uniones, & Margaritæ, Elenchi: puta, quia erant quasi indices, tituli, & quædam veluti signa propter proceram, & indicis instar subjectam figuram, unde & mulieres Romanæ dicebant; *Lictorem feminæ in publico unionem esse. Plin. ibid.* Fallitur autem *Stephanus*, qui Elenchum, indicem Latine recte dici negat. 6. 1. 9. *Admonit. de abus. Ling. Grac. Rigalt.* De Tympanis vero ita *Plinius* loco supra allegato: *Quibus una tantum est facies, & ab ea rotunditas, aversis planities, ob id Tympana nominantur.* L.

Ego qui te inveni, potior cui multo est cibus,
Nec tibi prodesse, nec mihi quicquam potes.
Hoc illis narro, qui me non intellegunt.

Potior] Melior, utilior; ut apud *Cicer. Mors potior servitute. Scheffer.*

Potes] Elliptice, integre sic debuisset: nec ego prodesse possum tibi, nec tu prodesse mihi potes, atque ita solet; vide infra, *Fab. seq. Scheffer.*

Qui me non intellegunt] Hæc Orthographia in libris M S S. Constanter servatur. Ut autem in hac Fabula pullus Margaritam spernit, eique granum tritici anteponit; ita *Heraclitus* dicebat, asinum paleas auro præferre. Ὄνον σύρματα ἂν ἑλέσθαι φησὶν Ἡράκλειτος, μᾶλλον ἢ χρυσὸν ἥδιον γὰρ χρυσοῦ τροφὴ ὄνοις. Ut est apud *Aristotelem lib. 10. Ethic. Cap. 5.* Nec multum absimilis est sententia versus veteris, à *Clemente Alexandrino* relati:

Ὀχοῖρος ἥδεται κόπροις, καὶ βορβόρῳ.

Id est:

Suis voluptas in luto, atque stercore est.

Sic nimirum trahit sua quemque voluptas. *Rittersh.*

FABULA

FABULA DECIMA TERTIA.

Apes, & Fuci, Vespa Judice.

APes in alta quercu fecerant favos,
Hos Fuci inertes esse dicebant suos.

F*Avos*] Apum domus, & cellulæ, à fovendo *Favi* dicuntur, quod in his sobolem suum foveant, & ceram infundant. Unde *Virgil. Lib. 4. Georgic.*

Prima favis ponunt fundamina deinde tenaces
Suspendunt ceras. ———

Atque in iis tanquam receptaculis continuo congregantur. *Cic. Lib. 1. de Offic. Apum examina non fingendorum favorum causa congregantur, sed cum congregabilia natura sint, fingunt favos.* L.

Fuci inertes] *Io. Tzetzes Hist. Chiliad. 1. 8.*

Κηφῆνες ζῶα σὺν τροφα τῶν μελισσῶν τῷ γένει.

Μελισσαῖς ἠπουργεῖ, ταύταις ὑδροφοροῦντα

Μέλι δὲ οὐκ ἐργάζεται ———

Idem:

πόνους μελισσῶν τρυχόντας, καὶ καμάτους.

Phyle, περὶ ἀργῶν μελισσῶν:

Ἀργὸν δὲ ταύταις ἄλλο συμβιοῦν γένος.

Ἐφίπταται μὲν τῇ κλιδῇ τῶν ἀνθέων,

Ἀδύνατόν ἐστι δὲ καὶ γλυκὺ πλάττειν μέλι.

Συναίρεται δὲ ἦν ἐξ ἀμίσθου φροντίδος

Τῇ τῶν φιλεργῶν πανταχῇ περιστάσει. &c.

Rigalt. Hi quippe dum fovendos fœtus concalefaciendo adjuvare videntur, consumunt alimenta quæ apes congesserunt, mel tamen ipsi non conficiunt. Unde eleganter usus hujus vocabuli transfertur ad homines ignavos, qui cum nihil egregium per se præstare possint, alienis tamen laboribus insidiantur, falcemque in messem injiciunt, cujus ipsi sementem non fecerint. Fucorum autem naturam optime explicat *Plin. Lib. 2. Cap. 2. Fuci.* inquit, *sunt sine aculeo, imperfectæ apes, novissimæque, à fessis, & jam emeritis inchoatæ, serotinus fœtus, & quasi servitia veterum apum, quamobrem imperant iis, primosque in opera expellunt, tardantes sine clementia puniunt.* Dictique existimantur propterea fuci, quod apibus fucum faciant, & prætextu calefaciendi alvei, eorum melleficia absumant. L.

Lis ad forum deducta est, Vespa judice:
Quæ genus utrumque nosset cum pulcherrime,
Legem duabus hanc proposuit partibus;
Non inconveniens corpus, & par est color,
In dubium plane res ut merito venerit.

Ad forum] Ita *Cicero pro Flacco*: deducere ad judicium, dicit. *Scheffer.* Locutio, est Jurisconsultis propria, sic *Deducere in judicium actionem l. 2. §. non solum. ff. de her. vel act. vend.* Et *Litem in judicium deducere l. 2. §. hoc jure. ff. de except. rei jud. Persona quæ rem in judicium deducere solens l. 4. ff. eod. Ex duobus reis stipulandi, unum judicium petentem, totam rem in judicium deducere fere convenit, l. 31. §. si duo. ff. de novat. Procurator cui mandatum non est, nihil in judicium deducit l. 27. ff. de procurat.* Sic *Deducta in judicium actio l. 37. ff. de noxal. act. l. 2. C. de litigios. Causa, l. ult. C. de ord. judic.* Lis, *l. 31. §. litem. ff. de negot. gest. l. 2. C. de petit. hered. Obligatio l. 90. ff. de verb. oblig. Res, l. 4. §. si detracta, ff. de noxal. act. l. 1. ff. de in lit. jur. l. 6. ff. de procurator Paul.* Lib. 5. *centent. Tit. 5.* Ita *Non deducta in judicium* dicitur *vestis causa*, cum de veste lis antea mota non fuisset *l. 21. pr. ff. de except. rei jud.* Eodemque modo *Potestas judicis non posse excedere ultra id quod in judicium deductum est, l. 18. ff. commun. divid.* Et ita infinitis aliis locis. L.

Nosset cum pulcherrime] Sic *Plautus* sæpius: & idem hic infra; *pulchre tamen intellego*, Et extremo hoc opere: *Hoc Cur Filute scripserim, pulchre vides. Schop.* Adde nostrum infra *Lib. 4. Fab. 20. Scheffer.*

Partibus] Id est, litigantibus, sic vulgo quoque partes usurpantur. *Rittersh.* Sic *Fabius Lib. 7. Cap. 2. Scio apud quosdam esse quæsitum, quomodo inveniremus, utra pars deberet prior dicere. Hinc agere has, aut illas partes,* apud *Ciceronem*, & alios. *Scheffer.* Sic *Pars adversa.* pro adversario, *l. 6. C. de pact. int. empt. & vend. l. 1. C. de his qui accus. non poss. Partis adversæ patronus* apud *Quintilia. Lib. 4. Cap. 1.* Et *Diversa pars* eodem sensu *l. 71. ff. de judic. l. 12. C. de pact. l. 4. & l. 6. C. ad exhib.* Ita *Diversæ partis advocatus, l. 31. ff. de recept. arb. Sueton. in Lib. de Clar. Grammat.* Si *quidem ignotus adhuc cum judicio frequenti testimonium diceret, interrogatus à Varrone diversæ partis advocato, quidnam ageret.* Sic *Utraque pars l. 6. C. depos. Una parte absente l. 40. C. de liber. caus.* Hinc *Partium allegationes l. 3. C. de inutil. stip.* & similia L.

Inconveniens] De similitudine speciei externæ usurpat. *Scheffer.* Et idem est quod incongruens, & indecorum, qua significatione hoc vocabulo usus est ICtus. in *l. 4. ff. de oper. libert.* Alio autem sensu *inconveniens bellico operi* dicitur in *l. 23. de Decurion. in Cod. Theodos.* id est, inhabilis. L.

Plane] Omnino; nihil hic puto mutandum, vult omnino, ac plane fuisse causam justæ dubitationis, propter illam similitudinem. *Scheffer.*

Sed

Sed ne religio peccet imprudens mea,
Alveos accipite, & ceris opus infundite,
Ut ex ſapore mellis, & forma favi,
De quis nunc agitur auctor horum appareat.

Ne religio peccet imprudens mea] Religio mea, id eſt, ego judex. Judici religio tribuitur, propter jusjurandum, quo adſtrictus eſt: juratus enim judicat, *Cicero pro M. Cœlio: Habeo enim, judices, quem vos ſocium veſtræ religionis, juriſque jurandi facile eſſe patiemini, L. Lucium ſanctiſſimum hominem, & gravißimum teſtem.* &c. Nam & teſtes jurati teſtimonium dicunt *l.* 9. *C. de teſtib.* Plurima ad hanc rem, id eſt, ad jusjurandum illud judicum, quæ in jure religio dicitur, loca ex jure civili annotavi ad *Tit. Inſt. de Oblig. quæ ex quaſi delict. naſc. Rittersh.* Vide ſupra *Fab.* 10. *Scheffer.* Proprie enim *Religio* erga Deum eſt *l.* 30. *ff. famil. erciſc. l.* 14. §. 1. *ff. de ſervitut. l.* 21. *ff. de uſufr.* Quem præcipue judicem in judicando ante oculos habere oportet, quippe, *Qui non magis alios judicant, quam ipſi judicantur; cum etiam ipſis magis quam partibus terribile judicium eſt: ſiquidem litigatores ſub hominibus, ipſi autem Deo inſpectore adhibito, cauſas proferunt trutinandas*; quemadmodum eleganter reſcripſerunt Impp. in *l.* 14. *C. de judic.* Atque hinc *Religio judicationis* dicitur in *l.* 6. *C. ſol. matr.* Et *Religio judicantis* apud *Amm. Marcellin. Lib.* 30. *l.* 23. *ff. de teſtib. l.* 13. *ff. qui teſtam. fac. poſſ. Religio judicis. l.* 33. *ff. de re judic. l.* 1. *C. ſi ex fals. alleg. l. ciſi. C. de præd. minor.* Sic *Religionis partem judex implebit l.* 3. *C. arbitr. tut.* Unde *Religio judiaria l.* 4. *C. de teſtib.* Inde *Religio Prætoris* dicitur, *l.* 5. §. *imprimis. ff. de reb. cor. qui ſub tut. vel cur. l.* 6. §. *non ſimpliciter. ff. ſi quis omiſ. cauſ. teſt. l. ult. pr. ff. de ſuſp. tut.* Et *Religio* Præſidis Provinciæ *l.* 6. §. *ne potentiores. ff. de offic. Præſ.* Item: *Ad religionem Præſidis pertinet l.* 2. §. *ult. ff. de vacat. & excuſ. muner.* Sic etiam *Præſidis Provinciæ religioſa conſtantia* appellatur in *l.* 10. *ff. de incend. ruin. nauſr.* L.

Imprudens] Per imprudentiam, ſi minus omnia providero. Sic *Terent. Hecyr. Act.* 5. *Sc.* 4. & alii. *Scheffer.* Judex vero etiam per imprudentiam male judicans litem ſuam facere intelligitur, & periculo litis ſe obſtringere ſolebat; cauſamque ejus ſecundum quem pronunciatum eſſet cogebatur, & quaſi ſuam defendere, ut ex judice reus fiat. Unde *Cic.* 2. *de Orat. Quid ſi cum pro altero dicas, litem tuam facias* &c. Vide *pr. Inſt. De obl. quæ ex quaſi del. ubi Vin. in not.* L.

Opus infundite] Per *Opus*, mel intelligit, ideo ait: *infundite. Scheffer.*

De quîs nunc agitur] Etiam hoc ex formulis antiquis judiciorum depromptum eſſe, facile quivis paulo humanior intellegit. Solebat enim in actionis formula addi: QUA DE RE AGITUR. vel QUO DE AGITUR. Ut vel ex Oratione *Ciceronis pro Murena*, Notum eſt Vide *B. Briſſon. Lib.* 5. *de formul.* ubi alia quatuor loca, pro exemplo è *Cicerone* annotat. *Rittersh.*

Fuci recuſant, Apibus condicio placet.
Tunc illa talem ſuſtulit ſententiam:
Apertum eſt, quis non poſſit, aut quis fecerit.
Quapropter Apibus fructum reſtituto ſuum.
Hanc præteriſſem fabulam ſilentio,
Si pactam Fuci non recuſaſſent fidem.

Condicio] Legem, ſupra dixit. *Scheffer.* Hoc ſenſu ICtus. in *l.* 7. §. 2. *ff. de admin. & per. tut*, dixit, *Bonam conditionem eligere*, & ſic *Conditio horæ*, uſurpatur in *l.* 1. §. 8. *ff. quand. appell.* L.

Illa] Veſpa ſcilicet: nec alio hoc referendum, exigentibus ita ſubſequentibus, & maxime illo, *reſtitue*, quod non habet alias, quo cum cohæreat. *Scheffer.*

Suſtulit ſententiam] Pro *tulit*, compoſitum; pro ſimplici. *Ritterſh.* Non memini nunc quidem, ſic locutum eſſe alium. Ut ut ſit, ita arbitror dictum eſſe, ut Græci dicere ſolent, ἀνεῖλεν de oraculorum reſponſis, quod idem eſt, ac *ſuſtulit*. *Fab.* Cum *ſuſtulit*, pro *tulit* accipimus, recte dixeris etiam ICtis. *Ferre ſententiam*, frequenter, & ſæpius uſurpari, pro dicere, recitare, *l.* 32. §. *ſacerdotio. ff. de recept. arb. l.* 39. *ff. de liber: cauſ. l.* 2. *C. ſi Contra jus, l. ult. C. de in lit. jur.* Sic *Ferre ſententias diverſas l.* 15. *ff. de inoffic. teſt.* Et *Bene latæ ſententiæ l.* 1. *ff. de appellat.* Atque ita *Ferre ſuffragium in curia l.* 8. *ff. de munerib. Ferre teſtationem. l.* 24. *ff. qui teſt. fac. poſſ. Ferre teſtimonium l.* 3. *ff. de teſtib.* Id eſt, dicere ut *l.* 2. *ff. de Senatorib.* L.

Non poſſit] Supple, *facere*, ita *Fab. præced. Nec mihi prodeſſe, nec tibi quicquam potes. Scheffer.*

Fructum] Non ſatis placet hoc vocabulum, mel, non eſt fructus apum, ſed opus: & diſerte ſupra ſic vocavit; ſcribo igitur, *favum*, de eo quippe lis erat. *Scheffer.* Nihil muto; fructus enim hominis in operis conſiſtere dicuntur *l.* 4. *ff. de oper. ſerv.* ita ut mel, apum opera, & labore confectum, non invenuſte à *Phædro* etiam eorum fructus vocetur. L.

FABULA

FABULA DECIMA QUARTA.

De Luſu, & Severitate.

PUerorum in turba quidam ludentem Atticus Æſopum nucibus cum vidiſſet, reſtitit,

Quidam Atticus] Id eſt, Athenienſis quidam: ſic autem loquebantur de ignotis. *Cornel. Nep. Pauſan. Cap. 4. Interim Argilius quidam adoleſcentulus.* Noſter ſupra *Lib. 2. Fab. 2. Ætatis mediæ quædam. Scheffer.*

Ludentem Æſopum] *Julianus Imper. Cæſaribus: Ἐγὼ δὲ ἅμιλλαν τὴν παιδικὴν, ἀνεσίντα εἶναι τὰς ψυχὰς, καὶ ἀναπαυσιν τῶν φροντίδων. Rigat.*

Nucibus] Nota res eſt, pueros luſitaſſe nucibus. Vide *Eraſmum*, in explicatione proverbii Perſiani: *Nuces relinquere: Chil. 1. Cent. 5. Proverb.* 35. Deinde quam multi clariſſimi viri ad luſus cum pueris, quos caros habebant, ſeſe demiſerint, vide apud *Petrum Fabrum in Præf. Agoniſtici.* Valde ſuaviter *Symmachus Lib. 4. Epiſt. 20. Repuerascere*, inquit, *nos pietas jubet, ut literarum dulcedinem liberis noſtris labor participatus inſinuet.* Vide & *Auſonium Protreptico ad Nepotem.* Eſt autem hic obſervandum elegans exemplum Chriæ dramaticæ, vel pragmaticæ: cui ſimilis eſt illa *Lycurgi* producentis in forum duos canes, ut civibus ſuis demonſtraret, quantam vim haberet educatio in utramque partem. *Rittersh.* Vide & *Caſaub. ad Perſ. p. 51. Scheffer.*

Reſtitit] Subſtitit, ut ſolent admirantes rem inſolitã. *Ovid. 6. Metamorph. verſ. 326. Reſtitit, & pavido, ſaveas mihi, murmure dixit.*

Scheffer. Ita *Terent. Eunuch. Act. 2. Sc. 3. Heus! heus! tibi dico, Chærea, inquit, reſtiti.*

L. *Et*

Et quaſi delirum riſit: quod ſenſit ſimul
Deriſor potius, quam deridendus Senex,
Arcum retenſum poſuit in media via:
Heus, inquit, ſapiens, expedi quod fecerim.

Delirum] Stultum, inſanum, mente captum. *Horat. Lib.2. Serm. Sat.3.*

——— *delirus & amens.*

Et *Lib.2. Epiſt.2.*

Prætulerim ſcriptor delirus, inerſque videri.

Proprie autem de ſenibus dicitur, uti hic, & apud *Cic. de Orat. Tum*, inquit, *Annibal reſpondiſſe fertur, multos ſe deliros ſenes vidiſſe; ſed qui magis deliraret quam Phormio vidiſſe neminem.* Et *Lib.2. de Divin. An tu cenſes ullam anum tam deliram futuram fuiſſe, ut ſomnia crederet?* Sic *Horat. Serm. Lib.2. Sat.5.*

Libertuſve ſenem delirum temperet.—— Atque hinc *Cic. de Senect. Iſta ſimilis ſtultitia*, ait, *(quæ deliratio appellari ſolet) ſenum levium eſt, non omnium.* Ubi congrue admodum in hanc Phædri ſententiam, deliratio ſenum ſtultitia appellatur. L.

Reſit] Deriſit, irriſit, quod ſupra *Lib.1. Fab.29.* L.

Simul] Pro ſimulac: ut infra, *Fab.16. Lib.4. Fab.5. & Fab.13. Lib.5. Fab.5. & Fab.7.* Exemplo *Ciceronis, Heratii*, aliorum. Ita & ſupra *Fab.10. Lucerna allata ſimul aſpexit filium. Scheffer.*

Deriſor potius, quam deridendus Senex] Sic ſupra *Fab.3. Naris emunctæ Senex, natura nunquam verba cui potuit dare.* Deriſor, eſt εἴρων, qualis & *Socrates* fuit. *Rittersh.*

Retenſum] Proprie de arcu, cui demptus eſt nervus; ejus oppoſitum, *Intenſus arcus*, vel, *Intentus*, ut eſt apud *Curtium*, de eo cui additus eſt nervus. Qui tamen differt plurimum ab eo, qui cum telo intenditur ad ictum, quod intelligunt, qui retenſos arcus viderunt. *Ovid.2. Metamorph. Fab.6.*

Exuit hic humero pharetram, lentoſque retendit.
Arcus, inque ſolo, quod texerat herba, jacebat.

Scheffer.

Media via] Sicut ſupra, *Lib.2. Fab.4. In media quercu. Scheffer.*

Sapiens] Philoſophe, per ironiam. *Rittersh.* Quia præceſſerat: *Quaſi delirum riſit*: Æſopum ſcilicet: deſumpſiſſe ex *Terentio* videtur: nam & apud ipſum in *Phorm. Act.2. Sc.3.* Ad hunc modum Phormio, cum dixiſſet Demipho: *Filium narrat mihi, cujus de ſtultitia dici, ut dignum eſt, non poteſt*; ſubjicit: *at tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi*, &c. *Scheffer.*

Expedi] Id eſt, expone, quid ſcilicet innuam hoc facto; ita ſolent de obſcuris, explicatuque difficilibus. Vide *Cicer. 5. de finib.* & alibi. *Scheffer.* Ita apud ICtum. in *l.20. ff. de excuſat. Expedire litem de hereditate* dicitur. Item *Expediri bis inter litigantes l.62. ff. de judic.* Et *Expidiendarum litium remedium l.1. ff. de jurejur.* Inde tranſlata ſignificatione, *Expedire nomina* dixit *Cic. Lib.16. Epiſt. ad Attic.* Id eſt, ſolvere æs alienum. Quo in genere loquendi poſitus eſt elegans ille jocus in Valerium Catonem, ſummum Grammaticum, qui creditori ſatisfacere non poterat, æriſque alieni diſſolvendi copiam non habebat, in quem Bibaculus, ut *Sueton. Lib. de Illuſtr. Grammat.* Refert, luſit his verſibus:

Miratiſſimus unicum magiſtrum
Summum Grammaticum, optimum Poëtam,
Omnes ſolvere poſſe quæſtiones:
Unum difficile expedire nomen.

L.

Concurrit populus. Ille ſe torquet diu,
Nec quæſtionis poſitæ cauſam intelligit.
Noviſſime ſuccumbit. Tum victor Æſopus.

Concur-

Concurrit] Studium videndi, audiendique donotat. *Scheffer.*

Torquet] Optime de iis, qui multo, sed infelici labore in re difficili versantur. *Cic. de Orat. Verbi controversia jamdiu torquet Græculos homines.* Sed hic absolute ponitur, quod notandum. *Scheffer.*

Positæ] Proprie: talia enim dicebantur *Poni*, *Cic. Tusc.* 1. *Ponere jubebam, de quo quis audire vellet. Sen. Cap.* 49. *Sederem otiosus, & ejusmodi quæstiunculas ponens. Scheffer.* Et idem est quasi dixisset propositæ, usurpatum etiam illa significatione hoc vocabulum in jure reperies, cum fingere, & quod barbare dicunt, *Ponere casum*, exprimunt *l.* 12. §. *si quis. ff. de bon. libert. l.* 1. §. *inter. ff. de conjung. cum emanc. lib. l.* 14. §. *idem Labeo. ff. de religios.* Ut *Si ponas l.* 23. *ff. de inoffic. test l.* 60. *ff. de condict. indeb. l. ult. ff. de Castr. pec.* Et *Posueris l.* 32. §. *ult. ff. de excusat.* Sic *Ponamus l.* 5. §. *domum. ff. de injur. l.* 82. *ff. de legat.* 1. *Si ponamus l.* 71. §. *si ponamus. ff. de fidejussor. l.* 19. *ff. ad Sc. Vellej.* Simpliciter. L.

Novissime succumbit] Ultimo tandem. *Succumbit* absolute, pro superatur, velut in certamine, dum causam dicere non potest. *Scheffer.*

Victor Æsopus] Imo victus erat Æsopus, *Phædre*; nam profecto non est virile, recreare se inter pueros. Non ludus ad oblectationem inhonestus erat, sed hic modus, scilicet ut *Poëta*, inquit:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

At video *Agesilai* regis illustre exemplum, & hoc objicies, ut tueri te possis; sed etiam hic frustra es: non illic cum pueris ludebat vir, sed cum liberis pater. Vides quam hæc longe alia ratio sit. *Meurs.* Victor autem dicitur, quia quod ipse posuerat, alter interpretari non poterat. *Meursii* objectiones nostrum non feriunt, id quod & *Phraseim* recte observat. *Scheffer.*

Cito rumpes arcum, semper si tensum habueris.
At si laxaris, cum voles, erit utilis.
Sic lusus animo debet aliquando dari,
Ad cogitandum melior ut redeat tibi.

Citorumpes arcum] *Apulejus Miles.* 1. *Arcum meum & ipse vigor attendit, & oppido formido, ne nervus rigoris nimietate rumpatur. Rigalt.* Nisi me fallit memoria, etiam Amasis Ægypti rex, eodem se argumento excusavit, cum nimiæ remissionis argueretur à suis. Vide *Erasmum* in proverbio: *Arcus tensus rumpitur. Chil.* 4. *Cent.* 5. *Adag.* 77. Comparationem aliam arcus cum animo humano facit Mimus apud *Senecam* relatus:

Arcum intensio frangit, animum remissio.

Ubi intelligenda est nimia animi remissio, & ignavia. *Rittersh.*

Erit utilis] Eo uti poteris. Sic illud *Utilis*, ponit infra *Lib.* 4. *Fab.* 4. & *Fab.* 25. *Plauto*, & *Terentio* est *Utibilis. Scheffer.*

Dari] Dare animo lusum, est sic dictum, ut dare populo spectaculum. *Plaut. Stich. Prol. Sticholudus datur.* Vide supra, *in Prol. Scheffer.*

Ad cogitandum] *Sen. Lib.* 1. *Declam. Prolog. Omnibus quidem prodest subjectum animum relaxare; excitatur enim otio vigor, & omnis tristitia, quæ continuatione pertinacis studii adducitur, feriarum hilaritate discutitur. Novel.* Unde *Horat. Carm. Lib.* 2. *Ode* 10.

——quondam Citharæ tacentem
Suscitat Musam, neque semper arcum
Tendit Apollo.

Ac propterea Achillem inter arma etiam Citharæ se oblectasse legimus. Dixit etiam noster supra in *Prol. ad Eutych.*

Animum relaxes, otium des corpori.

Sed de hac relaxatione nec exempla, nec quæ de ea apud varios auctores extant jam corrado. L.

Melior]

Melior] Bonus ad cogitandum, eſt, facilis, promptus, aptus, utilis, imitatione Græca, de qua egimus in *Indice Ælliani*. Quanquam & Latini ſic loquantur. *Liv. Lib.* 30. *Cap.* 1. *Bello quoque bonus habitus ad cetera. Scheffer.*

Redeat] Velut de expulſo per multiplices labores loquitur Ita *Curt. Lib.* 3. *Cap.* 5. *Paulatim redeunte animo circumſtantes agnoverat.* De eo quem vis morbi ejecerat *Tac. Hiſt. Agr. Cap.* 3. *Nec dum redit animus.* De eo quem metus expulerat, vide ſupra. *Scheffer.*

FABULA

FABULA DECIMA QUINTA.

Canis ad Agnum.



INter capellas Agno balanti Canis,
Stulte, inquit, erras, non eſt hæc mater tua:
Oveſque ſegregatas oſtendit procul.

Inter capellas] Videndus *Ælianus*, περὶ ζώων ἰδιοτ. 5. *Cap.* 25. *de Perdicibus. Caſſiodor. Var.* 11. *Cap.* 14. *Rigalt.*

Stulte] Objurgantis eſt. *Scheffer.*

Erras] Proprie & eleganter quemadmodum nos belgice diceremus: ghy zijt verdoolt: atque ita hic vocabulum hoc quaſi vagari, vel aberrare à via uſurpatur. Sic *Tibull. lib.* 4.

Qui miſer in campis mœrens errabat Aleis,
At non per dubias errant mea carmina laudes.

Et apud eundem ibidem:

Ille per ignotas audax erraverit urbes.

Ita *Sen. de Tranquil. Cap.* 12. *Poſtero die erraturi per eadem illa veſtigia.* De vaga ardelionum diſcurſatione loquitur, quale genus hominum deſcripſit noſter ſupra *Lib.* 2. *Fab.* 5. Sed quoniam pecudes errando, id eſt, vagando paſcuntur, errare etiam pro paſcere ponitur, ut apud *Virgil.* 3. *Eclog.*

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Et *Horat. Epod. Ode* 2.

Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges.

L.

Segregatas] Ab hac grege capellarum ſejunctas, proprie. *Scheffer.*

Non

Non illam quæro, quæ cum lubitum eſt, concipit,
Dein portat onus ignotum certis menſibus,
Noviſſime prolapſam effundit ſarcinam:
Verum illam, quæ me nutrit admoto ubere,
Fraudatque natos lacte, ne deſit mihi.

Portat onus ignotum] Supra *Lib.* 1. *Fab.* 18.

Onus naturæ melius quo deponeret.

Gell. Lib. 12. *Cap.* 1. *Ne æquor illud ventris irrugetur, ac de gravitate oneris, & labore partus fatiſcat. Ovid. Lib.* 2. *Amor. Eleg.* 13.

Dum labefactat onus gravidi temeraria ventris.

In dubio vitæ laſſa Corinna jacet.

Ennod. Panegyr. Theodor. Oneratæ fœtibus matres inter familias tuas, oblitæ ſexus, & ponderis, parandi victus cura laborabant. Pſyche Mileſ. 5. *Creſcentes dies, & menſes anxia numerat; & ſarcinæ neſcia rudimenta miratur. Arnob. Lib.* 3. *Nomen virginitatis exponere, & genitricum pondera ſuſtinere.* Idem *Lib.* 3. *Gliſcentibus per dies alvis, inteſtini ponderis moroſitate cunctari.* Sic *Matrum pondera Siden. Lib.* 4. *Epiſt.* 20. Vide *Tertull. Lib. de carne Chriſti Cap.* 4. *Rigalt.*

Ignotum] Reconditum, nec unquam adhuc viſum. Num potius ſic vocat, ex ignoto, ac temere conceptum. *Scheffer.*

Prolapſam effundit ſarcinam] Cadendi, & labendi verbis de partione uti Latinos æque, ac Græcos Poëtas, ad *Oppianum* docui. Puto autem & *Tryphoninum ICtum* uſurpaſſe verbum excidere, cum de Arreſcuſa ancilla agit, ſub hac conditione manumiſſa: ſi tres pepererit: *L.* 15. *ff. de ſtat. hom. Nec enim*, inquit, *natura permiſit, ſimul uno impetu duos infantes de utero matris excidere, ut ordine naſcentium incerto non appareat.* &c. Ubi tamen vulgati, libri omnes habent *excedere*: Sed videndum, ne ſit ἐμφανικώτερον *excidere*: Quod *Tryphoninum* ſcripſiſſe autumo. Profundendi verbo in hac notione uſus eſt *Tertullian. Lib. de carne Chriſti: Horret utique & infantem, cum ſuis impedimentis profuſum, utique & oblitum*: Ibidem paulo ante malim: *Verum indies inoleſcentem*: Ubi vulgo: *Inſoleſcentem*; Inoleſcere, eſt creſcere, & augeri, at inſoleſcere ſuperbire. *Juvenalis* quoque de Meſſalinæ partu effundendi verbo uſus eſt:

——— *patruæ ſimiles effunderet offas.*

Rittersh. Verba hæc plerumque de partu, maxime inauſpicato, & immaturo fœtu uſurpantur. *Ovid. in Ibin:*

Qui ſimul impuræ matris prolapſus ab alvo eſt.

Quanquam hic agnus ad matris negligentiam ſuamque infelicitatem potius reſpiciat. *Scheffer.*

Admoto] Præbito, porrecto, *Flor. Lib.* 1. *Cap.* 1. *Uber admovit infantibus. Scheffer.*

Fraudatque] Subducit eis aliquid, privat eos lacte; ita *Plautus* & alii, vide infra *Lib.* 4. *Fab.* 19. *Scheffer.*

Tamen illa eſt potior, quæ te peperit. Non ita eſt.
Unde illa ſcivit, niger an albus naſcerer,
Age porro, ſciſſet, cum crearer maſculus,
Beneficium magnum ſane natali dedit,
Ut exſpectarem lanium in horas ſingulas.

Potior]

Potior] Juris reſpectu, vult enim plus deberi iis, à quibus naſcimur, quam à quibus alimur. *Curt. Lib.* 4. *Cap.* 1. *Statuunt neminem eſſe potiorem, quam Abdolonymum quendam. Scheffer.*

Non ita eſt] Verba agni, refutantis ſententiam canis. *Scheffer.*

Niger an albus naſcerer] Ex Proverbio: *Albus, an ater ſis neſcio.* Utitur eo & *Cicero Philip.* 2. & *Apulejus in Apologia.* & *Catullus in Cæſarem*, & *B. Hieronymus in Helvidium.* Vide *Eraſm. Chil.* 1. *Cent.* 6. *Adag.* 99. Ad hanc formam *Plautinum* illud dictum eſt: *Nullius coloris aliquem noſſe Rittersh. Catulli* imitatio, unde illud de Cæſare: *Nolle ſe ſcire, albus an ater homo eſſet. Fab.* Vult autem ſtatim à partu deſeruiſſe, ac ne reſpexiſſe quidem. *Scheffer.*

Age porro] Formula eſt adhortantis, per ſe ſubſiſtens, quæ nulla ratione cohæret cum ſequentibus. *Cic. de Invent.* 2. *Age porro, quid, ſi ipſi velint judices adſcribere, paſſurnſne ſit populus?* Adde quæ prolixe notat in *Terentii Chreſtom*, Ampliſſimus *Boeclerus. Scheffer.*

Sciſſet] Eſt conceſſivum, demus, faciamus ſciviſſe, etiamſi ſciviſſet; quid ex eo ad me commodi? *Scheffer.*

Cum crearer] Vult reddere rationem, quare exſpectare in dies laniuni debuerit, ſcilicet, quia creatus eſſet maſculus. Nam hos quidem parare in cibum, feminas autem ad augendam prolem vivas ſervare ſolebant, ſicut hodieque receptum eſt. *Scheffer.*

Beneficium magnum ſane] Ironice. *Rittersh.* Ego puto verba eſſe Canis, interrumpentis ea, quæ dicturus erat Agnus. Quaſi diceret, quid tu vis dicere de ſexu tuo? Quantum eſt beneficium, quod es factus maſculus, non femina? ſequitur mox Agni reſponſio. *Scheffer.*

In horas] Ita *Cicero commutari in horas*, in *Epiſt. ad Attic. Scheffer.*

Cujus poteſtas nulla in gignando fuit,
Cur hac ſit potior, quæ jacentis miſerita eſt,
Dulcemque ſponte præſtat benevolentiam?

Cujus] Rurſum hæc ſunt verba canis, urgentis, non fuiſſe in poteſtate matris, feminam vel maſculum producere. *Scheffer.*

Quæ jacentis] Notat miſerum deſerti à matre agni ſtatum, quaſi diceret, dedit vitam, ſed ut eriperet iterum per crudeliſſimam ſuam negligentiam, dum jacentem me ne reſpicit quidem. Sic τὸ *Iacere*, elegantiſſime uſurpat; *Ovid. Lib.* 15. *Metamorph. Verſ.* 221.

Editus in lucem jacuit ſine viribus infans.

Scheffer.

Dulcemque ſponte] Nimirum è mamma hac ſugendum præbuit. *Clem. Alexandrin. Padag.* 1. Πηγὴ τροφῆς τὸ γάλα· ὧ δὴ καὶ γυνὴ δῆλη πέφυκε ἀληθῶς καὶ μήτηρ. δι' ὃ καὶ φίλτρου ἐννοίας προσλαμβάνει. *Gell. Lib.* 12. *Cap.* 1. *Macrob. Lib.* 5. *Saturnal. Cap.* 11. *Rigalt.* Proprie autem dixit *Dulcem*, quaſi de affectu parentum erga liberos. Sic *Dulciori nomine quam filii, nepotes noſtros appellare non poſſumus. l.* 220. §. *ult. ff. de Verb. Sign.* Et *Dulces liberi* apud *Virgil. Lib.* 3. *Georgic.* Supra quoque *Fab.* 8.

Dulcemque in ambos charitatem partiens.

De liberis loquitur, & *Horat. Epod. Ode* 2.

Quod ſi pudica mulier in partem juvet
Domum atque dulces liberos

Idem *Carm. Lib.* 3. *Ode* 23.

——— *aut dulcis alumni.*

Ad quem locum vetus Interpres: *Alumni*, id eſt, *Nati, quos nutritionis affectio commendat, & dulces facit*, ut *Juvenalis*:

Interea dulces pendent circum oſcula nati.

Valer. Max. Lib. 5. *Cap.* 5. *Chara uxor, dulces liberi jucundi amici.* Ac plane nihil dulcius naturam nobis liberis noſtris reliquiſſe ſcite & eleganter dixit *Cic.* 3. *in Verr.* Ita *Dulciſſima filia mea l.* 32. §. *idem cum. ff. de aur. & arg. leg.* Γλυκυτάτη μᾶ

μοῦ θυγατρὶ. *l.* 34. §. 1. *ff. de legat.* 2. *Curt. Lib.* 5. *Olympiadi dulcissimæ matri. Dulcissima patria l.* 101. *ff. de legat.* 3. *Dulcissimi filij l.* 18. §. *quæ marito. ff. de legat.* 3. *Fratres l.* 78. §. *dulcissimis. ff. de legat.* 2. Et pluribus aliis locis. L.

Sponte] Ultro: sic *Sponte, & nulla necessitate cogente l.* 3. §. 10. *ff. de negat. gest. Spontanea voluntate l.* 2. *C. de pact.* Itaque *Sponte*, & *Coactus* opponuntur *l.* 9. *& l.* 45. *ff. ad Sc. Trebell.* L.

Facit parentes bonitas, non necessitas.
His demonstrare voluit auctor versibus,
Obsistere homines legibus; meritis capi.

Facit parentes bonitas] *D. Ambros.* 1. *de Offic. Illi necessitate diliguntur, quæ non satis idonea, atque diuturna est ad perpetuitatem diligendi magistra. Rigalt.* In hanc sententiam *Terentius* alicubi dixit: *Ego illi consiliis pater sum.* Et simili fere modo ICtus. in *l.* 5. *ff. ad leg. Pomp. de Parricid. Patria potestas in pietate debet, non in atrocitate consistere.* Alias pater in respectu ad filium dicitur qui eum procreavit, sive legitimo matrimonio, sive etiam vulgari coitu. Sed in matrimonio *Pater* is dicitur, *quem nuptiæ demonstrant l.* 5. *ff. de in jus voc. Isidor. Lib.* 9. *Origin. Cap.* 7. *Pater est à quo nascitur initium generis: itaque is paterfamilias vocitatur. Pater autem dictus eo, quod patratione peracta filium procreet. Patratio enim est rei Venereæ consummatio. Lucret.*

Et bene patra patrum. ———

Verum hallucinatur *Isidoris. Lucretio* enim ex cujus *Lib.* 4. hic versus petitus est, nunquam hoc monstrum verbi *Patra* in mentem venit, sed apud eum scriptum est:

Et bene parta patrum fiunt anademata mitræ.

L.

Necessitas] Naturæ scilicet; similiter alicubi *Cicero*; congruit nonnihil cum Fabulæ huius argumento disputatio Phavorini apud *Gellium*, de sobole non tantum parienda à matre, sed etiam lactanda. *Rittersh.* Sane quin respiciat ad necessitatem aliquam edendi conceptum semel partum, nihil ambigo, maxime cum præcedat de effusa sarcina. Nescio tamen quomodo elegantior videatur oppositio, si per *Necessitatem*, hic necessitudinem, & propinquitatem sanguinis intelligamus, quomodo hac voce usus est *Cicero* in *Orat. pro Sylla*, aliisque locis. *Scheffer.*

Obsistere homines legibus] Nam ut Poëta ait:

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata.

Huc pertinet *Pauli* sententia *Lib.* 4. *Tit.* 5. *Meritis liberos, quam pactionibus adstringi placuit.* Idem ex responso quodam *Papiniani* refert *Justinianus* in *l.* 35. *si quando C. de inoffic. testam. Meritis magis filios ad paterna obsequia provocandos, quam pactionibus adstringendos. Rittersh.* Obsistere autem est repugnare, adversari; leges, jura sunt, quale illud sanguine junctos, parentes, & liberos se mutuo debere amare. *Scheffer.*

Capi] Trahi in obsequium & amorem, eleganter de efficacia beneficiorum. *Scheffer.*

FABULA

FABULA DECIMA SEXTA.

Cicada, & Noctua.



HUmanitati qui ſe non accommodat
Plerumque pœnas oppetit ſuperbiæ.
Cicada acerbum Noctuæ convicium,
Faciebat, ſolitæ victum in tenebris quærere,
Cavoque ramo ſomnum capere interdiu.

ACcommodat] Accomodare ſe humanitati, dictum, ut apud *Ciceronem: Accommodare orationem auribus multitudinis*, pro ex voluntate humanitatis vitam, moreſque ſuos regere. *Humanitas*, eſt ea amabilitas, qua ſtudemus ad ſocietatem mutuam ſervandam, alter alteri placere. *Scheffer.* Nam ut *Agell. Lib.* 13. *Cap.*15. ſcribit, ſignificat φιλανθρωπίαν, & dexteritatem quandam, benevolentiamq; erga omnes homines promiſcuam, Sed & verbo hoc, facilitas, manſuetudo, lenitas, comitaſque ſignificatur. *Sen. Epiſt.* 88. *Humanitas, vetat ſuperbum eſſe adverſus ſocios, vetat avarum: verbis, rebus, affectibus, comem ſe, facilemque omnibus præſtat: nullum alienum malum putat, bonum autem ſuum id maxime; quod alicui bonum futurum eſt, amat.* Ita apud ICtos noſtros: *Humanitatis intuitu l.* 48. §. *ult. ff. de fidejuſſor. l.* 31. *ff. de novat. l.* 5. *ff. de bon. damnat. l.* 4. *ff. de manum. teſt. Humanitatis gratia obtinendum eſt, l.*68. *ff. de aquir. vel omitt. hær. l.*16. *ff. de compenſat. Humanitatis rationi congruum eſt l.*12. §. *Codicilli ff. de captiv.*

& poſtlim. rev. Pro ſua humanitate D. Marcus hanc rem temperavit, l. 31. ff. de leg. Cornel. de falſ. Sic & *Humanitatis ſententia, l. 3. ff. de decurion. Humanitatem habet ſententia, l. 7. §. ult. ff. de dot. mal. & met. except. Humanitatem exhibere l. 1. §. ait Prætor. ff. de poſtul. Humanitate ſuggerente l. 1. ff. quand. appell. l. 13. ff. de Lib. & poſth. §. 7. Inſt. de legit. agnat. ſucceſſ.* Alio plane ſenſu humanitas pro humana infirmitate, ſorte, conditione ſumitur. Ut *Habebitur ratio humanitatis l. 38. §. ult. ff. ex quib. cauſ. maj. l. 6. & l. 14. §. ſed interdum. ff. de relig.* Sic *Communem humanitatem Cic. pro Flac.* & *Pro Sulla*, dixit. Idem *Pro Roſc. Amer. Magna eſt vis humanitatis*, id eſt, ſenſus humani. Unde *humanitus*, Id eſt humanæ neceſſitatis, vel mortalitatis caſu. Ita in *l. 30. §. ab heredibus. ff. de adim. legat. Si aliquid mihi in vita humanitus acciderit.* Et §. *ult. d. l. Si quid ei humanitus contigerit*, id eſt, *ſi quid humanum*, contigerit, ut *l. 26. ff. depoſ. Cic. 1. Philip.* Et ſi *Quid mihi humanitus accidiſſet.* Alia hujus vocis teſtimonia pete ex *Nonio Marcello.* L.

Pœnas oppetit] Ut *Opetere mortem*, ſed illud non memini alibi legere. *Rittersh.* Et ſane ſic *oppetere peſtem*, dixit *Cic. in Tuſcul. 1. Scheffer.*

Cicada acerbum] Omnino in hanc rem legenda *Libanii* Sophiſtæ declamatio, κατὰ γυναικὸς λαλίας, maxime *pag.* 19. & *ult. Rigalt.*

Faciebat.] Plane ad hunc modum & *Ovidius* de cicadis in *Epiſt. ad Piſonem:*

Stridula cum rapido faciunt convicia ſole.

Terent. Adelph. Act. 2. Sc. 1. Ante ædes non feciſſe erit melius hic convitium. Ubi vide *Gujetum. Scheffer.*

Ramo] Repete *in* ex præcedentibus. *Scheffer.* Hæc autem ſumma convixii, Noctuæ à Cicada facti, videtur fuiſſe, quod ſcilicet ſolita eſſet in tenebris victum quærere, & interdiu cavo in ramo ſomnum capere, atque ita naturæ ordinem invertere. L.

Rogata eſt ut taceret: multo validius
Clamare cœpit: rurſus admota prece,
Accenſa magis eſt. Noctua ut vidit ſibi
Nullum eſſe auxilium, & verba contemni ſua,
Hac eſt aggreſſa garrulam fallacia.

Admota] Eleganter, velut de machina, ad exponendum ardorem, & ſtudium precantis. *Curt. Lib. 5. Cap. 10. Preces deinde ſuppliciter admotæ*, &c. Prece autem in ſingulari poſuit, exemplo *Terentii*, atque aliorum. *Lactant. Lib. 1. Cap. 7. Item rurſus cum precem in Apollinem Smyntheum rogatus expromeret.* Sic enim, non *preces*, ut in eſt in editis, legendum, ut oſtendam in meis *Adverſariis* ex *Cæſarauguſtano* Codice. *Scheffer.* Et ſic Imp. in *l. 10. C. de rei vind. Id quod in precem contuliſti.* Et ſimiliter, *ea quæ in prece contuliſti l. ult. C. ſi min. ſe maj.* Hic autem *admovere precem*, eſt ſupplicare, quod in Jure etiam dicitur *preces fundere*, ut in *l. 5. C. de rer. permut. l. 5. C. de donat. l. 17. C. de rei vind.* Sic & *Componere preces*, & *mentiri in precibus*, accipe apud *D. Auguſt. Tract. 7. in Cap. 1. D. Joan.* Optime autem hic primo rogat, deinde ſupplicando preces admovet. L.

Accenſa] Irritata, concitata ad cantandum: abſolute. Quomodo *Virgilius*, quanquam ſenſu diverſo, *Lib. 4. Æneid.*

——— *Et ſic accenſa profatur.*

Scheffer.

Sibi nullum eſſe auxilium] In oratione ſua, contra clamorem Cicadæ: ſimpliciter poſuit, in reſpectu fortaſſis ad illud *Plauti in Epid. Act. 5. Sc. 2. Auxilium mihi & ſuppetiæ ſunt domi. Scheffer.*

Dormire

Dormire quia me non ſinunt cantus tui,
Sonare Cithara quos putes Apollinis,
Potare eſt animus Nectar, quod Pallas mihi
Nuper donavit. Si non faſtidis, veni,
Una bibamus. Illa quæ ardebat ſiti,
Simul cognovit vocem laudari ſuam,
Cupide advolavit; Noctua egreſſa è cavo,
Trepidantem conſectata eſt, & leto dedit,
Sic viva quod negarat, tribuit mortua.

Sinunt] Id eſt, permittunt: ita *Terentius: Sine me pervenire quo volo.* Et *Sinere frui fundo* apud ICtum. in *l. 2. ff. de ann. legat. Sinere uti frui. l.* 30. §. 1. *ff. de leg.* 3. In lege locationis qua ſcriptum erat, REDEMPTOR SILVAM NE CÆDITO, NEVE QUEM CÆDERE SINITO, verbum *ſinendi* hanc habere ſignificationem *Ulpianus* ſcribit; ut non tantum redemptor ſi quem caſu cædentem videat prohibeat, ſed uti curet, & det operam ne quis cædat. *l.* 30. *ff. locat.* L.

Sonare] Sic *Horat. 2. Carm.* 13.

Et te ſonantem plenius aureo
Alcæe, plectro dura navis.

Sonare plectro, ſicut hic, ſonare Cithara. Etiam *cantus tui ſonant*, pro tu cantans ſonas, ſimile illi apud *Fabium: Cantus hortatur remiges. Scheffer.*

Potare] Bibere largius, per hilaritatem animi ex cantu, ſicut ſolet fieri. *Scheffer.* Ita *Plaut. Pſeud. Act.* 5. *Sc.* 2. *Veni mecum potatum.* Et *Ovid. Lib.* 3. *Art. Amat.*

Aptius eſt deceatque magis potare puellas
Cum Veneris puero non male Bacche facis.

Horat. Carm. 1. *Ode.* 20.

Vile potabis modicis Sabinum
Cantharis. ——

Hinc *potus*, ebrius, qui abunde potavit. *Cic. Treb. Lib.* 7. *Itaque etſi domum bene potus, ſeroque redieram, tamen id caput ubi hac controverſia eſt notavi. Ovid. Lib.* 3. *Faſtor.*

Occurrit nuper, viſa eſt mihi digna relatu
Pompa, ſenem potum pota trahebat anus.

Et *Horat. Lib.* 4. *Carm. Ode* 13.

Indisque & bibis impudens
Et cantu tremulo pota cupidinem
Lentum ſollicitus. ——

L.

Eſt animus] Ita Eleganter loquebantur quemadmodum etiam *Ovid.* in *princip. Metamorph.*

In nova fert animus mutatas dicere for-
[redacted]
Corpora. ——

L.

Nectar quod Pallas] Minerva nimirum avi ſuæ, quam in tutela habebat, potum illum Deorum dono miſerat, die credo natali ſuo, quo ſe Noctua invitaret largius. *Rittersh.*

Si non faſtidis] Scilicet, Nectar illud, formula humanitatis, & civilis elegantiæ. *Scheffer.*

Ardebat] Notat ſitis magnitudinem, ex cantione diuturna, uſurpaturque de perſona, quod obſervandum. *Claudianus* pariter *Lib.* 1. *Vers.* 104.

—— *totumque exhauſerit Hernum,*
Ardebit majore ſiti. ——

Scheffer.

Tribuit] Nempe ſilentium, & canendi pauſam ut faceret. *Rittersh.*

FABULA DECIMA SEPTIMA.

Arbores in Deorum Tutela.

OLim quas vellent esse in tutela sua,
Divi legerunt arbores. Quercus Jovi,
Et Myrtus Veneri placuit; Phæbo Laurea:
Pinus Cibelæ: Populus celsa Herculi.

O*Lim quas vellent*] Hanc *Phædri* Fabulam prorsus imitatus est *G. Faërnus Fab. de Jove, & Minerva.* Eamque eleganter imitatur *Martial. Lib.* 1. *Epigr.* 77.

O mihi curarum pretium non vile mearum,
Flacce, Antenorei spes, & alumne Laris.
Piërios differ cantusque chorosque sororum:
Æs dabit ex istis nulla puella tibi.
Quid petis à Phabo? nummos habet arca Minervæ
Hæc sapit, hæc omnis fenerat una Deos.
Quid possent ederæ Bacchi dare? Palladis arbor
Inclinat varias pondere nigra comas. &c.

Ædesium Cappadocem ex *Iamblichi* schola reversum objurgabat pater, quod Philosophiam, non saginantem artem didicisset: Πλοῦτος δὲ οὐχ ὑπῆν τῷ γένει πολύς. καὶ ὅγε πατὴρ αὐτὸν ἐκπέμψας ἐπὶ παιδείαν χρηματικὴν, ἐκ Καππαδοκίας ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα· εἶτα ἐκδεχόμενος, ὡς θησαυρὸν ἐπὶ τῷ παιδὶ εὑρήσων, ἐπειδὴ

ἐπειδή ποτε ἐπανελθόντος φιλοσοφοῦντα ἤσθετο, τῆς οἰκίας ὡς ἀχρεῖον, ἀπήλαυνε· καὶ ἐκδιώκων, τί ἔφη φιλοσοφία ὠφελεῖ. &c. *Eunap. Ædes. Rigalt. Lucian.* Περὶ θυσιῶν. τοιγαροῦν καὶ οἱ ἄνθρωποι συνωδὰ, τούτοις καὶ ἀκόλουθα περὶ τὰς θρησκείας ἐπιτηδεύουσι. καὶ πρῶτον μὲν ὕλας ἀπετέμοντο, καὶ ὄρη ἀνέθεσαν, καὶ ὄρνεα καθιέρωσαν, καὶ τὰ φυτὰ ἐπεφήμησαν ἑκάστῳ Θεῷ. Arbores vero Diis dicatas; plures adfert *Virgil. Eclog.* 7.

Populus Alcidæ gratissima, Vitis Jaccho,
Formosæ Veneri Myrtus, sua Laurea Phœbo.

Nevel. Vide *Plutarchum* in *Coriolano. Scheffer.*

Quercus Jovi] *Plinius* Jovi Esculum tribuit *Lib.* 12. *Cap.* 1. *Arborum*, inquit, *genera, numinibus suis dicata, perpetuo servantur; ut Jovi Esculus, Apollini Laurus, Minervæ Olea, Veneri Myrtus, Herculi Populus*, &c. *Rittersh.*

Pinus Cibelæ] Scribendum *Cybelæ*. Ut infra, *Lib.* 4. *Fab.* 1. *Galli Cybeles. Catullus* quoque in *Galliambo* nunc producit mediam, nunc corripit. *Rittersh.* Aliter *Faërnus*:

Pinum humidi tridentifer rector Sali.

Meurs. Miror equidem *Schoppium*, qui tam libenter *Phædrum*, etsi frustra, imperitiæ circa modulum syllabarum reprehendere solet, non hunc quoque locum reprehendisse; id enim & sua solenni confidentia facere poterat, & *Servij* auctoritate fretus, qui duobus locis (nescio an etiam pluribus) secundam in Cybele brevem esse affirmat. Sed errat *Servius*, & qui ejus auctoritate locum hunc *Phædri* sollicitare velint. Namque ut testimonia veterum nunc quidem omittam, nec *Servius*, nec vulgus doctorum, satis commeminisse videntur, quæ sit liquidarum literarum natura. Quippe syllabam per se brevem efficere longam possunt, & è contra. Inde est quod apud *Homerum* μέλος producitur, *Hymno in Mercurium* (si tamen illud poëma *Homeri* est; certe antiquissimum est) & ἑλώρια primo *Iliados* Contra autem duo *LL.* corripi apud *Comicum*; in sede non ambigua scio, & quod æque incredibile videatur, *N.* & *T.* in eadem syllaba corripiebant veteres, ut in *Trecentos*, & *Trecentis* probari potest, apud veterem *Comicum*. Sed quod nec magistri fortasse, nec magistelli haud dudie probabunt, prior syllaba in ἔργον, ob naturam scilicet τοῦ ρ. brevis apud *Menandrum* occurrit. Versus sunt sanctissimi, & Socrate ipso plane digni:

Ὁ γὰρ Θεὸς βλέπεισε, πλησίον παρὼν,
Ὃς ἔργοις δικαίοις ἥδεται, κ' οὐκ ἀδίκοις.

Id est, eodem metri genere:

Namq; ille te aspicit Deus, tibi ad latus,
Cui justa cordi facta, non injusta, sunt.

Quoquo te vertas, versum metiri aliter non potes, quam quo modo metiendum dico. Quia autem dixi modo secundam in *Trecentos*, correptam olim quoque fuisse, idque scio multis minus credibile visum iri, placuit hic addere versus illos Solonis, qui apud *Plutarchum* leguntur; unde apparebit, idem in ἀφέντον olim quoque factitatum fuisse:

Εἰην δή ποτ' ἐγὼ Φολεγάνδριος ἢ Σικινίτης, &c.
Ἀττικὸς οὗτος ἀνὴρ τῶν Σαλωμῖν' ἀφέντων.

Ibi vir doctissimus, & magni parentis, magnus filius, novam lectionem commentus est, scilicet Σαλαμιναφετῶν, frustra; nam ad eandem observationem debet referri hic Solonis locus, quæ circa naturam τῶν ὑγρῶν γραμμάτων facta fuit superius Ab eadem ratione in εὐήρετμος apud *Æschylum* in *Persis* penultima brevis est, ut prima in τεκμήριον apud *Aristophanem* in *Avibus Pag.* 535. Editionis minoris Marianæ. Hæc obiter scribenda existimavi, ne, ubi ad veteres scriptores ventum est, & de illorum carminibus fertur judicium, quidquam temere facias, neque porroita magistellorum regulis servias, ut non, alias quoque esse memineris. Καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. Quæ si quis aspernabitur, vereor ut argumentum in se prodat τῆς ἀποιροκαλίας. *Fab.* De Pinu alias sacrata Cybelæ vide *Meursii Arboretum Sacrum Cap.* 15. *Scheffer.*

Minerva admirans quare ſteriles ſumerent,
Interrogavit; cauſam dixit Jupiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At mehercule, narrabit quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructus eſt gratior.

Admirans] Abſolute, ita infra *Lib.* 4. *Fab.* 16.

Mirati, ſibi legatos non revertier.

Cic. ad Attic. Cap. 6. *Admiratus ſum, quod nihilominus tua nemo ſcripſiſſes.* *Scheffer.*

Cauſam dixit] Elliptice, pro cauſam eſſe dixit, ita ſupra; *Cauſa ſed non dicitur.* *Scheffer.*

Honore fructum] Senſus hujus loci is eſt: elegimus arbores nullos ferentes fructus, ne videamur, ſi quando in arboribus homines nos honorant, vendere fructum illarum arborum pro honore, & honorem velut pecuniam pro fructu recipere. *Scheffer.*

At Mehercule] Verba ſunt Minervæ refutantis Jovem. *Scheffer.*

Narrabit] Proprie, velut de re, ad ſe nihil pertinente, *Donat.* ad *Terent. Andr. Act.* 4. *Sc.* 3. *Narrare aliena, quæ nobis non ſunt neceſſaria dicimur.* Eſt autem formula ſecure ſpernentis aliorum judicia. *Scheffer.* Atque hæc formula Belgico etiam noſtro idiomate effertur: **Elck magh ſeggen wat hy will.** L.

Tunc ſic Deorum Genitor, atque hominum Sator:
O nata, merito ſapiens dicere omnibus,
Niſi utile eſt quod facimus, ſtulta eſt gloria.
Nihil agere, quod non proſit, Fabella admonet.

Niſi utile eſt] Eleganter *Lucilius*: *Hunc laborem ſumas, laudem qui tibi ac fructum ferat.* Non tamen omnia ad utilitatem referenda, aut hoc modulo metienda ſunt. *Rittersh.* Reddit rationem cur dicatur ſapiens: nempe ſicut paſſim docet *Ariſtoteles*, boni alicujus cauſa agunt, ſapientes, quicquid agunt. Ergo ſequitur ſtultum eſſe, gloriam captare ex facto, quod nullam plane habet utilitatem. Puto dignum eſſe optimum. *Scheffer.*

Nihil agere] Infra: *Lib.* 4. *Fab.* 22.

Nihil agere quod non profit, Fabella indicat.

Rigalt. Eſtque idem quod docuit *Petron.* in *Satyr.* *Et ideo*, inquit, *ego adoleſcentulos exiſtimo in ſcholis ſtultiſſimos fieri, quæ nihil ex iis quæ in uſu habemus, aut audiunt, aut vident.* L.

FABULA

FABULA DECIMA OCTAVA.

Pavo ad Junonem de Voce Sua.

PAvo ad Junonem venit, indigne ferens
Cantus Luſcinii quod ſibi non tribuerit:
Illum eſſe cunctis avibus admirabilem,
Se derideri, ſimul ac vocem miſerit.

PAvo ad Junonem] *Camerarius p.* 195. *Rigalt.*

Cantus Luſcinii] Luſciniis, φιλόμουσος, καὶ φιλῳδὸς *Ælian. Lib.* 5. Περὶ ζώων ἰδ'. *Cap.* 38. *Rigalt.* Nota, Luſcinius dicitur hic, quæ vulgo tantum Luſcinia, hoc quoque ſingulare *Phædrus* habet. *Rittersh.* Luſcinius, & Luſcinia, Simius, & Simia, Galeritus, & Galerita, apud *Varronem.* Quod autem exiſtimat *Ritterhuſius* apud unum *Phædrum* reperiri has voces, fallitur: Nam apud *Senecam Epiſt.* 76. Ex quinque Palatinis Codd. legitur, *Habet vocem*; *ſed quanto dulciorem, mobilioremque Luſcinii. Fab.* Ego video & in Gloſſis ita ſcribi, quanquam ibi extet *Luſcinus*, quod puto eſſe prævum. Niſi forte ſicut *Luſcinam*, dixere pro *Luſcinia*, quod itidem ibi reperitur, ſic & *Luſcinum*, pro *Luſcinio. Scheffer.*

Avibus admirabilem] Admirabilis alicui, ſicut amabilis, venerabilis, & id genus. *Scheffer.*

Miſerit] Pro emiſerit, vocem ediderit, dictum ſupra. L.

Tunc, consolandi gratia, dixit Dea:
Sed forma vincis, vincis magnitudine;
Nitor Smaragdi collo præfulget tuo,
Pictisque plumis gemmeam caudam explicas.

Nitor Smaragdi] *Pisides Cosmurgia:*

Ὡ πῶς ἰδὼν τὶς τὸν ταὼν μὴ θαυμάσοι
Τὸν χρυσὸν ὡς σάπφειρον ἐμπεπλεγμένον
Καὶ τὴν πτεροτὴν ἐν σμαράγδῳ πορφύραν,
Καὶ πολυμόρφους συνθέσεις τῶν χρημάτων,
Ὅλας ἀσυγχύτους τε καὶ μεμιγμένας.

Phyle:

Λειμὼν γὰρ ἐστὶν ἡ γραφὴ τῶν ἀνθέων,
Χρησὸς δὲ λεπτὸς ἐγχεθεῖς τῇ πορφύρᾳ
Σμάραγδον ἁγνὸν ἐμφυτεύει τῇ κράσει.
Καὶ σύνθετον φῶς, καὶ πτεροτὴν αἰθρίαν,
Ἀκτῖσι φυσικαῖς μειδιῶσαν σύντισι.

Theophylactus Simocata in Epist. Τὸ μηδικὸν ὄρνεον ὁ ταὼς, καὶ τῶν μήδων τὴν ὑπεροψίαν κεκλήρωται, μέγα τί καὶ ὑπέρογκον ἐπὶ τῷ κάλλει φρονῶν. τούτου καὶ τὴν θηλίαν ἡττάσθαι δοκεῖ. τὸ πτερὸν τοιγαροῦν οἷα δὴ κόμην ἀνίστησι καὶ περιφανέστατόν τε τοῖς ὁρῶσι κάλλος παρέχεται, καὶ κυκλικὸν ἀπεργάζεται σχῆμα, καὶ τὸν οὐράνιον εἰκονίζεται κόσμον, καὶ τοῖς ὀφθαλμοῖς τοῦ πτεροῦ τὴν τῶν ἄστρων διακόσμισιν ἀναπλάττεται, καὶ τοῦτο μὲν μηδικῶν ὄρνεον ἦθος φιλόκαλον. *Tertull. Lib. de Pallio Cap. 3. Pavo, pluma, vestis, & quidem de Cataclitis: imo omni Conchylio depressior, qua colla florent, & omni patagio inauratior, qua terga fulgent: & omni syrmate solutior, qua caudæ jacent.* &c. *Rigalt.* Et *Smaragdus* quidem in *l. 21. ff. de aur. & arg. leg.* & *l. ult. §. species. ff. de publican. l. 1. nulli lic. in fren. Lib. 11. Cod.* Gemma est viridis coloris, de qua post *Plinium* multis verbis agit *Isidor. Lib. 16. Etymolog. Cap. 7.* L.

Gemmeam] Quomodo *Plinius* alicubi, *Rotunditatem gemmeam* dixit, *Gemmatam caudam* vocavit *Statius. Scheffer.* Et *Martialis* de Pavone:

Miraris quoties gemmatas explicat alas,
Et potes hanc sævo tradere, dure, coco.

Nevel.

Quo mi, inquit, mutam speciem, si vincor sono?
Fatorum arbitrio partes vobis sunt datæ:
Tibi forma; vires Aquilæ; Luscinio melos;
Augurium Corvo, læva Cornici omina;
Omnes quæ propriis sunt contentæ vocibus.

Quo mi] Supple, *Dii dederunt*, inquit, *Phrascius.* Recte illud *Quo*, integre est *Quo sine.* Est autem formula indignantis, itaque dimidia tantum sui parte profertur. *Horat. Lib. 1. Carm. 5.*

Quo mihi fortuna, si non conceditur usus.
Cic. 4. Verr. Martis vero signum quo mihi, pacis auctori, Propert. 4. Eleg. 3.

Nam mihi quo, Pœnis si purpura fulgeat ostris?

Adde

Adde N. *Heinſ. ad Heroid. Carm.* 2. *Verſ.* 53. & 4. *Verſ.* 167. *Scheffer.*

Partes] Abſolute poſuit, vult autem, cuilibet ſuam & peculiarem tributam eſſe partem. *Scheffer.*

Tibi forma] *Sen. Epiſt.* 77. *Valet & Leonis, formoſus eſt, & pavones. Nevel.*

Læva cornici omnia] *Virgilius:*

Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.

Rittersh. Ut à læva ſedens faciat bona omnia. *Cic. de Divinat.* 2. *A dextra corvus, à ſiniſtra cornix fatit rata. Scheffer.*

Noli adfectare, quod tibi non eſt datum,
Deluſa ne ſpes ad querellam recidat.

Noli adfectare] Quia:

Amittit merito proprium qui alienum adpetit.

Ut ſupra dixit, *Lib.* 1. *Fab.* 4. Exemplo ſit Camelus, qui, ut eſt in Fabulis, cornua Jovem poſcens, auribus quoque privatus eſt. Obſervanda hic ſimul ſententia *Homerica*, uni Deum non omnia tribuiſſe, ſed aliis alia, & diverſa dona contribuiſſe:

Οὕτως ἀ πάντεσσι θεὸς χαρίσατο δῶρα
Ἀνδράσιν. &c. ——

Odyſſ. 8. *Rittersh.* Atque hinc vulgare illud:

—— *non omnia poſſumus omnes.*

L.

Deluſa ne ſpes] Quia ut infra, *Lib.* 5. *Fab.* 6 ait:

Quem ſpes deluſit, huic querela convenit.

Rittersh.

Ad querellam recidat] *Cic. pro Sylla: Ad luctum reciderunt ex lætitia. Scheffer.* Id eſt, lætitia ad luctum, quaſi reverſa eſt, & in luctum incidit; quaſi retrolapſa, ſic *Recidere flumen* dicitur in *l.* 3. *ff. de acquir. rer. dom.*, id eſt, retroire, & retrolabi: à qua ſignificatione ſenſus hujus vocabuli, quo à Noſtro, & *Cicerone* uſurpatur, procul dubio deſumptus eſt. L.

FABULA DECIMA NONA.

Æsopus Reſpondet Garrulo.

ÆSopus domino, ſolus cum eſſet familiæ,
Parare cœnam juſſus eſt maturius,

Solus cum eſſet familia] Solus eſſet τὸ πάντα. Nihil agit, qui aliter explicat. Sic *Sidon. Apollinar. carm.* 7.

Reſpublica noſtra
Tota Camillus erat.

Vide *Camerarium Vita Æſopi pag.* 10. *Rigalt.* Jungo, & expono *familiâ maturius*, id eſt, citius quam alias ſolenne erat familiæ, quæ tunc domo aberat. An *Solus familiâ*, id eſt, deſertus ab aliis ſervis? *Rittersh.* Hæc *Ritterhuſii* explicationes, nihil aliud quam ſomnia, quam logi. Senſus eſt: cum quidam dominus ſolum haberet *Æſopum*, neque præterea ullam familiam, id eſt, alios ſervulos haberet, &c. Itaque *Æſopus* unus, ſoluſque erat familia; quæ vox nil aliud hoc loco ſignificat, quam συνηθεια, ſeu πλῆθος famulorum. *Fab.* Ut paſſim apud ICtos. accipitur, quemadmodum in *Tit. ſi fam. furt. fec. dic. l.* 9. *ff. de juriſd. l.* 32. *ff. ad leg. Aquil. l.* 32. *ff. de dol. mal. l.* 1. *ff. ad Sc. Silan. l.* 5. *ff. de hæred. petit. l.* 31. *ff. de noxal. act.* & alibi. L.

Maturius] Ponitur abſolute, ut ὀξυτερον, celerius, ſcilicet, quam pro conſuetudine. *Scheffer.*

Ignem ergo quærens, aliquot luſtravit domus:
Tandemque invenit, ubi lucernam accenderet.

Tum

Tum circumeuuti fuerat quod iter longius,
Effecit brevius: namque recta per forum
Cœpit redire: & quidam è turba Garrulus,
Æsope, medio Sole quid tu cum lumine?

Ignem ergo quærens] Nota: ignem non ſemper veteres domi ſuæ excitabant, ſed à vicinis plerumque petebant: neque enim facile negare petenti licebat. Videbatur enim hoc valde alienum eſſe ab humanitate, & vita hominum atque natura, quæ aqua, & igne carere non poteſt. Hinc *Plautus Trinum. Sc. 6. Datur*, inquit, *ignis, tamen etſi ab inimicis petas.* Sic enim ibi habet MS. *Cameravius*, non ut vulgo, *Tametſi.* Eodem & *Ennii* verſus pertinent, quos refert *Cicero* 1. *de offic.*

Ut homo qui erranti comiter monſtrat viam,
Quaſi lumen de ſuo lumine accendat, facit,
Ut nihilominus ipſe luceat, cum illi accenderit.

Et idem *Plautus Aulularia* eodem reſpiciens, ait, *Act.* 1. *Sc.* 2. ſive (ut in MS. Eyſtad.) *Sc.* 1.

Cave quenquam alienum in ædes intromiſeris.
STA. *Quid ſi quiſpiam ignem quærit?*
EVC. *extingui volo:*
Ne cauſæ quid ſit, quod te quiſpiam quæritet;
Nam ſi ignis vivet, tu extinguere extempulo.

De flamma tamen Deum, id eſt, igne ſacrificiorum, non licebat ignem accendere, vel mutuari lumen ut infra, *Lib.* 4. *Fab.* 10. teſtatur *Phædrus*, ne ſcilicet ſacra profanarentur. *Rittersh.*

Lucernam] Cereum. *Plaut. Aſin. Act.* 4. *Sc.* 1. *Si lucerna extincta ſit. Cic. Epiſt. ad Attic. facerem dictius, niſi me lucerna deficeret. Scheffer.*

Iter effecit brevius] Per compendia ivit. *Rittersh.* Illud *effecit*, pro ſimplici *fecit*, ponitur, aut *effecit per compendium. Scheffer.*

Medio Sole] Pro meridie dixit, ut *Stat.* 5. *Thebaid.* Sic *Horat. Lib.* 1. *Epiſt.* 5. Supremo ſole pro veſpere dixit. *Rittersh.* Et *Virgil. Lib.* 1. *Georgic. Solem novum*, dixit, & meridiem intelligit. *Scheffer.*

Quid] Scilicet facis, elliptice, ex conſuetudine celerius loquentium, nam feſtinabat Æſopus. *Scheffer.*

Turba] Hominum multitudine in foro congregata. Sic *Turbam convocare l.* 1. §. *excuſantur. ff. ad Sc. Sctan. Turbæ faciendæ conſilium l.* 3. *ff. ad leg. Jul. de vi publ.* Et ita in Edicto à Prætore de damno quod in turba datum eſt propoſito; *In turba factum accipimus, quod decem aut quindecim hominibus coactis factum eſt l.* 4. *pr.* & §. 1. *ff. de vi bon. rapt.* Unde diſtinguunt, quod in turba, vel in rixa factum eſt; Turba enim multitudinis hominum erat turbatio, & cœtus; rixa etiam duorum. L.

Tu cum lumine] *Horat. Lib.* 1. *Sat.* 4.
Ebrius & (magnum quod dedecus) ambulat ante.
Noctem cum facibus. ———
Sic Diis gentium exprobrat *Arnob. Lib.* 5. *Quod ſub Sole clariſſimo, cum lucernis, & facibus orbis peragrant vaſtitatem. Rigalt.*

Hominem, inquit, quæro, & abit feſtinans domum.
Hoc ſi moleſtus ille ad animum retulit,
Senſit profecto ſe hominem non viſum Seni,
Intempeſtive qui occupato adluſerit.

Hominem, inquit, quæro] Lucerna accenſa hominem quærebat *Æſopus*: quod de Satyricis etiam dici poteſt. *Juvenal. Sat.* 1.

Hæc

Hæc ego non credam Venusina digna lucerna?

Vetus Interpres: *Lucernam dici, quia Satyrici ad omnium vitia quasi lucernas admovent, & ut adurant, & ut ostendant crimina. Rigalt.* Hoce & à Diogene Cynico factum scribunt. *Rittersh.*

Ad animum retulit] Sic ICti ad animum revocare injuriam dicunt, *l. 11. non solum. §. 1. ff. de injur §. ult. Inst. eod. tit. Rittersh.* Hic quasi consideravit, examinavit animo. Puto autem, *Referre ad animum*, dici, sicut, *Referre ad proceres*, aut *Senatum*, sententiæ scilicet exquirendæ gratia. Vulgo *Animum referre ad aliquid*, in usu est. *Scheffer.*

Intempestive] Id est, non opportuno, nec congruo tempore; uti apud ICtos. *Intempestive rei commodatæ usum auferre l. 17. §. sicut. ff. Commod. Intempestive iter facere l. 9. §. ult. ff. ad leg. Aquil. Intempestive cæsa silva l. 48. §. ult. ff. de usufr. Intempestive misericordiam exercere l. 17. ff. depos.* Hinc *Intempestiva cultura, l. 25. §. conductor. ff. locat.* Id est, non sui tempore facta, seu sera, *Societatis intempestiva renunciatio, l. 17. §. ult. ff. pro soc.* Cum res jam non amplius est integra. L.

Adluserit] Jocari cum eo voluerit, secutus est *Virgilium*, qui *Lib. 7. Æneid.*

Hem, etiam mensas consumimus, inquit, Iulu,
Nec plura adludens. ———

Adludens, est jocans. *Servius: Vacat, ad, & ludentem significat.* Optimè. *Scheffer.*

PHÆDRI,

PHÆDRI,
AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI,
FABULARUM ÆSOPIARUM,
LIBER QUARTUS.

FABULA PRIMA.

Aſinus, & Galli.

QUi natus eſt infelix, non vitam modo
Triſtem decurrit; verum poſt obitum quoque
Perſequitur illum dura fati miſeria.

Asinus & Galli] Intellige hic Gallos Cybeles, ſive magnæ Matris Deum Sacerdotes. *Rittersh.*

Qui natus eſt infelix] Compendioſius Fabulam hanc narrat *Camerarius p.* 162. De Aſini Pelle. *Rigalt.*

Triſtem] Propter varias calamitates, laborioſam, ærumnoſam. *Scheffer.*

Poſt obitum quoque] Non eſt hæc γνώμη digna Philoſopho. Ut quid enim? Sævias quantum

quantum libet, in demortui cadaver, nihil hoc omnino ad se pertinere sapiens putabit: tantum abest, ut miseriam in eo aliquam collocet. Errasti itaque *Phædre. Meurs.*

Persequitur] Eleganter, ad exprimendam odii fatalis acerbitatem. *Scheffer.* Atque hac emphatica significatione hoc vocabulo etiam ICti. nostri usurpant; sic *Persequi rem, l. 17. ff. ad Sc. Turpil. Lex Visellia libertinæ conditionis homines persequitur l. 1. C. ad leg. Visel. Qui mandavit servum frigitivum persequendum l. 2. ff. ad leg. Fab. de Plag. Eum testator gravissimis inimicitiis persecutus l. 22. ff. de adim. leg.* Alias est insequi, *l. 44. ff. de acquir. rer. dom.* Ut: *Fera bestia eo usque nostra videtur, donec eam persequamur, quod si desierimus eam persequi, desinere nostram esse l. 5. §. 1. ff. eod.* Si *Pavonem meum mansuetum persecutus sis, quoad is perit l. 37. ff. de furt. Cavere de re persequenda, veluti de servo qui in fuga est, l. 16. §. ult. ff. de rei vind.* L.

Duræ] Ex sententia communi moratarum gentium, apud quas pœnæ, & supplicia habentur, quæ fiunt in corporibus defunctorum contra consuetudinem. Ac ne Philosophi quidem omnes adversantur. Imo *Socrates*, & *Plato* sensum mortuos habere putabant eorum, quæ hic geruntur. Quibus cum facit ipse *Aristoteles*, ut ex *Lib. 1. Nomic. Cap. 12.* Apparet. Adeo hic audiendus non est *Meursius*, nostro se opponens; cum præsertim longe ipse aliter in Opusculo *de funere Cap. 2.* sentiat. *Scheffer.*

Fati miseria] Jussum illud, & dictum divinum intelligit, vel sempiternam illam & indeclinabilem rerum seriem, quam Chrysippus Fatum esse definiwit, referente *Gell. Lib. 6. Cap. 26.* Et *Sen.* in *Natural. Quæst. Quid intelligis fatum? Existimo necessitatem rerum omnium, actionumque quas nulla vis rumpat.* Sic fatum etiam ex sententia *Ciceronis*, ut ait *Serv.* in 3. *Æneid.* est *Connexio per æternitatem se invicem tenens, quæ suo ordine, & lege variantur, ita tamen ut ipsa varietas habeat æternitatem.* Idem *Servius* in *Lib. 2. Æneid. Fata*, ait, *Sunt quæ Dii fantur; vel quæ indubitanter eveniunt.* Atque hinc inopinatos casus quæ prævideri humano consilio non possunt, quasi rerum serie & ordine inviolabili contingentes, fato ICti. adscribunt. Sic: *Damnum non incensulte accidens, sed fato, l. 11. §. sciendum. ff. de minor.* Et mox eadem *l. §. si locupleti. Quod fato contigit.* Quin etiam passim & frequentius pro morte sumitur. Sic *Fati diem fungi l. 5. C. si reus vel accus. Macrob.* in *Somn. Scip. Lib. 1. Cap. 12. Constat enim numerorum certam constitutamque rationem animos sociare corporibus. Si numeri dum supersunt, perseverat corpus animari: cum vero deficiunt, mox arcana illa vis solvitur, quia societas ipsa constabat, & hoc est quod fatum, & fatalia vitæ tempora vocamus.* Hinc *Fati munus implere l. 1. C. de oblig. & act. l. 1. C. qui test. fac. poss. l. 6. C. de collat. l. 12. C. de fideic. l. 4. C. de postlim. reverss.* Et, *In fatum concedere, l. 20. §. ult. ff. de liberat. leg. l. 3. C. de pure dedit. l. 4. C. si pend. appell. l. 4. C. de solut.* L.

Galli Cybeles circum quæstus ducere
Asinum solebant bajulantem sarcinas;
Is cum labore, & plagis esset mortuus,
Detracta pelle sibi fecerunt tympana.

Galli Cybeles] *Apulej. Milesf. 8. Rigalt.* Curetes aliis, & Corybantes dicti: egregie vero rem totam describit *Babrias* in μυθιαμβοις; quod fragmentum *Babriæ* debemus *Natali Comiti:* nullibi quippe quod sciam extat, præterquam in ipsius *Mythologia.* Plura eum habuisse ejusdem, verisimile est, atque fieret aliquando ut prodiret *Babrias.* Versus autem ii sunt:

Γάλλοις ἀγώγιμος εἰ τὸ κοινὸν ἐπεφόρ-
τιζε
Ὄνος τις οὐκ ἄνυμος, ἀλλὰ δυσδαίμων
Ὃς

Ὅστις φέρει πτωχοῖσι καὶ πανούργοισι
Πείνης σάκος. διψῆς τε καὶ κακῆς τέχνης.
Οὗτοι δὲ κύκλῳ πᾶσαν ἐξ ἔθους κώμην
Περιίοντες ἔλεγον, τις γὰρ ἀγροίκων
Οὐκ οἶδεν Ἄττιν λευκὸν ὡς ἐπερώθη;
Τις οὐκ ἀπαρχὰς ὀσπρίων τε καὶ σίτων
Ἄγνῳ φέρων δίδωσι τυμπάνῳ Ῥείης.

Si plura de Gallis istis Sacerdotibus scire est animus, adi eundem in *Mythologia. Nevel.* Sacerdotes Rheæ, qui castrati, unde illud Arcesilai apud *Laërtium:* Ἐκ μὲν γὰρ ἀνδρῶν γάλλοι γίνοντα, ἐκ δὲ γάλλων ἄνδρες οὐ γίνονται. Unde dicantur notissimum est. *Herodianus in Commodo:* Πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραῤῥέοντι, ἀφ' οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ Θεῷ τομίαι ἱερωμένοι. Cæterum dum eum locum huc transferibo, aliquot lineis sciperius animadverti gravissimum in illo scriptore vitium; nam ubi & *Politianus*, & *H. Stephanus* legerunt πόλεμον γενέσθαι περὶ ὁδῶν, legendum est περὶ ὅρων, Phrygas nempe de finibus adversus Lydos contendisse. Locum ipsum adito; nam mihi satis esse debet monuisse. *Fab.*

Circum quæstus ducere] Jungo, *Circumducere quæstus*, sc. gratia: ut ellipsis Græcissans, & tmesis. *Rittersh.* Istuc ipsum est, quod dicunt novi Cynici, antiquis haud multo meliores, *aller à la queste.* Quod non intellexit *Conradus Rittershusius*, utraque enim ejus explicatio falsa est uti tute vides. *Fab.* Puto autem *Fabrum* innuere modestam mendicantium formulam, stipemque petentium, qua vitæ suæ genus definiunt. Ita *Quæstus* erit ipsa mendicatio, quæsitio, vel conquisitio stipis. Et erat proprium istorum Gallorum stipem petere. Vide vel *Rosinum* de hoc more. *Scheffer.*

Detracta pelle] Quod ait, de Tympanis Gallorum Cybeles, id lucem accipit ex *Catulli Galliambo*; solebant autem strepitu Tympani obtundere clamorem eorum, quos evirabant, ne exaudiretur. *Rittersh.*

Tympana] Quibus solenniter utebantur. *Dionys. Halicar. 2. Deam vicatim circumferunt more suo circulatorio, pectora plangentes ad cantum tibiarum, tympanorumque sonitum.* Erant autem ista tympana ex ligneo circulo, cui superinductum ex una solum parte esset corium, illa plane effigie, qua exhibuit *Laur. Pignor. de Serv.* Falliturque plurimum *Dempsterus* ad *Rosin Lib. 2. Cap. 4.* Quando æra fuisse scribit, & *Æra Corybantina* apud *Virgilium*, de ipsis accipit. Quod vel ex *Servio* ad eum locum potuisset discere, cum ita scribat: *Ærea autem Cymbala Corybantibus, Jasonis filiis, quibus vagitum Jovis celaverunt.* Cymbala vocat, non tympana. *Scheffer.*

Rogati mox à quodam delicio suo,
Quidnam fecissent, hoc locuti sunt modo:
Putabat se post mortem securum fore;
Ecce aliæ plagæ congeruntur mortuo.

Delicio suo] Delicium vocabant puerum, quem in amoribus habebant. τὰ παιδικά. Adeo enim hoc usitatum erat Græcis, ut etiam turpe esset puero, amatorem nullum reperire: quanquam autem vix effugiebant probri, imo sceleris suspicionem, cum formosis adolescentulis versantes: tamen nequitiæ suæ hoc quasi velum obtendebant, ut dicerent, se amorem suum non ad fædam, atque abominandam corporum commixtionem, sed ad constituendam amicitiam referre. Inde vocabant hunc ἔρωτα ἐπὶ φιλίᾳ. *Cicero* amorem amicitiæ vertit. Sic nimirum *Tusc. 4. Quis*, inquit, *est enim amor iste amicitiæ? cur neque deformem adolescentem quispiam*

quiſpiam amat, neque formoſum ſenem? Idem *Cicero Tuſc.* 5. etiam Dionyſium Siciliæ tyrannum ſcribit, more Græciæ quoſdam adoleſcentes amore conjunctos habuiſſe. *Euſeb. Lib.* 6. *de Præpar. Euangel.* παῤ ἕλλησι γὰρ οἱ σοφοὶ ἐρωμένους ἔχοντες ἅ ψιγονται. Vide & *Maximum Tyrium* Philoſophum Platonicum *Serm.* 8. *cum* 3. *ſeqq.* Habet hac de re quædam, niſi fallor, etiam *Muretus* in *Var. Lect.* quæ ex his noſtris augeri poſſunt. *Rittersh.* Hic locus à nemine, quam *Apulejo* commodius explicari poteſt, *extremo libro octavo*, inter alia & hæc ſunt: *Erat quidam juvenis, ſatis corpulentus, chordulæ doctiſſimus, collatitia ſtipe de menſa paratus, qui ſoris quidem circumgeſtantibus Deam, cornu canens deambulabat: domi vero promiſcuis operis partiarias agebat concubitus.* *Schop.* Vide pravam hominum illorum libidinem. *Nevel.* Solebat enim fere id genus ſimul corpore quæſtum facere. *Delicium* hic puerile ſcortum notat. Alii *Delicias* vocant; ſed & delicium legitur apud *Martialem*, licet alio ſenſu. *Scheffer.* Sed & *Virgilius* Delicias hoc *Phædri* ſenſu uſurpavit *Eclog.* 2. ——

Formoſum paſtor Coridon ardebat Alexin
Delicias domini. ——

Atque hoc ſenſu puto dominum dici ſervum *in delicijs* habuiſſe *l.* 6. §. 2. *ff. de oper. ſerv.* L.

Locuti] Supra *Lib.* 1. *Fab.* 5.

Sic eſt locutus partibus factis Leo.

Item *Fab.* 27.

—— *quem ſtans Vulturius ſuper,*
Fertur locutus. ——

Lib. 2. *Fab.* 5.

Tum ſic locuta eſt tanti majeſtas ducis.

Ita namque habuerunt veteres. Et *Lib.* 4. *Fab.* 4.

Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur.

Et *Fab.* 16.

Sic eſt locutus ante pœnam Jupiter.

Et *Lib.* 5. *Fab.* 4.

Quas aſpernatus ille, ſic locutus eſt.

Oſtendit vel conſenſus ille, nil in locis his mutandum. Neque enim quantumvis ſupini librarii errare in omnibus potuerunt. *Scheffer.*

Mortuo] Caſus tertius pro in mortuum. *Flacc.* 4. *Argonaut.*

—— *crebros & liber congerit ictus*
Deſuper averſo. ——

Scheffer.

POETA.

POETA.

JOculare tibi videtur, & sane leve,
Dum nihil habemus majus, calamo ludimus.
Sed diligenter intuere has nænias,
Quantam sub illis utilitatem reperies?

Joculare] Joco, risuque dignum. Sic *Terent. Phorm. Act.* 1. *Sc.* 2.

——— *quid mea?*
Illa quidem nostra erit. DA. *Jocularem audaciam!*

Et *Cic. de Fato. O Licentiam jocularem.* L.

Sane leve] Vix dubito, quin scripserit noster hoc modo:

Jocular' oc tibi videtur; & sane levi,
Dum nihil habemus magis, calamo ludimus.

Levi calamo, dixit, & *Virgilio* suo, qui 5. *Ecl.* 1.

Tu calamos inflare leves. ———

Scheffer. Sic & *Horatius* dixit levi plectro, *Lib.* 2. *Carm. Ode* 1.

Quare modos leviore plectro.

L.

Ludimus] Hoc quoque est ex *Virgilii* 1. *Eclog.* 10. ubi ait:

Ludere quæ vellem calamo. ———

Quanquam simul respiciat ad remissionem illam animi, per breve carmen: qualis proprie *Ludus* dicebatur, & qui ea utebantur, *Ludere*. Vide *Plin. Lib.* 7. *Epist.* 9. Et quæ nos pridem in opusculo *de Stylo*. *Scheffer.*

Intuere has nænias] *Synesius* προθεωρίᾳ λέγω περὶ ἔνυπν. Ἀρχαῖον οἶμαι καὶ λίαν πλατωνικὸν, ὑπὸ προσχήματι φαυλοτέρας ὑποθέσεως κρύπτειν τὰ ἐν φιλοσοφίᾳ σπουδαῖα. *Julianus Imperator Cæsaribus*: Καὶ αὐτὸς οὐκ ἀτιμάζω τοὺς μύθους οὐ δὲ παντάπασι ἐξελαύνω τοὺς ὀρθῶς ἔχοντας, ἀκόλουθα σοίγε καὶ φίλα

τῷ σῷ. μᾶλλον δὲ τῷ κηρῷ πλάστῃ διανοηθῆναι, ἐπὶ τῇ αὐτῷ πολλὰ ἐν μύθοις ἱστορῆσαι. *Rigalt.* Proprie autem *Nænia* (teste *Nonio Marcello*) est carmen ineptum & inconditum, quod à conducta muliere, quæ Præfica diceretur, iis, qui propinqui non essent mortuis exhiberetur. *Quinctil. Lib. 8. Cap. 2. Tertius est huic diversus translationis modus, cum res communis pluribus, in uno aliquo habet nomen eximium: ut carmen funebre proprie Nænia dicitur.* Et quia hoc ultimum erat quod defunctis canebatur, *Plautus* hoc vocabulo pro fine alicubi usurpavit: *Id*, inquit, *fuit: Nænia ludo*, id est, finis. Improprie vero, & propter inconditum illum canendi morem, pro ineptia cujuslibet cantus, aut sermonis sumitur, unde *Horat. Carm. Lib. 2. Ode 1.*

Sed ne relictis Musa procax jocis
Cæa retractes munera Næniæ.

Quale carmen primus Simonides Poëta Lyricus in Cœa insulâ instituisse dicitur. L.

Quantam sub illis utilitatem] Synesius Ægypt. Διὰ πάντων ὁ μῦθος εἴρηται πρὸς τὸ χρήσιμον ποικιλόμυθος. Aphthonius in *Vita Æsopi*: Νεωτερικὸς δὲ καὶ φιλιμοπάτρις λόγος συνταξάμενος, προσπονήσειν εἰς τὸν βίον προσπλέξας ἀλόγων ζώων ἡδυπάθειαν. Ἐν οἷς ἀνθρώπων σκληρὰ ἔργα καὶ ἤθη αἰθαίρετα, καὶ τρόπους παμποικίλους προσεικάσας. ἐν τοῖς ἐπιμυθίοις ἐδήλωσεν. *Rigalt.* Atque hinc est quod *Gerop. Becan. Hieroglyph. Lib. 13. p. 171.* Poëtarum Fabulas, dicit, ad vitam utilia præcepta per allegorias instituendam confictas. L.

Non semper ea sunt quæ videntur; decipit
Frons prima multos: rara mens intelligit
Quod interiore condidit cura angulo.
Hoc ne locutus sine mercede existimer,
Fabellam adjiciam.

Non semper ea sunt quæ videntur] Theocritus:

Πολλάκις, ὦ πολύφαμε, τὰ μὴ καλὰ καλὰ πέφαντα.

Meurs. Non de solis Fabulis hic noster, sed & aliis generatim, & per sententiam loquitur. Quæ videntur, ait, non semper ea sunt, videlicet quæ videntur sæpe meliora, sæpe deteriora, quam primo intuitu, comparent. *Quæ*, & *ea*, notant hic conditionem naturamque. *Cic.* in *Epist. Ea nostra ratio est*, id est, talis hujusmodi. *Scheffer.*

Quæ videntur] *Eunapius Vita Ædesii*: ὅπως ἔστιν ἐπὶ τοῦ νῦν θεωρεῖν, καὶ τοῖς τὸ σῶμα τοῦ παιδὸς ὁμιλοῦσιν. *Tertullianus Apologetico. Cæcitatis duæ species facile concurrunt, ut qui non vident quæ sunt, videre videantur quæ non sunt.* Sic hominem quem prima ratione fortem, & generosum putes, secundam rationem si inspicias, ignavum, & pavidum judicabis. Elegans apud *Martialem* ἀπόδειγμα, *Lib. 10. Epigr. 25.* De Mutio gladiatore, qui manum urere jussus, præsente molesta tunica, veste ex papyro, & charta pice inlita (sic enim recte tunicam molestam depingit Vetus Interpres *Juvenalis Sat. 1. & 8.*) in qua vivus arsisset totus, ni imperatis paruisset, metu majoris illius mallitatis manum focis imponere maluit.

In matutina nuper spectatus arena
Mutius, imposuit qui sua membra focis,
Si patiens, fortisque tibi, durusque videtur,
Abderitanæ pectora plebis habes:
Nam cum dicatur tunica præsente molesta
Ure manum, plus est dicere non facio.

Vitio gentis humanæ pro vera scientia mendacis opinionis speciosam occasionem sæpe arripimus, quæ judicium deinde nostrum perturbat. Deque hac emphasi, & hypostasi Tractatum edidit eruditissimus Juris-

Juriſconſultus Doctor meus *Bonaventura Irlandus*, in Pictonico Præfidatu Senator, ac eandem nunc conſiderationem bono publico plenius, & uberius retractat. *Rigalt.*

Decipit frons prima multos] *Theognis:*

Πολλάκι τὴν γνώμην ἐξαπατῶσ' ἰδέαι.

Id eſt:

Sæpe externæ animum decipiunt ſpecies.

Rittersh. Et *Accius Bruto:*

——— *quem tu eſſe hebetem deputes æque ac pecus,*
Is ſapientia munitum pectus egregium gerat.

Plautus:

Summa ingenia in occulto latent.

Rigalt. Unde apud *Juvenal. Sat. 2. Verſ. 8.*

Frontis nulla fides. ———

Et *Martialis* dixit:

Nolito fronti credere; nupſit heri.

L.

Rara mens] Non obvia uniuſcujuſque mens, ſed provida, & perſpicax, qualis eſſe ſolet rara. Similiter fere *Tacitus de Morib. German. Cap. 31. Rara cujuſque audentia apud Cattos in conſenſum vertit crinem barbamque ſubmittere.* &c. *Scheffer.*

Cura] Curam eam hic intelligit, qua ſenſus animi abdunt, occuluntque multi. Quorum inſtar eſſe poteſt Tiberius, *Tacito* non uno loco ſic deſcriptus. *Scheffer.* Et præcipue *Lib. 1. Annal.* Ubi poſt exceſſum Auguſti, Imperium ei oblatum eſt, quod, ut inquit *Tacitus*, *Specie recuſantis flagrantiſſime cupiebat.* L.

Sine mercede] Quid hic facit mercedis mentio? Videtur alludere ad morem veterem, quo recitaturi Fabulam ſolemni velut præfatione ſibi audientiam parabant: *Accipe Fabulam, & para aſſem.* As igitur velut merces erat, quam ſibi pro recitationis opera ſtipulabantur. Admonuit de hoc more jam olim *Mariangelus Accurſius* initio Fabulæ ſuæ, de Teſtudine, quam Diatribis ſuis adjecit. *Fabulam*, inquit, *ſpondenti, non ſuit olim vitium inter amicos aſſem petere.* &c. Dicebant enim præfantes, ſe expoſituros Fabulam, ſi audire vellent. qui mos hodieque in vulgo noſtro Saxonico remanet. Ad hanc formulam *Petronius Arbiter* reſpexit, dum aggreditur expoſitionem Fabellæ de Matrona Epheſina. *Rittersh.* Intelligo *Phædrum* noſtrum dicere, hoc præmii ſeſe lectori ſuo daturum, ut Fabulam de *Muſtela*, & *Muribus* ſit narraturus. Scio aliter ſenſiſſe *Rittershuſium*, & *Rigaltium*, ſed cur ab utroque diverſus abeam, nihil cauſæ eſſe puto, cur pluribus exponam. *Fab.* Quid ſi *Sine mercede* idem noſtro ſit, ac *Gratis*; *fruſtra.* Ut ſit ſenſus, ne videor fruſtra dixiſſe, non intelligi à quovis, quid Fabulis ſubſit eruditionis ſapientiæque, en vobis aliquam de *Muſtela*, & *Muribus*, in qua poteſtis experiri vires veſtras, & oſtendere quid innuat. Suadet hanc interpretationem in quod in Fabula ſequenti morale ab auctore non, ut ſolet alias, ſubjicitur. *Scheffer.*

FABVLA SECVNDA.

De Mustela, & Muribus.



MUstela cum annis, & senecta debilis
Mures veloces non valeret adsequi,
Involvit se farina, & obscuro loco
Abjecit negligenter. Mus escam putans,
Adsiluit, & compressus occubuit neci.

M*Ustela cum annis*] Vide *Æsopi Fabulam*: Αἴλουρος καὶ μῦες. *Camerarius* De Corvo, & Vulpe *pag.* 215. & *pag.* 225. De Mustela. Similem in modum Fabulatur *Mich. Glycas Annal.* 1. De Vulpecula. Λέγεται δὲ καὶ τὴν ἀλώπεκα βρωμάτων ἀπορῦσαν ὑπτίαν ὡσεὶ νεκρὰν καὶ φυσᾶσθαι κάντευθεν διογκουμένην αὐτὴν ὁρῶντα τὰ πετεινὰ ἐπιβαίνουσιν αὐτῆς. καὶ ὡσεὶ νεκρᾶς ἅπτονται ἐκπηδήσασα οὖν αἴφνης ἡ νεκρὰ συλλαμβάνει, καὶ κατεσθίει αὐτάς. Mustela, felis. Αἴλουρος, ὁ ἰδιωτικῶς λεγόμενος κάττος. Scholiastes *Callimac. Hymn. in Cerer.* Vetus Glos. αἴλουρος, felax, hæc catta. *Rigalt.*

Involvit se farina] Volvit se in farina, & volutando in ea sic opplet exterius, ut tota farina videatur. *Scheffer.*

Abjecit] Scilicet *se*, eleganter, velut rem vilem, quam & idcirco abjectam appellamus. *Abjicere se in herba* dicit *Cic. de Orat.* 1. *Scheffer.* Quomodo *Virgilius*:

——— *projecta vilior alga.*

L.

Compressus] Puto idem esse ac oppressus. *Cic. in Orat. Harusp. Iam ista serpens, quatum*

tum hic deliteſcit, tum ſe emergit, & ſertur illuc, compreſſa, atque illiſa morietur. Scheffer.

Occubuit necі] Rurſum ad *Virgilium* reſpexit, uti ſolet, is enim ita *Lib. 2. Æneid. Vers. 62.*

——— *ſin certæ occumbere morti.*

Cæterum *Virgilius*, ex *Ennio* deſumpſit, uti *Servius* teſtatur. *Scheffer.*

Alter ſimiliter deinde perit; & tertius.
Aliquot venit ſæculis rete territus,
Qui ſæpe laqueos, & muſcipula effugerat,
Proculque inſidias cernens hoſtis callidi,
Sic valeas, inquit, ut farina es, quæ jaces.

Rete] Pro, reti, *à mare*, pro à mari, *Plautus* dixit. *Rittersh.*

Qui ſæpe laqueos] Infelices mures:

Οἱ ζῶσι πικρῶς, καὶ συλῶσι πᾶς ψίχας.
Οὓς καὶ γαλὴ τρίζουσα, καὶ πλαγὴ, καὶ βρόχος.
Καὶ παγὶς ἐξίτηλος, καὶ βρόχου σίαξ

Phyle: Rigalt. Hic laqueos vocat funiculos muribus captandis compoſitos, & ita nexos ut pondere claudantur; ſicut proprie laquei dicuntur retia & plagæ, quibus feræ capiuntur. *Virgil. 1. Georgic.*

Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inventum. ———

Sic *In laqueum quem venandi cauſa poſueras, aper incidit, l. 55. ff. de acquir. rer. dom. Si laqueos eo loci poſuiſſes, ubi jus ponendi non haberes, & pecus vicinum in eos inciderit, l. 29. ff. ad leg. Aquil.* Inde laqueus, pro quacunque re ſumitur qua quis capi ac irretiri poteſt, nec tantum griphos, ac captioſas argumentationes, ſed & quaſcunque rerum aut verborum difficultates laqueos dicimus. Ut, *Laquei actionum perpetui, l. 1. de Epiſc. Aud. Cod. Theodoſ. Laquei juris, l. un. Si Rect. Provinc. Legis, l. 9. de divers. offic. l. 4. de habitu quo uti. Nov. Theod. & Valentin. ne curial. præd. alien. Novæ conſtitutionis. l. 3. de veſtib. Olover. in cod. Theodoſ.* Quales laqueos *Juvenalis* vocavit juris nodos & legum ænigmata *Sat. 8. Vers. 50.*

——— *Veniet de gente togata*
Qui juris nodos & legum ænigmata ſolvat.

L.

Muſcipula] A muſcipulum, neutro genere. Eſt autem uſitatius, hæc *miſcipula*, genere feminino. *Rittersh.* Notari poteſt *muſcipulum*, quod haud ſcio, an alibi reperias, niſi in *Theſauro Philoxeni. Fab.* Non dubito autem, quin & ſic probati ſcriptores extulerint; ita enim & apud *Apulejum*, veterum verborum ſtudioſum, *decipula* leguntur, *As. 2. Scheffer.*

Laqueos effugerat.] Non ſolum igitur vulpes vetula (de qua proverbium eſt) ſed & mus vetulus difficulter capitur:

Γέρων ἀλώπηξ οὐχ ἁλίσκεται παγῇ
Γέρων δὲ καὶ μῦς οὐχ ἁλίσκεται παγῇ.

Rittersh.

Sic valeas] Id eſt, plane non valeas, ſicut nec farina es, quam eſſe te ſimulas. *Schop.* Eſtque idem, quod male pereas. Exempli gratia, ſi tibi cum ſimulatore, & infido, quique tibi infenſus eſſet, ageres, poſſes dicere, ita valeas, ut mihi ex animo amicus es. Nota eſt ratio bene optandi, precandi, imprecandi, &c. qua nil frequentius apud Comicos. *Fab.* Elegantер *valeas*, velut quæ diſcederet. Diſcedentes enim abeunteſque jubent alios valere; ita mus diſcedens ob ſuſpicionem inſidiarum. *Scheffer.*

Quæ jaces] Reſpicit ſuperius *abjecit ſe*, quaſi diceret, ſimulas te jacere immobilem, farinæ inſtar; verum ſi accederem propius, fieres animata, mobiliſque, meque arriperes. *Scheffer.*

FABULA TERTIA.

De Vulpe & Uva.

FAme coacta Vulpis alta in Vinea
Uvam adpetebat summis saliens viribus;
Quam tangere ut non potuit, discedens ait:
Nondum matura est; nolo acerbam sumere.

FAme coacta Vulpis] *Babrius. Camerarius pag.* 157. *Rigalt.*

Alta in Vinea] Vineam Vites nominat, alta Vinea, est ad perticas ligata, & erecta. *Varro Lib.* 1. *de Re Rust. Cap.* 8. *Multæ species vineæ, aliæ enim humiles, & sine ridicis, ut in Hispania, aliæ sublimes, ut quæ appellantur jugatæ.* Sublimis, & jugata vinea *Varroni*, quæ hic alta. *Scheffer. Horat. Epod. Ode* 16.

Et imputata floret usque vinea.

L.

Nondum matura est] Talis autem *Vinea*, in qua immaturæ adhuc uvæ sunt, eleganter *Cruda* appellatur in *l.* 27. §. 25. *ff. ad leg. Aquil.* L.

Nolo acerbam sumere] *Pallad. Septemb. Acerbitate rigidam uvam*, dixit. Uva acerba, cruda, ὀμφακίζουσα. Vetus Glossar, ὀμφαξβότρυς, *acerba uva, uva immatura*, Unde *vinum crudum*, insuave, *Lucil.* Virgunculæ nondum maturæ, nec ἀνδρὸς δεκτικαί, uvis acerbis, & crudis comparantur. Ismine apud *Eustathium* Philosophum *Amor.* 5. ambitiosius lascivientem Isminiam suum alloquitur: φεῖσαι παρθενίας ἐμῆς, μὴ πρὸ τοῦ θέρους ἐκτίλλης τοὺς σάχυας, μὴ τὸ ῥόδον τρυγήσῃς πρὸ τοῦ κύψαι τῆς κάλυκος, μὴ τὴν σταφυλὴν ὀμφα-

ὀμφακίζουσαν. μὴ πῶς ἀντὶ κέκταρος ὄξος ἐκθλίψῃς. *Nicetas Choniates Andronic.* 1. Καὶ παραγκαλιζόμενος ὁ πέπων τὴν ὀμφακίζουσαν, ὁ ὑπέρωρος τὴν ἡλικίαν, τὴν ὀρθοτίθον νεανίδα, καὶ ὁ ῥικνὸς τῷ χρόνῳ, καὶ χάλαρος, τὴν ῥοδοδάκτυλον καὶ δρόσον ἔρωτος στάζουσαν. *Rigalt.* Proprie autem hic dicit *Acerbam*, atque ita *Cic. de Sen. Uva primo est peracerba. Scheffer.*

Qui facere quæ non possunt verbis elevant
Adscribere debebunt hoc exemplum sibi.

Elevant] Levia, & vilia esse dicunt, contemnunt. *Scheffer.*

Adscribere] Verbum ex re nummularia desumptum. Solebant enim creditores solutam sibi apud mensarium summam jubere transscribi in suas tabulas. Qua de re nonnihil egi in opusculo de *Novis Tabulis*, ante annos plusculos. Et hoc proprie *adscribere* dicebant. Ex eo hic *adscribere* idem est, ac accipere velut ex debito, & suum facere, eleganter. *Scheffer.* Sic *Adscribere in dotem, l.* 2. *C. de dote caut. Adscribere nomen. in divisione, l.* 1. *C. de except.* Unde factum, quod adscribere alicui, & imputare significat, ut *Adscribi damnum l.* 21. §. 1. *ff. de appellat. l.* 1. *C. si tut. vel cur. Adscribi periculum collegæ, l.* 11. *ff. ad municipal.* Id est, imputari, *l.* 40. §. *servus. ff. de statuliber.* L.

FABULA QUARTA.

Equus, & Aper.

EQuus ſedare ſolitus quo fuerat ſitim,
Dum ſeſe Aper volutat turbavit vadum.
Hinc orta lis eſt: Sonipes iratus Fero,
Auxilium petiit hominis: quem dorſo levans,
Rediit ad hoſtem. Jactis hunc telis eques,
Poſtquam interfecit, ſic locutus traditur:

Equus & Aper] *Horatius* de Equo, & Cervo 1. *Epiſt.* ad Fuſcum Ariſtium. *Ariſtot.* 2. *Rhetoric. Cap.* 20. *Camerar. Pag.* 158. *Rigalt.* Hæc Fabula *Æſopi* non eſt, ſed *Steſichori*, qua olim adverſus Phalarim, tyrannum illum immanitate nobilem, præſtantiſſimus Poëta uſus fuit, ut ex *Ariſtotele* diſcere eſt *Lib.* 2. *Rhetoric. Cap.* 20. Locum ipſum legito; magnum enim operæ pretium fuerit. Dicam obiter, initio capitis mendum eſſe, quod non vidit *Riccobonus*; ſed à me alibi corrigitur. Cæterum hanc Fabulam paulo aliter narrant *Steſichorus*, *Horatiuſque*, aliter *Phædrus*, ſed tamen in univerſum res eadem eſt. *Fab.* Hac autem ratione qua homo equi ſibi dominium comparavit, Romanos, defendendo ſcilicet ſocios, Imperij fines, auxiſſe & pleraſque Provincias occupaſſe legimus apud *Livium*, *Florum*, & paſſim apud Scriptores qui Hiſtoriæ Romanæ memoriam poſteris reliquerunt. L.

Quo] Refertur ad ſequens, *Vadum*, pro, *in quo*, omiſſa præpoſitione. Ordo verbo-

verborum hic est: Aper dum sese volutat, turbavit vadum, in quo equus sedare sitim solitus fuerat. *Scheffer.*

Turbavit] Turbulentum fecit, quomodo supra dixit *Lib.* 1. *Fab.* 1. L.

Vadum] Locum in flumine minus profundum qua transire possumus, ita *Liv. Lib.* 8. *Bell. Maced. Pontem quia vado nusquam transitus erat, facere instituit.* Et *Vado transiri flumen* apud ICtum. in *l.* 17. §. *sic etsi. ff. de aq. & aq. pluv. arcend.* Atque hinc proverbialiter apud *Terent. Andr. Act.* 5. *Sc.* 2. *Omnis res est jam in vado.* Et *Plaut. Aulul. Sc.* 6. *Act.* 4. *Hæc propemodum jam esse in vado salutis res videtur.* Vide *Erasm.* in *Adag. Securitatis, & rei tutæ.* L.

Iratus fero] Sic *Cornel. Nep. Vita Attic. Cap.* 17. *Irasci eis nefas duceret. Scheffer.*

Levans] Tollens è terra, dum in se recipit sessorem. *Scheffer.*

Lætor tulisse auxilium me precibus tuis.
Nam prædam cepi, & didici quam sis utilis.
Atque ita coëgit frenos invitum pati.
Tum mæstus ille: parvæ vindictam rei
Dum quæro demens, servitutem reperi.
Hæc iracundos admonebit Fabula
Impune potius lædi, quam dedi alteri.

Precibus tuis] Pro tibi precanti. *Scheffer.*

Vindictam quærens servitutem reperi] Hunc generalis sententiæ versum ex hoc loco sumere licet. Multi tanta ardent vindictæ cupiditate, ut ipsi non recusent sese in servitutem alteri mancipare, aut in aliud malum prævisum præcipitare, dummodo hostem suum sibi ulcisci liceat. Talis & Hecuba describitur ab Euripide, cum sic loquens inducitur: Τοὺς κακοὺς δὲ τιμορουμένη, αἰῶνα τὸν σύμπαντα δουλεῦσαι θέλω, id est, *Istos malos ulcisci dum liceat mihi, me servituti mancipare haud abnuo, Ævum per omne. Cicero* quoque apud *Dionem Lib.* 44. ait; *Multi alios ulcisci cupientes, ipsi una perierunt.* Quam autem Fabulam hic *Phædrus* de Equo, & Apro, eandem *Aristoteles* ex *Stesichori* ad Himerenses oratione narrat de Equo, & Cervo, *Lib.* 2. *Rhetoric. Cap.* 20. Ἵππος κατεῖχε λειμῶνα μόνος· ἐλθόντος δ' ἐλάφου καὶ διαφθείραντος τὴν νομὴν, βουλόμενος τιμωρήσασθαι τὸν ἔλαφον, ἠρώτα τὸν ἄνθρωπον, εἰ δύναιτο μετ' αὐτοῦ κολάσαι τὸν ἔλαφον. ὁ δὲ, φησὶν ἐὰν λάβῃς χαλινὸν, καὶ αὐτὸς ἀναβῇ ἐπ' αὐτὸν, ἔχων ἀκόντια, συνομολογήσαντος δὲ καὶ ἀναβάντος ἀντὶ τοῦ τιμορήσασθαι αὐτὸς ἐδούλευσεν ἤδη τῷ ἀνθρώπῳ. οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς, &c. inquit, *Stesichorus* Himerensibus Phalarim ducem adversus hostes eligere volentibus. *Rittersh.* Hanc etiam Fabulam totidem fere verbis narrat *Horat. Lib.* 1. *Epist.* 10. De Cervo & Equo:

Cervus equum pugna melior communibus herbis
Pellebat, donec minor in certamine longo
Imploravit opes hominis, frenumque recepit:
Sed postquam victor violens discessit ab hoste,
Non equitem dorso, non frenum depulit ore.

L.

Lædi] Elliptice, pro, *Potius esse*, id est, melius, *Lædi impune*, hoc est, nulla sequente pœna læsionem eam, elabente reo. *Scheffer.*

Lædi quam dedi] Παρανομασία, & ἀντανάκλασις elegans, si sit rara in scriptis, tanquam ἥδυσμα, non si subinde reponatur, tanquam ἔδεσμα; qua affectione

ctione tamen quidam sibi mirifice placent *Rittersh.*]

Hæc iracundos] Οὕτω δὲ καὶ ὑμεῖς, inquit, apud *Aristotelem Stesichorus*, ὁρᾶτε μὴ τοὺς πολεμίους βουλόμενοι τιμορήσασθαι ταὐτὸ παθητε τῷ ἵππῳ. &c.

Fab. Unde *Horat.* 1. *Epist.* 2.

—— Qui non moderabitur iræ
Infectum volet esse, dolor quod suaserit & mens
Dum pœnas odio per vim festinat inulto.

L.

FABULA

FABULA QUINTA.

POETA.

PLus eſſe in uno ſæpe quam in turba boni,
Narratione poſteris tradam brevi.

Plus eſſe in uno] Æmilius Probus de Epaminonda, *Quamdiu ille præfuerit Reſp. Caput fuiſſe totius Græciæ: ex quo intelligi poteſt unum hominem pluris, quam civitatem fuiſſe. Juſtin. Lib. 4. Cap. 4. Ab his mittitur Gylippus, ſolus, ſed in quo inſtar omnium auxiliorum erat. Ne velet.*

Poſteris tradam] Vetus inſcriptio Prænestæ:

ACCIPE POSTERITAS QUOD POST TUA SÆCULA NARRES.

Rigalt. Plenus bonæ ſpei fuit *Phædrus*, ad poſteritatem perventura eſſe ſcripta ſua: quæ ſpes ei pene decollaviſſet, abſque *Pithœis* Clariſſimis fratribus, quibus vitam debet: ſic ſupra *Lib. 3. ad Eutych.*

Habebunt certe quo ſe oblectent poſteri.

Et infra in fine hujus *Libri 4.*

Dignumque longa judicatis memoria.

Sic & *Lib. 5.* ubi *Poëta ad Partic.*

——— *nomen chartis victurum meis*
Latinis dum manebit pretium literis.

Rittersh. Scilicet hoc plerique Poëtarum de Scriptis ſuis & carminibus ominati ſunt *Ovid.* in calce *Metamorph.*

Jamque opus exegi quod nec Jovis ira, nec ignes
Nec poterunt ferrum, nec edax abolere vetuſtas
Cum volet illa dies quæ nil niſi corporis hujus
Ius habet: incerti ſpatium mihi finiat ævi
Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar: nomenque erit indelebile noſtrum.

Item

Item *Lib. 3. Amor. Eleg. 15. in fin.*

Imbelles Elegi, genialis Muſa valete,
Poſt mea manſurum fata ſuperſtes opus.

Et *Horat. Carm. Lib. 3. Ode 30.*

Exegi monumentum ære perennius
Regaliqueſitu Pyramidum altius:
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam. Uſque ego poſtera
Creſcam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine Pontifex.

Sumunt quippe ut & *Horatius* ibidem paulo poſt dixit:

——— ſuperbiam
Quaſitam meritis. ———

L.

Quidam decedens tres reliquit filios:
Unam formoſam, & oculis venantem viros:
At alteram lanificam, & frugi, ruſticam:
Devotam vino tertiam, & turpiſſimam.

Quidam decedens] Hac Fabella continetur elegans, & ſubtilis τῶν ἀπόρων quæſtio: Cujuſmodi eſt, quæ ab Africano proponitur in *l. qui quadraginta ff. ad leg. Falcid. Rigalt.*

Decedens] Proprie de mortuis lege naturali. *Scheffer.* Etenim pro diem obire ponitur *l. 26. ff. de recept. arb. l. 4. ff. qui ſatisd. cog.* Quod ſexcentis Pandectarum locis invenies. Interdum tamen additur *Vita decedere*, quæ locutio Papiniano familiaris eſt *l. 42. ff. de don. mort. cauſ. l. 75. §. ult. ff. de legat. 2. l. 10. ff. de ann. legat. l. 8. de dote præleg. l. 77. §. Mævio. & §. libertis. ff. de legat. 2. l. 57. §. ult. ff. de uſufr. l. 84. & 86. ff. de acquir. vel omitt. hær. l. 11. §. ult. ff. de bonor. poſſeſſ. ſec. tab. l. 17. §. ult. ff. de Caſtr. pec. l. 12. ff. de lege Corn. de falſ. l. 13. ff. de ſnoffic. teſt.* Eodemque loquendi genere utuntur Impp. in *l. 1. C. de reſtitut. l. 1. C. ne de ſtat. defunct.* Nec tantum homines, ſed & equas, & reliqua animalia *Decedere* Juriſconſulti dicunt *l. 1. §. & cum. ff. ſi quadr. paup. l. 10. §. ult. ff. quib. mod. uſufr. l. 65. §. 1. ff. de legat. 1.* Et *Fœtus pecorum l. 70. §. ult ff. de uſufruct.* Item *Capita gregis, l. 13. ff. de pignorib.* L.

Reliquit] Etiam hoc eſt inter propria. *Corn. Nep. Vita Attic. Cap. 13. Domum habuit ab avunculo hæreditate relictam. Plaut. Aulul. Act. 3. Sc. 1. Agri reliquit ei non magnum modum. Cornel. Nep.* Iterum in *Epam. Cap. 10. Male in eo conſulere patriæ, quod liberos non reliqueret. Scheffer.*

Oculis venantem viros] Oculis devorantem draucos. *Martial. Rigalt.* Quia ἐν τῷ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν. Sic & *Ovidius* dixit, amores venari. Elegantiſſime. Nam formoſa femina tanquam viſco volucres, ſic ipſa adoleſcentes capit, & attrahit. *Plautus*, ſi bene memini, *Venaturam oculis facere*, dixit. *Rittersh.* Ita *Seneca*, *Lenocinium puellare* vocat, *Declam. 4. p. 472. Mutirbrem veſtem ſumpſit. Capillos in feminæ habitum compoſuit. Oculos puellari lenocinio circumdedit.* Hi *Apulejo* in *Apol.* *Oculi illices* dicuntur. *Quis non diſciplinam matris agnovit? Cum in puella videret immedicatum os, & purpuriſſatas genas, & illices oculos. Nevel.* Porro venari dicitur, quæ captat, & vulnerat oculis. Quale genus locutionis &. in Sacris reperitur. Vide *Cantic. Cap. 4. Scheffer.* Elegantiſſime in hunc ſenſum Ingenioſiſſimus Nequitiæ Arbiter *Petronius*, in *Satyr. Quo enim*, inquit, *ſpectant flexæ pectine comæ? quo facies medicamine attrita: & oculorum quoque mobilis petulantia? quo inceſſus tute compoſitus; & ne veſtigia quidem pedum extra menſuram aberrantia, niſi quod formam proſtituis ut vendas?* L.

Alteram lanificam] *Lucilius Sat. 6.*

——— Thaunomeno, inquit, valva ſoverem
Lanificam dici ſiccam atque abſtemiam ubi audit.

Rigalt.

Rigalt. Sic *Lanificas quæ familiam ruſticam veſtiunt*, dixit ICtus. in *l.* 12. §. 5. *ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* L.

Ruſticam] Laborioſam exponit *Phraſcius.* Ego aliter intelligo hæc verba, quia ſequitur *Date lanificæ ruſticæ*, nec enim jungere ſic potuiſſet abſque tautologia, ſi id voluiſſet, quod putabat *Phraſcius.* Credo igitur, opponere ruſticam illi viros venanti oculis, id eſt, elegantia morum, amabilitate vultus, compoſitione docta omnium membrorum allicienti viros. Et ſic eam intelligere, quæ ſit rudis, & agreſtis negligens illas artes, quibus ſtudent alias placere puellæ. Sic *Ruſticos homines* vocat Belon apud *Curtium Lib.* 6. *Cap.* 2. quos auctor prius dixerat, *Civilis habitus rudes.* Ita & *Virgil. Ecl.* 2.

Ruſticus es, Coridon, nec munera curat
Alexis.

Scheffer.

Devotam vino] Id eſt, deditam, ut apud *Virgil.* 4. *Æneid. Dido poſti devota futuræ.* Et *Cic.* 3. *Tuſcul. Devotus, & donatus ſtudiis. Rittersh.* Sic & *Varro, Devotum animum alicui*, dixit: Et Tiberius apud *Sueton. Cap.* 67. *Si quando de moribus meis, devotoque vobis animo dubitaveritis. Scheffer.*

Harum autem matrem fecit hæredem ſenex
Sub conditione; totam ut fortunam tribus
Æqualiter diſtribuat, ſed tali modo:
Ne data poſſideant, aut fruantur: tum ſimul
Habere res deſierint, quas acceperint,
Centena matri conferant ſeſtertia.

Sub conditione] Hac lege, hac limitatione; formula propria Juriſ-conſultorum. Vide *l. ſi quis. ff. de condit. & demonſtr.* cum *l. ſiq.* & aliis. *Scheffer.*

Totam ut fortunam] Ἅπασαν τὴν οὐσίαν. Uſitatius eſt plurale: totas fortunas. *Rittersh.* Rem familiarem intelligit, bona hæreditaria, in ſingulari quod notandum. *Horat.* 1. *Epiſt.* 5.

Quo mihi fortuna, ſi non conceditur uſus.

Sic enim cum pleriſque *M S C.* legendum atque exponendum eſſe locum hunc, vel ex hiſce noſtri cenſeo, contra *Lambini* ſententiam, atque aliorum. *Scheffer.* Frequentius etiam ICtis. plurale *Fortunæ*, pro ſubſtantia, bonis & facultatibus uſurpatur *l.* 2. §. *ſi qui ex vectoribus. ff. ad leg. Rhod. de jact. l.* 16. *ff. ad Sc. Trebell.* Ut *Fortunarum univerſarum ſocietatem coire, id eſt, earum quoque rerum quæ poſtea cuique acquirentur l.* 73. *ff. pro ſoc.* Eodemque ſenſu *Fortunam* numero ſingulari uſurpavit *Scævola* in *l.* 40. §. *argentarius. ff. de ſtatulib.* His verbis: *Cum pæne totam fortunam in nominibus haberet.* L.

Ne data poſſideant, aut fruantur] Frui data, pro datis, antique. Sic ſupra *Lib.* 3. *Fab.* 7. *Fruere quæ laudas. Rittersh.* Eodem modo & *Plant. Act.* 5. *Sc.* 1. *Exorari poterit, ut ſinat ſeſe hanc frui.* Ita habent libri veteres, quod neſcio cur mutarint. *Cato de Re Ruſt. Cap.* 149. *Pabulum frui occipito ex Kal. Sept. Scheffer.* Ἐμφατικῶς autem dixit *Fruantur*: plus enim eſt frui quam uti; nam *Uti* eſt ad uſum, & neceſſitatem uti; *Frui*, eſt omnem rei fructum commoditatemque & utilitatem percipere *l.* 23. *ff. commun. divid.* Itaque qui fruitur, non ad uſum modo quotidianum, ſed & abuſum, id eſt, ad compendium, & quæſtum uti poteſt. Vetus Gloſſarium: *Frui dicitur, qui fructus percipit. Donatus* in Adelph. *Terent. Act.* 5. *Sc.* 8. Ad hæc verba: *Huic demus qui fruatur, id eſt qui fructum capiat, non qui proprietate potiatur.* Idemque in *Eunuch. Act.* 4. *Sc. ult.* Frui proprie quid ſit docet. *Frui commode* dixit ICtus. in *l.* 12. *ff. de liber. cauſ. Pecunia, l.* 26. *ff. quand. dies legat. Publice, l.* 1. *ff. de Publican. Frui ſalario, l. ult. C. de Offic. Aſſeſſor. Si conductori re quam conduxit frui non liceat, l.* 15. *ff. locat. Colonis ſi ei frui non liceat l.* 24. §. *colonus. eod.*

eod. tit. Ut ei præſtetur frui quod conduxit licere, l. 9. eod. Sic *Fruendi cauſa accipere l. 10. ff. de præſcript. verb. Fundum fruendum alicui locare l. 25. §. 1. ff. locat. l. 7. §. 1. ff. ſol. matr.* Et apud *Livium Lib. 27. & 45. Qui ſuum prædium fruendum locaverit, l. 35. ff. locat. Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt à municipibus l. 1. ff. ſi ag. Vectig. Fruendum locum publicum locare, & conducere l. 1. ff. de loc. publ. fruend.* Sic *Vitruv. Lib. 7. Cap. 8. Non tamen etiam Lemno, cujus inſulæ vectigalia Athenienſibus S. P. Q. R. conceſſit fruenda.* Sæpius etiam hac ſignificatione vocabula uti, frui conjunguntur, & re qua alias frui, utifrui dicimur, unde uſusfructus denominatus eſt. L.

Tum ſimul] Tum eſt tunc, & refertur ad *Conferent. Scheffer.*

Centena] Hoc eſt centum ſingulæ, quæ valent 2500. ſcutatos monetæ Italicæ, vel 300. Imperiales. Vide Cl. *Gronovium*, in *de Seſterto* feliciſſimi ingenii, ac profundiſſimæ eruditionis opere. *Scheffer.*

Athenas rumor implet, mater ſedula
Juriſperitos conſulit. Nemo expedit,
Quo pacto non poſſideant, quod fuerit datum,
Fructumve capiant: deinde, quæ tulerint nihil,
Quanam ratione conferant pecuniam.

Implet] Eleganter ad exprimendam magnitudinem ejus, propter Varitatem caſus. Sic. *Ovid. Orbem gloria complet. Scheffer.*

Sedula] Diligens, & intenta ad explicandam defuncti voluntatem, ſic *Sedulum officium* dicitur, *l. 8. C. qui pet. tutor.* L.

Juriſperitos conſulit] ICti. ſicut teſtamentis faciendis ſæpe adhibebantur: (id quod multis auctoritatibus probat *B. Briſſon. Lib. 7. Formul.* Et ego amplius confirmo quodam loco epigrammatis *Agathiæ*, quod extat *Lib. 2. Antholog. Tit. 22.* Εἰς ἰατρὸν. Ubi medicus ægroto ſuadet, ut Juriſperitum accerſat, condendi cauſa teſtamenti:

Θάρσει. τὸν νόμιμον δὲ κάλει· καὶ χρήματα σαυτῷ
Εὖ διαθεὶς, βιότου λῆγε μεριμνοτόκου.)

Ita iidem & de interpretatione ultimarum voluntatum conſulebantur, ſi ambigue quid ſcriptum, nuncupatumve eſſet, ut voluntatem teſtatoris per conjecturas quaſdam indagarent, tanquam venator, & canis ſagax feram per veſtigia ejus perſequitur, uſque ad cubilia. *Ruterſh.* Proprie autem *Conſulere* de peritis juris dicitur, unde, & *Conſulti* nominantur. *Cic. in Mur.* De ICtis. *& veſtrum illud* LICET CONSULERE. *Scheffer.* Prudentes enim & Juriſperiti conſuli dicebantur his à quibus conſilii expetendi cauſa adibantur *l. 41. ff. de reb. cred. l. 47. §. ult. ff. de hæred. inſt. l. 14. §. quidam. ff. de adim. leg. l. 52. §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. 15. ff. de public. l. ult. ff. ſi quadr. paup. l. 14. §. ult. ff. de pecul. leg. l. 17. §. ult. ff. ſi ſerv. vind. l. 6. ff. de manumiſſ. l. 43. §. ult. ff. de damn. infect. l. 19. ff. ad exhib. l. 57. ff. de judic. l. 9. ff. de re judic.* In quo verbo ſcite ita luſit *Cic. Lib. 7. Epiſt. Famil. 3. Conſuli quidem te à Cæſare ſcribis: ſed ego tibi, ab illo, conſuli mallem.* Et *Epiſt. 13. Puto te malle à Cæſare conſuli, quam imperari. Conſulentibus* autem *Reſpondebant Juriſconſulti, l. 2. §. & ut obiter. ff. de orig. jur.* Inde hæc non raro in libris noſtris, *Conſultus reſpondit, l. 78. §. filiam. ff. ad Sc. Trebell. l. 5. ff. de adim. leg. l. 7. ff. ex quib. cauſ. in poſſeſ. l. 1. §. ult. ff. ad leg. Falcid. l. 191. ff. de reg. jur. l. 16. §. ult. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg.* Hinc *Conſultum Juris* dixit *Horatius* pro Juriſperito, & *Conſultum* abſolute *Ovid. Lib. 1. de Arte Amand.* cum ait:

Illo ſæpe loco capitur Conſultus amore.

Et *Lib. 3. Amor.*

Atque eadem ſponſum Conſulti ante Atria mittit.

Conſul-

Conſultos etiam pro Juriſperitis accipe apud *Horat. Lib. 2. Epiſt. 2.*

Quædam, ſi credis Conſultis mancipat uſus.

Quæ vox & augmentum gradus admittit. Et ita *Conſultiſſimus Princeps l. 1. C. ne lic. potent. l. 6. C. de teſtam. manum. Conſultiſſimus Vir, l. 3. C. de acquir. & retin. poſſeſſ.* Ita & *Liv. Lib. 1.* de Numa: *Conſultiſſimus Vir, ut in illa quiſquam ætate eſſe poterat, omnis Divini, atque Humani Juris.* Inde & *Conſultor* dicebatur, qui Juriſperitum conſulebat. *Cic. pro Murana: Vigilas tu de nocte, ut Conſultoribus tuis reſpondeas.* Idem *Tuſc. Quæſt. Lib. 2. Druſi domum Conſultoribus compleri ſolitam accepimus.* Et *pro Cornel. Balb. Q. Scævola Augur cum de jure Prætorio conſulerctur, homo Juriſperitiſſimus, Conſultores ſuos nonnunquam* &c. Ita & *Horat. Lib. 1. Sat. 1.*

Sub Galli cantum Conſultor ubi oſtia pulſat.

Ad quem locum Vetus Interpres: *Conſultor*, ait, *qui conſilium rogat: nam Conſultus eſt, qui dat conſilium.* Hinc *Conſultatio*, quæſtionem ſeu facti ſpeciem Juriſperito propoſitam, & de qua Juriſperitus conſulitur ſignificat, *l. 27. §. Sticho. ff. de liber. leg. l. 27. ff. qui teſtam. fac. poſſ.* Sic *Conſultationi inſerta verba l. 34. ff. de legat. 2. Secundum ea quæ in Conſultatione collata eſſent, l. 14. §. quæ Marco. ff. de ann. legat.* Et *Cic. Lib. 1. de Legib. Non enim id quæris hoc ſermone, Pomponi, quemadmodum in jure caveamus, aut quid de quaque conſultatione reſpondeamus.* Idem in *Topic. Juriſperiti de conſultationibus ſuis diſputant.* Sed & *Conſultatio* ſimilitet appellatur, cum ad Imperatorem quid de jure dubitans, Magiſtratus refert: Ad cujuſmodi *Conſultationes reſpondere*, & *reſcribere*, dicitur. *Ad Conſultationes Proconſulum reſpondere, l. 6. §. legatos. ff. de Offic. Proconſ. Arrius Severus quia dubitabat, ad Imperatorem Severum retulit: ad quam Conſultationem Succeſſor ejus Benidio Severo reſcripſit, l. 11. §. ex facto. ff. de minorib. Si Præſes Provinciæ, vel quis alius, conſuluerit, & ad Conſultationem ejus fuerit reſcriptum, l. 1. §. 1. ff. de appellationib.* L.

Expedit] Ut ſupra *Lib. 3. Fab. 14. Expedi quod fecerim. Scheffer.*

Tulerint] Acceperint, *Plaut. Merc. Act. 2. Sc. 3. Scheffer.*

Poſtquam conſumpta eſt temporis longi mora,
Nec teſtamenti potuit ſenſus colligi,
Fidem advocavit jure neglecto parens:

Fidem advocavit] Hoc eſt mater, cum à ICtis. non poſſet hæc res expediri, in tam mirabili, & inextricabili teſtamento, ipſa fidem implevit, nullo licet jure cogente. Vide *Inſtit. de fideicommiſſar. Hæreditat.* & *de Codicillis.* Item *Plin. Lib. 5. Epiſt. Rittersh.* Eleganter, & proprie uſurpat illud *Advocare.* Advocantur enim, à quibus jus exquiritur. *Aſcon. de Divin. Advocatus dicitur, qui jus ſuggerit.* Cæterum quia qui ſuggerere jus debuerant, non poterant id explicare, ideo hic *fidem* advocat. Intelligit autem fidem bonam, ex qua teſtamento ſtudet ſatisfacere, quando ex jure non poteſt. *Scheffer.* Fecit ſcilicet, quod, ſalva fide, & conſcientia ſecundum æquitatem, & naturalem interpretandæ voluntatis rationem facere ſe poſſe exiſtimabat, quamvis Jure ejuſque ſcripta interpretandi ratione explicari non poſſet; ex præſcripto ICti. in *l. 2. §. 5. ff. de aq. & aq. pluv. arcend. Hæc*, inquit, *æquitas ſuggerit, etſi jure deficiamur.* L.

Jure neglecto] Id eſt (locus enim dignus qui explicetur) fide ſua uſa eſt mulier, & ut in teſtamento perſcriptum fuerat, ita fecit, ad priorem partem quod attinet, ut ſcilicet *Tribus æqualiter diſtribueret*; Conditionem autem adpoſitam, *Sed tali modo ne*, &c. cum non videret quopacto explicare poſſet, *Neglecto jure*, priori parti teſtamenti ſatisfecit. *Fab.* Vult itaque, quantum video intelligere *Faber* de eo jure, ex quo talis conditio ſimul debuiſſet obſervari. At vero jus eſt nullum, quod ejuſmodi conditionem obſervare jubet,

jubet, quin imo, quæ non poſſunt ratione ulla explicari, ea pro non ſcriptis haberi, Juriſperiti tradunt. Itaque cum ſic negligi jus, quod fuit nullum, non potuerit, *Neglectum jus*, de conſultis juris interpretor, quaſi diceret noſter, non amplius curaſſe ipſos, nec exſpectaſſe diutius, ſi forte invenírent aliquid, ſed quod poſſet id bona fide feciſſe. Ut ſit *jus* contrarium præcedenti *fidei*, & hic poſitum ſicut *Lib.* 3. *ad Eutych. Servius*, & alia paſſim apud noſtrum. *Scheffer.*

Seponit mœchæ veſtem, mundum muliebrem, Lavationem argenteam, Eunuchos glabros:

Veſtem mundum muliebrem] Veſtis muliebris, mundus muliebris, ornamenta muliebria diſtinguuntur *l.* 25. *ff. de aur. & arg. leg. Rigalt.* Ita *Terent. Heautontim. Act.* 5. *Sc.* 1.

——— *Scilicet*
Sponſæ veſtem, aurum, atque ancillas
opus eſſe; argentum ut dares.

Ornamenta autem, veſtes, monilia, anuli, mundo muliebri non continentur *l.* 32. §. *Titia. ff. de aur. & arg. leg. l.* 100. §. *uxori. ff. de legat.* 3. *Tertullian. Lib. de Habit. Mulieb. Habitus feminæ duplicem ſpeciem circumfert, Cultum, & Ornatum. Cultum dicimus quem immundum muliebrem convenit dici. Ille, in auro, & argento, & gemmis deputatur. Iſte, in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt. Alteri ambitionis crimen intendimus, alteri poſtitutionis.* Et ita mundum muliebrem accipe in *l.* 39. *ff. de uſu, & uſufr. leg. l.* 39. *ff. de aur. & arg. leg.* Sic *Varro Lib.* 4. *de Ling. Lat. Mundus muliebris dictus à munditia.* Itemque *Feſtus. Mundus etiam dicitur ornatus muliebris, quia non alius eſt, quam quod moveri poteſt: Atejus cum virginali mundo clam pater. Liv. Lib.* 37. *Munditiæ, Ornatus, & Cultus, hæc feminarum inſignia ſunt. Hinc mundum muliebrem appellarunt majores noſtri.* Inde *Sen. Lib.* 1. *Natural. Quæſt. ad fin. Adeoque omnia indiſcreta ſunt perverſiſſimis artibus, ut quicquid mundus muliebris vocatur, ſarcinæ viriles ſint, minus dico, etiam militares.* Mundum id neutro genere dixit *Lucil. Sat.* 16. ut eſt apud *Agell. Lib.* 4. *Cap.* 1. Et *Non. Marcell.* Hoc Γυναικεῖον κόσμον appellat *Ariſtophanes* in Θεσμοφοριαζούσαις. Cujus etiam de ea re verba retulit *Clemens Alexandrin. Lib.* 2. *Pædagog. Cap.* 12. L.

Lavationem argenteam] *Ulpianus* in *l. argumento. ff. de aur. & arg. leg. Mundus muliebris eſt, quo mulier mundior fit. Continentur eo ſpecula, matulæ, unguenta, vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt, veluti lavatio, riſcus.* Errant viri docti, qui legunt, *Veluti alabaſtrum*, &c. Concha, lavatio argentea *Sidon. Apollinar. Lib.* 4. *Epiſt.* 8. *Rigalt.* Sane ſi res mei foret arbitrii, *Lavationem argenteam*, ego dicerem innuere ſupellectilem omnem balneariam, ut ſtrigiles, guttos, urceolos, & id genus; maximæ cum ſequatur ex oppoſito de inſtrumento ruſtico. *Scheffer.* Atque hoc eſt procul dubio quod ICtus. in *l.* 32. §. 7. *ff. de aur. & arg. leg. Argentum balneare* vocat. Ὁ τῶν λουτρῶν ἀργυρος in Baſilicis dictum. Adde *Paul.* 3. *Sentent.* 6. §. 83. Cujus generis eſt ſpeculum argenteum, *l.* 19. §. *idem Celſus. l.* 25. §. *mundus. ff. eod.* Novit ſpeculum argenteum etiam *Plinius*, & diſpoſitio cœnæ *Cypriani.* Matula quoque eſt in argento Balneari ἀρύταινα *Polluci*, & Gloſſis ampulla olearia. Vide *Cujac. Lib.* 10. *Obſerv.* 17. Erant autem balnea lavationibus deſtinata, unde *lavare* Veteribus ſignificat corpus aqua in balneo abluere, ut *In publico balneo lavare, l.* 2. §. *ſi quis. ff ne quid in loc. publ. Qui in publicum lavare non patiatur l.* 13. §. *ult. ff. de injur. Ædilis in municipio balneas condixerat, ut eo anno municipes gratis lavarentur, l.* 30. §. 1. *ff. locat.* Nam, ut hoc obiter moneam, quadrantem ſolvebant, qui in thermis & balneis publicis lavabantur. Poëta alibi:

Cædere Sylvano porcum, quadrante lavari.

Et *Horatius Serm. Lib.* 1. *Sat.* 3.

——— *Dum tu quadrante lavatum*
Rex ibis. ———

A pueris

A pueris autem adhuc impuberibus quadrans ille non exigebatur, imo nec lavabantur in thermis & balneis publicis. Unde *Juvenal. Sat. 2. Vers. 152.*

Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur.

Lavandi gratia Prætor in publicum prodire dicitur, *l. 7. ff. de manumiss. vind. Terent. Eunuch. Act. 3. Sc. 5.*

Accersit. Lavatum interea virgo it, lavit.

Et *Heautontim. Act. 4. Sc. 1.*

Eo lavatum.

Horat. Lib. 1. Serm.

Ast ubi me fessum Sol acrior ire lavatum.
Admonuit. ———

Martial. Lib. 1. Epigr.

Invitas nullum, nisi cum quo Cotta lavatur.
Et dant convivam balnea sola tibi.

Atque ita accipe quod *Cic. 1. Offic.* ait: *Majores nostri neque patrem cum filio, neque socerum cum genero lavari voluerunt. Tertull.* in *Apologet. Cap. 42. Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam: attamen lavor honesta hora & salubri, quæ mihi, & calorem & sanguinem servet.* Itaque apud eundem, ejusdem *Lib. Cap. 44. Lavantium prædo*, est qui ICtis. nostris Fur Balnearius dicitur. Porro veterum lavandi morem refert *Sen. Epist. 86. Aqua ad lavandam familiam paratur* inquit ICtus. in *l. 12. §. si aliqua. ff. de instruct. vel instrum. leg. Ut habiles ad lavandum balineæ fierent, l. 35. §. ult. ff. de legat. 3.* Sic *Mulieres quæ se mundaverint lotæ in balneo, l. 25. §. ornamentorum. ff. de aur. & arg. leg.* Hinc *Lavationem præbere l. 30. §. 1. ff. locat.* Et *Lavatio frigida, quam Græci λετρὸν vocant*, apud *Vitruv. Liv. 5. Cap. 11.* Ac propterea *Lavacrum* pro balneo usurpatur *l. 18. C. de oper. publ. Lib. 10. l. 10. C. de Episc. Aud. l. ult. C. de custod. Reor. in Cod. Theod. l. 13. de navicular. in Cod. Theod.* Unde *Lavacra Pop. Rom. l. 3. C. de collat. donat. donat. relevat. poss. in Cod. Theod. λετρὰ καὶ θερμαὶ* Græci vocant. L.

Eunuchos glabros] Notandum Eunuchos fuisse in mundo muliebri, sed cui bono Mœchæ Eunuchi dati? Puta, ut delicias dicerent, flabello ventulum facerent, vanam & sterilem libidinem suscitarent. *Juvenal. Sat. 6.*

Sunt quæ Eunuchi imbelles ac mollia semper
Oscula delectent, & desperatio barba,
Et quod abortivo non est opus. ———

Martial. Lib. 6. Epigr. 67.

Cur tantum Eunuchos habeat tua Gellia quæris?
Pannice, vult fatui Gellia, non pavere.

Cyrillus apud *Suidam*: Εἰώθασι γὰρ ὡς ἀκελβῶς μεμαθήκαμεν, οἱ μόνοι οἱ σπάδονες καὶ τὰ μόρια τῆς αἰσχρουργίας πόσῳ ἔχοντες ἀστλγαίνειν ἀμέτρως καὶ ἀκολασταίνειν ἀναιδῶς, καὶ ἀκρήτως, ἀλλά γε καὶ αἱ τίλεοι λάτνηθοι καὶ σπερμαίνουσι ταῦτα, καθάπερ ἂν καὶ οἱ σὺν γένει ἱστερημένοι ταῦτα φεῦ τῆς ἰσχάτης ἀτοπίας καὶ φρενοβλαβείας, διὰ χειρῶν καὶ δακτύλων φθείρειν τὰς γυναῖκας, καὶ τὴν ἀνωσικρυίαν ἔτως ἐμμανῶς κακιεργάζεσθαι. Alias Eunuchi virginibus, mulieribusque custodes, & comites additi, quasi tutius Eunuchi possint γυναῖκ' ἔχειν, καὶ φυλάσσειν. At ipsi sæpe, ut ait idem *Cyrillus*, ὡς φύλακες ἅμα καὶ σωφροσύνης δῆθεν ἐνδιάλμασι μετὰ γυναικῶν καθίζοντες ἀναισχύντως καὶ ἀπηρυθριασμένως αἰσχρουργοῦσι. Optimi vero Eunuchi τῶν δὲ τὶ ἓν τῶν ἔχειν, καὶ ἀπηλλάχθαι τῶν ἀφροδισίων: Sic in Sacris Literis beati Eunuchi: στρεβλούμενοι τὰς ἐπιθυμίας, οἱ ἰσχυρίσαντες ἑαυτοὺς διὰ πάσης ἁμαρτίας, καθαιρίζοντες τὴν συνείδησιν ἀπὸ νεκρῶν ἔργων. Sic ingeniosissimus *Epiphanius Serm.* Εἰς τὴν ἁγίαν. Ταφὴν τοῦ κυρίου Θεοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, Joseph virum Mariæ ἄνανδρον vocat, quasi sine viro; ἐκεῖ Ἰωσὴφ ὁ ἄνανδρος αὐτῆς τῆς μαρίας, ἐνθὲ Ἰωσὴφ ὁ ἐκ Ἀριμαθαίας. Nuper in Vetere Glossario M. S. legebam: ἄνδρα αὐτὴ τοῦ μνησῆρα. ὡς τὸ τὴν ἄνανδρα Μαρίας. *Lexic. Cyrill. M. S.* Εὐνοῦχος ὁ ἄγαμος. Hinc emendandus *Suidas*: μονότροπος, μονὸς τραφείς,

ἀγαθῆς, ἀγύναι. Legendum ἄγαμε. *Rigalt.* Quo pacto Eunuchi in deliciis & uſu fuerint mulierum, ut ex aliis ita etiam *Terentio* in *Eunucho* conſtat, ubi *Act. 2. Sc. 3.* ait:

O fortunatum iſtum Eunuchum, qui quidem in hanc detur domum.
PA. *Quid ita?* CH. *Rogitas? ſumma forma ſemper conſervam domi*
Videbit: conlequetur, aderit una in unis ædibus:
Cibum nonnunquam capiet cum ea: interdum propter dormiet.

Atque hinc Imperatores dixerunt: *Eunuchum ſacri cubiculi miniſteriis adhæſurum* in *l. 4. C. de præpoſ. ſacr. Cubic. Lib. 12.* Caſtratis enim cubicullariis etiam principes utebantur, quos etiam Eunuchos dici plerique putant à cubiculo cuſtodiendo, quod ἔχειν ſignificet etiam cuſtodire. *Leo Nov. de Eunuchis 98.* Καὶ τῆς εὐνῆς αἰνιπόπτους φύλακας εἶναι τοῦτο γὰρ ἡ κλῆσις ἐγγυᾶται. Qua de re vide quæ ſcripſit *Cujac in l. 6. ff. de lib. & poſth. Ambroſ. 5. Epiſt. Gallicanus Præpoſitus Cubiculi, Eunuchus Regius. Socrates 6.* Εὑρεθῆναι γὰρ εὐνοῦχος τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος, καὶ τὴν τοῦ ὑπάτου ἀξίαν παρὰ τῶν εὐνούχων λαβών. *Euagrius Lib. 4.* Οἱ τῆς βασιλικῆς ἐξυπηρετοῦντες κοιτῶσι ἐς εὐνούχους ἡ συνήθεια καλεῖ. *Claudian. in Eutrop. 1.*

Præfecti ſed adhuc gemmis veſtique dabantur.
Cuſtodes, ſacroque adhibere ſilentia ſomno.
Militia Eunuchi nunquam progreſſa cubile.
Non vita ſpondente fidem, ſed inertia tantum
Mentis pignus erat, ſecreta monilia ſervent
Ornatus curent Tyrios. ———

Hoc enim habitu naturæ fuit Eutropius ille, quo Conſule omnia monſtra ceſſiſſe, ſcite. Idem *Claudianus* ait: quem in Cyprum Inſulam relegatum, ejuſque facultates in fiſcum coactas, teſtatur *l. 17. de pœn. in Cod. Theodos.* L.

Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:

Villam] Villa plerumque ædificium fundi ſignificat, *l. 81. §. 3. ff. de legat. 1.* Ejuſque Etymon vide apud *Varr. Lib. 1. de Re Ruſt. Villa cogendis & conſervandis fructibus neceſſaria, l. 32. §. 2. ff. de uſu & uſufr. leg. l. 50. ff. de uſufr.* Interdum tamen villa acceſſio erat fundi, *l. 8. & 10. ff. quib. mod. uſufr. amitt.* Et alias villarum nomen ruſtica ædificia eſt *l. 213. ff. de Verb. Signif.* L.

Operarios] Quales ſunt qui in villa & fundo operam ſuam locarunt, ita ICtus. *Si ruſticis ejus fundi operariis moleretur, l 18. §. idem Conſultus. ff. de inſtr. vel inſtrum. leg.* L.

Jumenta] Equos intelligit; atque ſic à bovibus diſtinguit. *Columella* quoque *Lib. 1. Cap. 6. Non altius edita eſſe præſepia convenit, quam ut bos aut jumentum, ſine incommodo ſtans, veſci poſſit. Scheffer.* Boves enim magis armentorum quam jumentorum generis appellantur, *l. 89. ff. de Verb. Sign.* Unde alibi dixit ICtus. in *l. 38. §. jumentorum. ff. de Ædilit. edict. Boves jumentorum appellatione non contineri verius eſt, ſed pecoris appellatione continebuntur.* Unde jumentis legatis boves non continentur, nec contra *l. 65. §. jumentis. ff. de legat. 3.* Jumentorum ergo appellatione equus, equa, mulus, mula, & cætera ναυτοφόρα, & dorſuaria animalia continentur. *Sen. Epiſt. 67. Quære fortia dorſo jumenta ſint quæris? quia eorum hic unus eſt uſus ſarcinam ferre. Elephanti & Cameli jumentorum operam præſtant, l. 2. in fin. ff. ad leg. Aquil. Plin. Lib. 8. Cap. 18.* de Camelis: *Omnes autem jumentorum in iis terris dorſo funguntur.* Sic *Jugenta uſibus patriſfamiliæ, & amicorum deſervientia, vel agris, vel quæ locabantur, l. 3. §. ſed quod. ff. de pec. leg.* Ob eamque operam jumentorum illis nomen inditum. *Columell. Lib. 6. Cap. ult.* Ita ſcribit: *Jumenta nimen à re traxere, quod noſtrum*

roſtrum laboretn vel onera ſubnectando, vel erando juvarent. At apud Veteres aliam verbi huiuſce ſignificationem & notationem fuiſſe ſciendum eſt. *Agellius* enim *Lib.21. Cap.1.* ex Sext. Cæcilio, Jumentum in 12. Tabb. uti acciperetur docet his verbis: *Jumentum quoque non id ſolum ſignificat, quod nunc dicitur, ſed vectabulum etiam, quod adjunctis pecoribus trahebatur. Veteres enim noſtri jumentum à jungendo dixerunt.* Similiter *Nonius Marcellus: Jumentum à jungendo veteres dictum putant, g, litera in eo nomine attrita; nam vectabulum dicunt, quod nunc vehiculum.* L.

Inſtrumentum ruſticum] Quicquid fructuum quærendorum, colligendorum, conſervandorum cauſſa paratum eſt. *Ulpian. l. Quæſtum eſt. ff. de Inſtr. vel inſtrum. leg. Rigalt.* Idemque eſt quod *Inſtrumentum villæ* dicitur in *l.* 16. & *l.* 10. §. *Paulus. ff. eod.* Quo inſtrumento villæ vel fundi ſupellex non continetur *l.* 12. & *d. l.* 16. *ff. eod.* Inſtrumentum autem & inſtructum ſeparantur, *Vit. de Inſtruct. vel Inſtrum. leg.* Plenius enim eſt & uberius *Inſtructi*, quam *Inſtrumenti* legatum, cum illo non loci tantum, ſed & patrisfamilias ipſius inſtrumentum, quod ut inſtructior eſſet habuit contineatur, *l.*12. §. *ſed ſi fundus. ff. eod. tit.* Quid autem *Inſtrumento fundi* proprie contineatur, exponitur pleniſſime in *l.*8. *l.*9 *l.*10. *l.*11. *l.*12. & *l.* 25. *ff. eod. l.* 33. §. *idem probat. ff. de edilit. edict. l.* 17. *ff. de act. empt. Agell. Lib.*7. *Cap.*10. L.

Potrici plenam antiquis apothecam cadis; Domum politam, & delicatos hortulos.

Potrici] Sic compotricem dixit *Terentius Hecyra. Rittersh.* Ita & *Sidon. Lib.*2. *Epiſt.* 9. *Famulorum turba compotrix.* Et *Terent.* in *Andria: Importunitatem ſpectate aniculæ quia compotrix ejus eſt.* Vetus Gloſſ. *πότης, bibax, potax. Rigalt.*

Antiquis apothecam cadis] Sic ſæpe apud Juris auctores: *Vinum in cellis, atque apothecis conditum. Rigalt.* Eſt autem *Apotheca*, cella ubi cuſtodiebant cados: *Columella* dicto loco: *Apothecæ recte ſuperponuntur his locis, unde plerumque fumus earum exorietur. Quoniam vina celerius vetuſteſcunt. Scheffer.*

Apothecam] Apothecæ, cellæ ſunt viariæ, *l.* 21. §. *ſed etſi de nave. ff. de furt.* Sic *Vina quæ in apothecis ſunt, l.*12. §. *ſed ſi fundus. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg. l.*1. *C. de Verb. Sign. In apothecam depoſitum vinum* proponit Ulpianus in *l.* 11. §. *qui vinum. ff. locat.* Et *Vinum quod in apothecis eſt*, legatum *l.* 30. §. *item ſi. ff. de legat.*1. Vel *Vinum ex apotheca illa l.* 47. §. *ſed ſi id. ff. eod. tit. Plin. Lib.* 14. *Cap.* 4. *Tantum pecuniarum detinent vini apothecæ. Arnob. Lib.* 7. *Vinum omne omnino, quod in cellis, atque apothecis eſt conditum.* Sunt & Librorum & aliarum rerum Apothecæ: *Columell. Lib.* 1. *de Re Ruſt. Cap.* 6. *l.* 5. §. *ſi horrearium. ff. de his qui effud. vel dejec. l.* 12. §. *inſtructo. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg. Matth. Cap.* 3. *Euangel.* Καὶ συναξει τὸν σῖτον αὐτοῦ εἰς τὴν ἀποθήκην. Et rurſus *Cap.*7. Οὐδὲ σπειρουσιν, οὐδὲ θερίζουσιν, οὐδὲ συνάγουσιν εἰς ἀποθήκας. Sic & *D. Lucas Cap.* 12. *Euangel.* Καθελῶ μου τὰς ἀποθήκας, καὶ μείζονας οἰκοδομήσω. Quibus in locis Vetus Interpres ἀποθήκην horreum vertit. *Apothecis exhauſtis, l.*40. *ff. de ſtatuliber.* L.

Cadis] Sic *Apulejus.*2. *Aſin. Aur. Vini cadum in ætate pretioſi.* Quæ de re plura alii notant. *Rigalt.* Cadus eſt vas vinarium ingens, capiens vini libras centum. Vide *Pætum de Menſuris p.m.*58. Cæterum *Antiquis* addit, quia tales pretioſiores; quo enim vetuſtius vinum, eo delicatius, & melius. Hinc apud *Petronium* titulus amphoræ: FALERNUM OPIMIANUM ANNORUM CENTUM. *Scheffer.* Cados vini dixit ICtus. in *l.* 6. & *l.* 14. *ff. de trit. vin. vel. ol. leg. l.* 15. §. *proprietatis. ff. de uſufr. In cadis diffuſa vina ſervabantur l.* 15. *ff. de trit. vin. vel ol. leg.* Cadis plane ad vina condenda veteres uſos, oſtendit *Plin. Lib.*19. *Cap.*5. *Ovid. Lib.*5. *Faſter.*

Promit fumoso condita vina cado.
Eleganter *Horat. Carm. Lib.* 4. *Ode* 11.
Est mihi nonum superantis annum
Plenus Albani cadus. ———
Hoc autem Vinarium Vas decem Congios capiebat, teste *Dioscorid. Lib.* 5. Vel ut *Pollux Lib.* 10. *Cap.* 20. scribit, urnas tres. L.

Politam] Perfectam, absolutamque omni ratione. Vide *Varronem Lib.* 1. *de Re Rust. Cap.* 2. *Festus: Omnes perfectiones antiqui politiones appellabant. Scheffer.* Vide quæ scripsi de hoc vocabulo ad *Prol. Lib.* 1. *Vers.* 2.

Delicatos hortulos] Mox ipse dicet: *Venustis hortulis. Rigalt.* Non satis memini, an olim apud Epigrammatarium legerim, *Delicatum nemus*, sed hoc scio, legisse me apud *Ciceronem in Verr. Delicatissimum littus.* Et apud *Plinium Secundum*, *Anio delicatissimus omnium*, *Lib.* 8. *Epist.* 17. Quæ sane dignissima est quam legas. *Fab.* Sed & *Domum delicatam* dixit *Seneca* in *Hippolyto. Scheffer.* Sic *Delicatam vestem*, dixit *Tertull.* in *Lib. de Pall.* Μαλακὴν ἐσθῆτα Græci vocant. *Diog. Laërt. de Heraclide Pontico:* Οὗτος ἐσθῆτι δὲ μαλακῇ ἐχρῆτο καὶ ὑπέρογκος ἦν τὸ σῶμα, ὥστε αὐτὸν ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν μὴ ποντικὸν, ἀλλὰ πομπικὸν καλεῖσθαι. Delicatus autem debitor apud ICtos. quo sensu dicatur vide *l.* 25. *in fin. ff. de pignor. act.* L.

Sic destinata dare cum vellet singulis,
Et adprobaret populus, qui illas noverat:
Æsopus media subito in turba constitit:
O si maneret condito sensus patri,
Quam graviter ferret, quod voluntatem suam
Interpretari non potuissent Attici?

Sic destinata] Ἀφωρισμένα. *Rigalt.*

Maneret] Eleganter de defuncto, quippe qui ante habuerit. Si, inquit, posset conditus, sepultusque, nunc videre quam male vos intelligatis ejus voluntatem. Atque sic *Virgilius* sæpissime, ut *Lib.* 4. *Æneid.*

——— *si Troja antiqua maneret.*

Scheffer. Itemque *Lib.* 2. *Æneid.*

Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneres.

L.

Condito sensus patri] Condere verbum mortuale, vel sepulchrale. Unde conditorium, quod & conditivum, *Senecæ*, & *Petronio* est sepulchrum. Hoc primum. Deinde quia dubitabant veteres, an sensus rerum humanarum ad defunctos pertingeret; creberrime his utebantur, & similibus formulis: *Si quis manium sensus est. Si quis in morte sensus est. Si quis etiam inferis sensus. Si quis defuncti sensus est. Si quid inferi sentiunt. Si quis post funera sensus. Si quid habet sensus umbra. Si manes post fata aliquid sentiunt. Nigras si quid sapis inter arenas. Propert. Lib.* 4. *Si sentire datur post fata quietis. Nemes. Eclog.* 1. Reliquorum auctores pete à *Brissonio Lib.* 8. *de formul. Fol.* 737. Cui duo postrema ista exempla addidi: & hoc *Euripideum* in *Hercule furioso:* ὦ φίλτατ' εἴτις φθόγγον εἰσακούσεται θνητῶν παρ' ἅδη σοὶ τάδ' ἡράκλεις λέγω. *Rittersh.*

Suam] Pro *ejus*. Sic *Cicero* 4. *Philipp. Quod autem erat præsidium salutis libertatisque vestræ, si C. Cæsaris fortissimorumque sui patris militum exercitus non fuisset.* Contra *Cornel. Nep. Ejus* dixit, pro suus, in *Themist. Cap.* 8. *Hic cum propter multas ejus virtutes magna cum dignitate viveret.* Atque sic hæc crebro permutantur. Vide *Voss. de Construct. Cap.* 56. *Scheffer.*

Rogatus

Rogatus deinde, ſolvit errorem omnium:
Domum, & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date lanificæ ruſticæ;
Veſtem, uniones, pediſſequos & cætera
Illi aſſignate vitam quæ luxu trahit;
Agros, vites, & pecora cum paſtoribus
Donate mœchæ; Nulla poterit perpeti,
Ut moribus quid teneat alienum ſuis.

Solvit] Eleganter, quia eo tenebantur, velut vincti: ſic *Solvere metum*, *Virgilius* uſurpavit. *Scheffer.* Id eſt, tollere, auferre, ut *Solutæ ſtipulationes*, id eſt, ſublatæ *l.* 6. *ff. de acceptilat.* L.

Ornamenta] Ornamenta mulebria ſunt, quibus mulier ornatur; veluti inaures, armillæ, viriolæ, annuli præter ſignatorios, & omnia quæ ad aliam rem nullam parantur, niſi corporis ornandi cauſa, quo ex numero etiam hæc ſunt, aurum, gemmæ, lapilli, qui aliam in ſe nullam utilitatem habent, *l.* 25. §. *ornamenta. ff. de aur. & arg. leg.* Et à mundo muliebri ſeparantur, *l.* 8. *l.* 13. & *l.* 30. *ff. de aur. & arg. leg. l.* 100. §. *uxori. ff. de legat.* 3. Hic autem, ut patet ex præcedentibus ornamenta domus intelliguntur, quæ alias ICtis. Impenſæ voluptuariæ dicuntur, quæ ſcilicet ad voluptatem fiunt, quæque ſpeciem duntaxat ornant, non etiam fructum augent, ut ſunt viridia, aquæ ſalientes, incruſtationes, loricationes, picturæ, *l.* 1. *pr. l* 7. *l.* 9. *l.* 11. *ff. de impens. in res dot. fact. l.* 27. *ff. de negot. geſt. l.* 79. *ff. de Verb. Sign.* Quæ magis ad voluptatem quam ad utilitatem pertinent, *l.* 3. §. *ſed ſi mutua. ff. de in rem vers.* Ac propterea voluptatis cauſa refectiones appellantur, ut tectoria, & pavimenta *l.* 7. §. *ult. ff. de uſufruct.* Item *Voluptuariæ res*, *l.* 39. *ff. de hæred. petit.* Et *Voluptuoſæ*, *l.* 14. *ff. de impens. in res dot. fact.* Atque ita, *Quod in loco ſacro ornamenti cauſa ſit*, & contra *quod deformitatis*, *vel incommodi* opponuntur. *l.* 1. *ff. ne quid in loc. ſacr.* L.

Veſtem, uniones, pediſſequos] Luxus muliebris inſtrumenta recenſentur non pauca apud *Plaut. Aulul. Act.* 3. *Sc.* 5.

Nulla ergo dicat, equidem dotem ad te attuli
Majorem multo quam tibi erat pecunia,
Enim mihi quidem æquum eſt purpuram, atque aurum dari.
Ancillas, mulos, muliones, pediſſequos,
Salutigerulos pueros, vehicula qui vehar.

Nevel.

Uniones] Unio, proprie margarita eſt ex concha, quæ apud Rubrum Mare creſcit, & coaleſcit, *l.* 6. *l.* 19. §. *pen. ff. de aur. & arg. leg.* Atque ita *Plin.* Lib. 12. *Cap.* 1. *Unio in Mari Rubri profundo, Smaragdus in ima tellure quæritur.* Apertius hoc demonſtrat idem Auctor Lib. 9. *Cap.* 25. Scribit autem *Iſidorus Lib.* 16. *Etymolog. Cap.* 10. *Inde uniones dictos, quod tantum unus, nunquam duo vel plures ſimul reperiantur.* L.

Pediſſequos] Hi erant ſervi, qui dominum, vel dominam ſequebantur, de pediſſequis legatis loquitur ICtus. in *l.* 65. *ff. de legat.* 2. *Pediſſequis meis, quos ad curam templi reliqui*, *l.* 17. *ff. de alim. vel cibar. leg* Nec *Pediſſequos* tantum ſervos, ſed & *Pediſſequas* ancillas habuiſſe apparet, non modo ex *Terent. Andr. Act.* 1. *Sc.* 1.

——— *accedo ad pediſſequas.*

Verum etiam ex *l.* 59. *ff. de manumiſſ. teſtam.* in qua eſt: *Pediſſequas omnes quarum nomina in rationibus meis ſcripta ſunt.* Aliæ erant ancillæ quæ *Ornatrices* vocabantur, quæ ſcilicet matronis comendis deſerviebant, eiſque miniſterium in capillis

pillis disponendis, digerendis, crispandis ac torquendis adhibebant *l.65. §. ornatricibus. ff. de legat. 3.* Quod obiter notandum quoniam de luxu mulierum circa ancillas sermo est. Ornatricis autem obsequium officiumve *Ovid. Lib. 2. Amor. Eleg. 7.* ita describit:

Ecce tuum solers caput exornare Cypaßis.

Et mox:

Adde quod ornandis operosa est illa capillis
Et tibi per doctas grata ministra manus.

Rursusque *Eleg. 8.*

Ponendis in mille modis perfecta capillis,
Comere sed solas digna Cypaßi Deas.

Præter hanc Cypassidem aliam quoque *Ornatricem*, Napen memorat idem *Ovid. Lib. 1. Amor. Eleg. 11.* his versibus:

Colligere incertos & in ordine ponere crines
Docta, neque ancillas inter habenda Nape.

Idem *Lib. 1. Amor. Eleg. 14.* de capillis amicæ suæ agens:

Non acus abrupit, non vallum pectinis illos,
Ornatrix tuto corpore semper erat.

Et mox:

Ante meos oculos sæpe est ornata ——

Sueton. in *Claud. Cap. 40. Inducta teste in senatu, Hæc (inquit) matris meæ liberta & ornatrix fuit. Macrob. Lib. 2. Saturnal. Cap. 5. Eadem Julia mature habere cœperat canos quos legere secreto solebat, subitus interventm patris aliquando oppreßit Ornatrices.* Extat in Lapide quodam Romæ inscriptio hujusmodi: CINERIBUS CAMILLÆ ALPIONILLÆ QUIRITÆ ORNATRICI FESTUS M. SEPTIMI GALLIS DISPENSAT. Ad hos ornatrices pertinent hæc *Clementis Alexandrini Lib. 3. Pædag. Cap. 4.* verba: Κομμῶται δὲ καὶ κομμώτριαι περὶ τὰς γυναῖκας ἀμφιπολεύουσιν αἱ μὲν τὰ κάτοπτρα, αἱ δὲ, τοὺς κεκρυφάλους, ἄλλαι τοὺς κτένας. L.

Vitam quæ luxu trahit] Quæ luxuriose vivit, profuso, & soluto in convivia, & compotationes sumptu. *Festus: Luxa membra suis locis mota & soluta: à quo luxuriosus, in re familiari solutus.* Idem: *Luxantur à luxu ductum, id est, luxuriantur.* Glossæ Veteres: Ἀσωτία, *luxus, luxuria, ganeum.* Ἀσωτένομαι, *luxo, luxurior, prodigo, helluor. Rigalt.* Luxus qui alias latius patet, hic stricte accipitur pro ebrietate seu temulentia, quæ scite à veterum quodam μητρόπολις κακῶν appellata est. *Rittersh.*

Trahit] Valde eleganter, velut reluctantem, & invitam, quando vita ebriorum morti est similior, quam vitæ. Ita *Senium trahere luctu* apud *Claudianum* est in *3. de Raptu. Scheffer.*

Perpeti] Ferre, sustinere, id agere, eleganter, ad signandam difficultatem faciendi ejus, quod ingenio repugnat. *Terent. Heaut. Act. 4. Sc. 5.*

——— *non possum pati*
Quin tibi caput demulceam ———

Scheffer. Idem eleganter *Andr. Act. 1. Sc. 1.*

——— *facile omneis perferre ac pati.*

L.

Teneat] Retineat. *Scheffer.*

Alienum] Eadem significatione ut *Terent Heautontim. Act. 1. Sc. 1.*

Homo sum, humani nihil à me alienum puto.

L.

Deformis cultum vendet, ut vinum paret,
Agros abiciet mœcha, ut ornatum paret;
At illa gaudens pecore, & lanæ dedita,
Quacunque summa tradet luxuriæ domum.

Abiciet] Sic frequentissime veteres alterum j, in hoc, & similibus verbis compositis à jacio, consueverunt abjicere. Vide *Indicem Giphanii* in *Lucretium. Rittersh.*

tersh. Est autem hic *abjiciet*, vili pretio vendet; itidem ferme *Terentius* de Psaltria, quam adolescens ut oblectaret ætatulam suam, mercatus fuerat:

——— *Quæ quantum potest*
Aliquo abjicienda est, si non pretio, gratiis.

Gallice; *il s' en faut defaire au plûtost: & si l' on ne trouve point de marchand, qu' on la donne pour rien. Fab.* Alii aliter, sed frustra. *Scheffer.* Atque hac significatione etiam ICtis. hoc vocabulum *abjicere* usurpatur. Sic *Abjicere pecuniam in fraudem, l.* 10. *ff. si quid in fraud. patr.* Et *Abjicere rem exiguo pretio l.* 36. §. 1. *ff mand.* Item *Projicere rem viliori pretio, l.* 50. *ff de evict.* Infra Noster eleganter dicit: *Quæcunque summa tradet.* L.

Luxuriæ domum] Pro ea quæ est instructa ad luxum, quæ dedita, & consecrata velut est luxuriæ. Quomodo *Cicero* in *de Lege Agraria*, *Domicilium superbiæ*, & *Cornel. Nep. Vita Attic. Cap.* 3. *Domicilium Imperii* usurparunt. Ad eundem modū *Domum luctus, Domum precationis*, dixit Vetus Bibliorum interpres. *Scheffer.*

Sic nulla possidebit, quod fuerit datum,
Et dictam matri conferent pecuniam,
Ex pretio rerum, quas vendiderint singulæ.
Ita quod multorum fugit imprudentiam,
Unius hominis reperit sollertia.

Conferent] Optime hic conferre contribuere significat, ut in *l.* 22. *ff. de damn. infect.* Sic *Conferre in funus, l.* 16. *l.* 20. *l.* 23. *l.* 27. & *l.* 30. §. *ult. ff. de religios. l.* 78. *ff. de jur. dot.* Et quemadmodum hic, *Conferre pecuniam, l.* 5. *ff. de censib. Conferre sumptus ad refectionem ædificii, l.* 4. *C. de ædific. priv. Si vinum alius contulerit, alius mel, l.* 7. §. *voluntat. ff. de acquir. rer. dom.* Ita & *Conferri agri à vicinis ad viam vicinalem, l.* 3. *ff. de loc. & itiner. publ.* Hinc *Collatio* quoque fieri dicitur à vectoribus navis levandæ gratia, *l.* 2. §. *si conservatis.* & §. *si res quæ. l.* 4. §. *potest.* & *l.* 5. *ff. ad leg. Rhod. de jact.* Quæ & *Contributio* dicitur *l.* 1. & *l.* 3. *ff. eod. tit.* L.

Ex pretio rerum] Dixerat supra, conferent pecuniam, quia pretium plerumque in pecunia numerata consistit §. *item pretium. Inst. de empt. & vend.* Estque aliud quam merx, *l.* 1. *ff. de contrah. empt. l.* 2. *ff. de rer. permut.* Proprie autem *Pretium* est, quod pro re empta dicitur. Et in Veteri Glossario definitur. Τίμημα ἐπὶ πῆς ὠνίου καταβαλλόμενον. L.

Unius hominis] Non igitur semper ad multitudinem respici oportet, sed ad eos, quibus potius lux veritatis adsistit; ut graviter monuit *Arcadius*, in *l.* 21. *qui ob carmen. §. ult. ff. de testib. Neque ex multitudine auctorum judicandum, quod melius, & æquius est: cum possit forsitan & deterioris sententia, & multas, & majores in aliqua parte superare:* ut *Justinianus* ait, in *Præfatione, de Conceptione Digestorum. Rittersh.* Atque huc facit *l.* 2. *ff. de pact.* L.

FABVLA SEXTA.

Pugna Murium, & Muſtelarum.

CUm victi Mures Muſtelarum exercitu
(Hiſtoria quorum in tabernis pingitur)
Fugerent, & artos circumtrepidarent cavos,
Ægre recepti, tamen evaſerunt necem.

PUgna Murium, & Muſtelarum] De hac Opuſculum cui *Batrachomyomachia* nomen, *Homero* ad ſcribunt. *Martial. Lib.* 14. *Epigr.* 183.

Perlege Mæonio cantatas carmine Ranas,
Et frontem nugis ſolvere diſce meis.

L.

In tabernis] Ex conſuetudine. Vide quæ ſcribo in Opuſculo de *Pictoria Cap.* 4. *Scheffer.* Procul dubio autem cauponas intelligit, quas *Tabernas cauponias* vocat ICtus. in *l.* 43. *pr. ff. de rit. nupt.* Unde etiam *Tabernæ*, & *Popinæ*, conjunguntur in *l.* 41. §. 2. *ff. de legat.* 1. Alias vocabulum adeo generale eſt, ut *Tabernæ* appellatio omne utile ad habitandum ædificium demonſtret, ex eo quod tabulis claudatur. Unde *Tabernacula* & *Contubernales* appellantur, *l.* 183. *& ſeq. ff. de Verb. Sign. Iſidor. Etymologic. Lib.* 15. *Cap.* 2. *Tabernæ olim vocabantur ædicula parvæ & ſimplices in vicis, axibus, & tabulis clauſæ. Unde & tabernariæ, quod ſoleant conſidere. Dictæ autem tabernæ quod ex tabulis ligniſque erant conſtructæ.* Quæ nunc etſi non ſpeciem, nomen tamen retinent. Poſtea vero tabernæ proprie dici conſueverunt, ubi merces venales exhibentur, ut *Taberna caſearia l.* 8. §. *Ariſto. ff. ſi ſerv. vind.*

Et

Et *Taberna ferraria l. 13. ff. de instruct. & instrum. leg.* Item & *Tabernam negotiatoriam, & purpurariam* dicimus, *l. 2. ff. de institor. act. l. 91. §. pater ff. de legat. 3.* Tabernas quoque *Suidas* καπηλεῖα, καὶ παντοχεῖα interpretatur. Sic *Tabernis uti ad merces & negotiationem* dicimur, *l. 27. §. 1. ff. de usufr.* Hinc *Tabernam exercere l. 13. §. ult. ff. de institor. act.* Inde *Tabernarius* in *l. 52. §. 1. ff. ad leg. Aquil. l. 5. ff. de institor. act.* Qui tabernam exercet. Qui etiam alibi *Tabernæ præpositus* dicitur *l. 3. l. 19. §. tabernæ.* & *l. 8. ff. de Institor. act.* L.

Circum trepidarent cavos] *Horat. 1. Epist.*

Macra cavum repetas artum, quem macra subisti.

Rigalt.

Trepidarent] *Callimachus Hymn. in Cerer.*

Καὶ τὰν ἄιλουρον τὰν ἔτρεμε θηρία μικρά.

Rigalt. Sed longe alia vis est in τῷ trepidare. Quippe vel *Servio* teste festinare est, quid enim illud *Virgilii: Dum trepidant alæ.* Sed piget istæc refellere ex *Livio, Sallustio*, &c. *Fab.*

Cavos] Cava dixit *Cato de Re Rust. Cap. 28.* Hæc murium domicilia. Sed *Cavos*, usurpavit & *Varro Lib. 3. Cap. 15.* Ubi de gliribus agit. *Scheffer.* Sic & *Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 6.*

——— ——— *olim*
Rusticus urbanum Murem Mus paupere fertur
Accepisse cavo. ———

L.

Recepti] Scilicet cavis, ut *Virgil. 2. Æneid.*

Neu recipi portis, aut duci in mænia possit.

De loco tuto usurpatur, unde quoque receptaculorum nomen. *Scheffer.*

Duces eorum qui capitibus cornua
Suis ligarant, ut conspicuum in prælio
Haberent signum, quod sequerentur milites,
Hæsere in portis, suntque capti ab hostibus.

Duces eorum] Hos etiam Ductores appellavit *Virgilius Lib. 2. Æneid.*

——— *fracti bello fatisque repulsi.*
Ductores Danaum. ———

L.

Capitibus cornua] Quasi tufas, & flammulas. Vide *Veget. Lib. 3. Mauric. 1. Strategic.* κασσίδια ἔχοντα τουφία μικρὰ καὶ φλάμουλα κατὰ τῶν μήλων. Amplius declaravi in Gloss. Barbarogræco. *Rigalt.* Ad terrorem certe hostibus incutiendum Indi, & Arabes in prælia ituri ex proprio capillo cornua & cincinnos sibi nectere dicuntur; ut formicabiliores hostibus apparerent. Vide *Pancirol. Memorab. Lib. 1. Tit. 44.* L.

Ligarant] Pro, *alligarant*, aut ligarant in capitibus. *Scheffer.*

Signum quod sequerentur milites] Id est, tesseram militarem. Ξύνθημα vocant Græci: ut præter cæteros *Euripides*, & *Onosander.* Tali pro signo versum *Homeri* integrum Claudius dabat excubitori Tribuno:

Ἄνδρ' ἀπαμύναισθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

Id est:

Ulciscare virum qui te irritaverit ultro.

Sæpius autem unica dictio, eaque boni ominis pro tessera dari solebat: *Victoria. Palma. Triumphus. Virtus.* &c. Vide *Torrent.* ad *Suetonium. Rittersh.* Non tesseram significat, sed notam, qua duces à gregariis discernerent. Sic enim solebant, ut docet *Veget. Lib. 2. Cap. 13. Antiqui centuriones bellicosos loricatos, transsumptis cassidum cristis, ut facilius noscerentur, singulas jusserunt gubernare centurias.* Et *Cap. 16. Centuriones habebant galeas ferreas, sed transversis, & argentatis cristis, ut facilius agnoscerentur.* Inde *Insigniti milites*, hi tales apud *Varronem.* Neque novum quod de cornibus noster habet. De

Pyrrho rege *Plutarchus* : *Agnitus fuit ab eximia crista, & à cornibus hircinis.* De Nabide *Silius Lib.* 25.

Cassidè cornigera dependens insula. — Adde quod in opere *de Unicornu Cap.* 1. Observavit Vir Clarissimus, veterique amicitiæ conjunctissimus mihi Dn. *Thomas Bartholinus. Scheffer.* Quoniam vero Noster de Signo loquitur quod sequerentur milites, puto eo usos Duces tanquam vexillo militari, quod non invenuste hic signum appellatur, quemadmodum etiam in *l.* 2. §. *initium. ff. de Orig. jur. l. pen. ff. ex quib. caus. maj. l.* 3. §. *ult. ff. de testib.* L.

Hæsere] Pro *obhæsere*, ob amplitudinem cornuum. *Scheffer.*

In portis] Ita vocat cavorum ingressus qui, Murium erant receptacula. L.

Quos immolatos, victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit Tartareo specu.
Quemcunque populum tristis eventus premit,
Periclitatur magnitudo principum;
Minuta plebes facili præsidio latet.

Immolatos] Id est, mactatos, κατὰ χρῆσιν; nam immolandi verbum ad sacrificia proprie pertinet. *Rittersh.* Hic & alter versus grandioris spiritus sunt, & majestatis Tragicæ; cujus generis versus cum humiliori Charactèri intermiscentur, nulla res est, quæ ad ridiculum faciat magis. *Plautus* in ea re aliquando mirabiliter nugatur. *Horatius* quoque in *Satyris*, & *Epistolis* eadem arte sæpe utitur. Hujus generis est apud *Terentium* :

Qui templa cœli summa sonitu concutit.

Ibi enim nebulo quidam ob ereptam puellæ virginitatem ovans, Jovem illum Opt. Max. in regulas granditate carminis devocat. *Fab.* Manet autem in similitudine. Solebant nempe victimas post victoriam offerre Diis. Vide *Heliodor. Æthiopic.* 10. *Scheffer.*

Alvi tartareo specu] Simili fere grandiloquentia, & δεινότητι *Oppianus* Ceto tribuit χάσμης χάος *Lib.* 5. *Halieutic. Vers.* 52. *Rittersh.* Sic *David Psalm.* 5. Τάφος ἀνεῳγμένος ὁ λάρυγξ αὐτῶν *Optatus Afer adversus Parm.* 11. *Unde furori vestro tanta fames innata est : ut guttura vestra sepulchra potentia feceritis, unicuique sepulchro sufficit unum funus, & clauditur : gutturi vestro honorum funera minime sufficiunt : & adhuc patent, dum aliquos quæritis devorare. Artemidor. Oneirocrit.* 1 Στόμα ἔοικε πίθῳ ἅτε γὰρ ἂν λάβοι τὰ σώματα διαφθείρει καὶ φυλάττει. Principis fiscum, *Charybdis specum* vocat *Pacatus Paneg. Th. A. Rigalt.* Ita & *Virgilius* de lupis loquens *Lib.* 2. *Æneid.*

——— *quos imbroba ventris*
Exegit cæcos rabies. ———

L.

Periclitatur magnitudo Principum] Similis fere sententia fuit supra *Lib.* 2. *Fab.* 7.

——— *tuta est hominum tenuitas,*
Magna periclo sunt opes obnoxiæ.

Contraria tamen huic præsenti sententia est apud *Horat. in Epist.*

Quicquid delirant reges, plectuntur Achivi.

Imo & apud ipsum *Phædrum* supra *Lib.* 1. *Fab.* 30.

Humiles laborant, ubi potentes dissident.

Rittersh. Eleganter tum, ait, cum premit; periclitari solent principes, propter suam magnitudinem. *Scheffer.*

Minuta plebes] Ἀρχαϊκῶς hoc quoque : ut *Ennius* apud *B. Hieronymum* in Epistolis : *Plebes in hoc regi antistat loco; licet lacrimare plebi; regi honeste non licet.* Sic sæpe *Ausonius*, sæpe *Guntherus.* Plura ex veteribus exempla annotavit *Priscianus*; ut hoc *Lucilii* :

Deficit almâ Ceres, nec plebes panem petitur.

Rittersh.

Rittersh. Miror veteres Technicos, & *Rittershusium* ipsum existimare in nomine *Plebes*, pro *Plebs*, esse Archaismum, cum certum sit *Livium* nunquam aliter locutum, ut nec *Sallustium*, nec ejus imitatorem *Tacitum*. *Fab.*

Facili præsidio] Quia facile præsidium aliquod invenit. *Scheffer.* Elegantissime in hanc *Phædri* sententiam *Sen. Hippol. Act.* 4. *Vers.* 1120.

Minus in parvis Fortuna furit
Leviusque ferit leviora Deus
Servat placidos obscura quies;
Præbet somnos casa securos.

Et paulo post:

——— *non capit unquam*
Magnos motus humilis tecti
Plebeja domus.
Circa regna tonat.

Namque ut Idem ait *Agam. Act.* 1. *Vers.* 96.

Feriunt celsos fulmina colles

Ac paulo post:

——— *placet in vulnus*
Maxima cervix. Quicquid in altum
Fortuna tulit, ruitura levat.
Mediocribus rebus longius ævum est,
Felix mediæ quisquis turbæ
Sorte quietus
Aura stringit litora tuta;
Timidusque mari credere cymbam
Remo terras propiore legit.

Horat. Carm. Lib. 2. *Ode* 10.

Sæpius ventis agitatur ingens
Pinus & celsæ graviore casu
Decidunt turres feriuntque summos
Fulmina montes.

Sic & *Ovid. Trist. Lib.* 1. *Eleg.* 4.

Effugit hibernas demissa antenna procellas
Lataque plus parvis vela timoris habent.

Et paulo post:

Quid fuit ut tutas agitaret Dædalus alas:
Icarus immensas nomine signet aquas?
Nempe quod hic alte demissius ille volabat
Nam pennas ambo nonne habuere suas
Crede mihi bene qui latuit bene vixit!

& infra

Fortunam debet quisque manere suam.

L.

PHÆDRUS.

PHÆDRUS.

TU qui naſute ſcripta diſtringis mea,
Et hoc jocorum legere faſtidis genus,
Parum libellum ſuſtine patientia,
Severitatem frontis dum placo tuæ,
Et in Coturnis prodit Æſopus novis.

Naſute] Illud *Naſute*, poteſt vel adverbium eſſe vel nomen, hoc modo: tu ô naſute, qui deſtringis &c. *Rittersh.* Ordo: *Tu naſute, qui deſtringis*, &c. Itaque non adverbium eſt, ſed nomen, fruſtra *Rittershuſio* ambigente. Naſutus, qui ſagacius aliis, ſe putat hominum errores, vitiaque odorari. *Scheffer.* Naſuti enim dicuntur dicaces, reprehenſores, & deriſores, qui docte alios norunt irridere. Sic *Martial. Lib.* 13.

Naſutus ſis uſque licet, ſis denique naſus.

Sic *Apulejus* dixit, *Naſutula mulier, ac dicacula.* L.

Suſtine] Tene, non abjice ſtatim faſtidio quodam tam minutæ ſcriptionis. *Scheffer.* Dictum exiſtimo quaſi patere, ut apud *Juvenal. Sat.* 6. *Verſ.* 105.

——— *propter quod ludia dici*
Suſtinuit. ———

Id eſt, *paſſa eſt.* L.

Severitatem frontis] Eleganter, quia naſuti illi plerumque etiam ſunt moroſi. L.

Et in Coturnis] Exſpecta, ait, non abjice libellum donec te placem, & *Æſopus* prodeat in cothurnis, id eſt, novo, & tragœdiæ convenienti ſermone utentem eum audias: id quod vocat *Novum*, quia inuſitatum *Æſopo*, fabuliſque ejus. *Ovid.* 2. *Triſt.*

Et

Et dedimus tragicis ſcriptum regale Cothurnis
Quæque gravis debet verba Cothurnus habet.

Scheffer. Calceamenti enim genus erat, ſubere ſublevatum, quo tragœdiarum actores in ſcena utebantur, ut procerio res viderentur. Unde illud apud *Virgilium Lib.* 1. *Æneid.*

Purpureoque alte ſuras vincire Cothurno.

Item:

Et dedimus tragicis ſcriptum regale Cothurnis.

Atque hinc pro ſublimiore dicendi genere Tragicis uſitato, uſurpatur: *Virgil. Eclog.* 8.

Sola Sophocleo tua carmina digna Cothurno.

L.

Utinam ne unquam Pelei nemoris jugo
Pinus bipenni concidiſſet Theſſala,
Nec ad profeſſæ mortis audacem viam,
Fabricaſſet Argus opere Palladio ratem,
Inhoſpitalis prima quæ Ponti ſinus
Patefecit, in perniciem Grajum, & Barbarum.

Utinam ne unquam] Notiſſimum illud è *Medea Ennii* tranſlatū ex *Euripidis* Cognomine Tragœdia fragmentum: quo etiam *Cicero* aliquando utitur: *utinam ne in Nemore Pelio.* Quod quaſi in proverbium abiit, de re altius, & à remotiſſimis cauſis repetita, more mulierum. Eum locum *Phædrus* hic ſcite imitatur. Simile eſt illud ejuſdem *Euripidis* in *Hecuba*: ἰδαίαν ὅτι πρῶτον ὕλαν Ἀλέξανδρος ἐλατίναν ἔπεμψε, &c. *Rittersh.* Apud *Quintil. Lib.* 5. *Cap.* 10. Medea loquitur:

Utinam ne in nemore Pelio unquam cæſa abies fuiſſet.

Quod ex principio *Medeæ Euripidis* petitum eſt:

Μηδ' ἐν ναύταισι πηλίᾳ πεσεῖν ποτὲ
Τμηθεῖσα πεύκη.

Nevel. Simulat autem ſe ſcripturum tragœdiam, & joco hoc velut exordium facit. *Scheffer.*

Profeſſæ mortis viam] Elegantiſſime dictum. Plus autem eſt profeſſa, mors, quam πρόσπτος θάνατος. Significat enim αὐθαίρετον θάνατον, ἢ ἑκούσιον. Ita navigatio nihil aliud eſt, quam mortis quædam profeſſio. Merito igitur exclamat *Propertius* Contra navigationes:

Ite rates curvæ, & leti texite cauſam,
Iſta per humanas mors venit acta manus.
Terra parum fueras ſatis: adjecimus undas,
Fortunæ miſeras auximus arte vias.

Et *Horat. Lib.* 1. *carm. Rittersh.* Sic & *Juvenal. Sat.* 12.

I nunc & ventis animam confide dolato.
Confiſus ligno, digitis à morte remotus.
Quatuor aut ſeptem, ſi ſit latiſſima tæda.

Contra *Sen. Epiſt.* 49. *Erras ſi in navigatione tantum exiſtimas minimum eſſe, quo morte vita deducitur. In omni loco æque tenue intervallum eſt; nam ubique ſe mors tam prope oſtendit; ubique tam prope eſt. Nevel.* Ita *Horat. Lib.* 1. *Carm. Ode* 3. *Rittershuſio* allegatus:

Illi robur & æs triplex
Circa pectus erat qui fragilem truci-
Commiſit pelago ratem
Primus, nec timuit præcipitem Afri-
cum
Decertantem Aquilonibus,
Nec triſteis Hyadas nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriæ
Major, tollere, ſeu ponere vult freta.
Quem mortis timuit gradum?
Qui ſiccis oculis monſtra natantia
Qui vidit mare turgidum, &

Infa-

Infames scopulos Acroceraunia?
Nequicquam Deus abscidit
Prudens Oceano dissociabili
Terras: si tamen impiæ
Non tangenda rates transiliunt vada.

Sen. in *Thyest.*

Audax nimium qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit:
Terrasque suas post terga videns,
Animam levibus credidit auris,
Dubioque secans æquora cursu,
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ mortisque vias
Nimium gracili limite ducto.

L.

Argus] Naupegus, Vide *Val. Flac. Lib.* 1. *Hygin. Fab.* 14. *Dux Jason regnavit. Faber Argus Danai filius. Scheffer.*

Opere Palladio ratem] Nota Argum hujus navis, sive ratis architectum fuisse. De opere Palladio quod ait, explicat *Claudianus:*

——— *ipsamque secandis*
Argois trabibus jactent sudasse Minervam.

Gubernator ejusdem Tiphys, fuit. *Rittersh.* Intelligendum hic auxilio, Palladis consilio, non quod ipsa manum adhibuerit, ut hic frustra *Rittershusius* docere conatur ex *Claudiano:* quanquam & consentiat *Callistratus*, in imagine Æsculapii. *Scheffer.* De Opera Palladis in exstruenda hac Nave *Apollon. Rhod. Argonaut. Lib.* 1. *Vers.* 18.

Νῆα μὲν οὖν οἱ πρόσθεν ἔτι κλείουσιν ἀοιδοὶ
Ἄργον Ἀθηναίης καμεῖν ὑποθημοσύνῃσι.

Id est Interprete *Jeremia Hoelzlino*, qui Auctorem illum elegantissimum notis illustravit.

Priores sane quidem poëtæ referunt quemadmodum Navis.
Ab Argo fuerit Minervæ afflatu laborata

L.

Inhospitalis Ponti] Id est, Euxini, qui ἄξεινος potius quam εὔξεινος dici merebatur. Sic inhospitalem Caucasum vocat *Horatius. Rittersh.* Proprie loquitur, neque respectu ad priscam appellationem; quippe olim ἄξενος dicebatur. *Pindarus* in *Pythionicis:*

——— Ἐπ Ἀζείνου (πόντου)
Στόμα πεμπόμενοι ἤλυθον. ———

Lucianus in *Toxari:* Μήτε προσηγορίαν (τοῦ πόντου) καταδείσαντες, ὅτι Ἄξενος ἐξαλεῖτο, οἶμαι, ἀγρίων ἐθνῶν περιοικούντων. Sed facere non possum, quin & locum alium ex *Ovidio* afferam; quod equidem facerem minus, ni mihi persuasum foret gratificaturum esse me *Nasonis* manibus. Quid velim jam scies; audi modo; locus est in extrema *Elegia* 13. *Lib.* 3. Quæ sane perquam elegans est, & ingeniosa, ut alia ejus scriptoris. Alloquitur autem natalem suum, rogatque ne ad sese redeat, quamdiu in regione Pontica morabitur:

Si tamen est aliquid nobis hac luce (die natali scilicet) *petendum,*
In loca ne redeas amplius ista precor.
Dum me terrarum pars pæne novissima Ponti
Euxeinus falso nomine dictus habet.

Hæc legunt omnes puerique senesque; hæc prabant omnes; quæ tamen corruptissima esse jure videor posse contendere: nam quid istuc, *pars novissima terrarum Ponti?* videlicet in tertio versu legendum:

Dum me terrarum pars pœne novissima, Pontus,
Euxinus falso nomine dictus habet.

Non temere ait, Pontum Euxinum esse pœne novissimam partem terrarum; cum veterum quidam, ut cuivis, vel qui prima tantum elementa τῶν γεωγραφικῶν legit, notum est, non longe à Ponto Euxino Oceanum Borealem esse, & mare Hyrcanum ejus sinum esse existimarint. At imperiti, qui nobis hunc locum corruperunt, credidere, loqui *Ovidium* de parte Novissima Ponti, in quam scilicet relegatus fuerat; quod ita ineptum, ridiculumque est, ut alium quærendum esse existimem, qui nugatoria illa capita refellat; nam mihi alio properandum est. *Fab.*

* *Prima quæ Ponti sinus*] *Martial. Lib.* 7. *Epigr.* 18.

Fragmentum quod vile putas, & inutile lignum,
Hæc fuit ignoti prima carina maris.

Vide

Vide *Apollodor.* 1. *Biblioth. p.* 42. & *Lib.* 3. *p.* 240. *Apollon.* 1. *Argonaut. Palaphat: De Phryxo, & Helle. Rigalt.* Sic *Lucanus* itidem *Lib.* 3. *Verſ.* 193.

Inde laceſſitum primo mare, cum rudis Argo,
Miſcuit ignotas temerato littore gentes.

Vide & *Propert. Lib.* 2. ad Cynthiam de Somnio naufragii, ubi eodem Epitheto *rudis Argo* dicitur. *Ovidium* pariter 2. *Amor. Eleg.* 9. *Nevel.*

Namque & ſuperbi luget Æetæ domus,
Et regna Peliæ ſcelere Medeæ jacent;
Quæ ſævum ingenium variis involvens modis,
Illic per artus fratris explicuit fugam;
Hic cæde patris Peliadum infecit manus.

Namque & ſuperbi] Lucem & explicationem hujus Fabulæ à Mythologis pete Nat. *Com. Lib.* 3. *Cap.* 15. *Lib.* 6. *Cap.* 6. & *Cap.* 7. *Ovid. Metamorph. Lib.* 7. *in Principio. Sen. in Med.* Jaſon quippe, ſuadente patruo ſuo Pelia, navi parata, & collecta nobili ſocietate, adiit Colchos, pro aureo vellere acquirendo; quem filia regis Colchorum adamavit: cujus auxilio, conſilioque defunctus multis periculis, Vellus obtinuit. Jaſonem ergo Medea, patria & parentibus relictis (erat autem Æetæ ex Hecate filia) ſecuta eſt, & eidem nupta fuit. Creo rex Corinthiorum filiam ſuam traditurus Jaſoni, Medeam ob maleficia juſſit occidi. Sed interveniente Jaſone, mortis ſupplicium eſt commutatum in exilium. Medea obtentis exilii induciis ad ſpatium unius diei, Creuſæ filiæ Creontis, jam Jaſoni deſponſatæ, pallam quandam veneno tinctam, carminibuſque conſecratam dedit; quam dum tractaret Creuſa, accenſus de ea ignis filiam cum patre & palla conſumpſit. Nec Medea hoc contenta, proprios filios quos genuerat Jaſoni, in ejus conſpectu interfecit, & deinde aufugit per aërem. L.

Jacent] Everſa ſcilicet, ita *Seneca Agam. Verſ.* 862. de Troja:

——— *traxiſti jacens*
Pares Micenas. ———

Scheffer.

Involvens] Occulens, tegens, eleganter. Imitando *Virgilium* qui 6. *Æneid. Obſcuris vera involvens.* Ita *Involutos fraudibus* dixit *Tacit. Annal.* 16. *Cap.* 32. *Scheffer.*

Per artus fratris] *Cicero* quoque de Medea hoc habet, in ea *Pro Lege Manilia: Ex ſuo*, inquit, *regno ſic Mithridates profugit, ut ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur: quam prædicant in fuga, fratris ſui membra in his locis, quæ ſe parens perſequeretur, diſſipaviſſe, ut eorum collectio diſperſa, mœrorque patrius celeritatem perſequendi retardaret. Sic Mithridates fugiens*, &c. *Rittersh.*

Explicuit] Eleganter in reſpectum ad oppoſitum *involens*, uſurpatur in re ardua, ex qua non niſi conſilio ſingulari datur elabi. *Cic. pro Pomp. Siciliam undique cinctam periculis, celeritate conſilii explicavit.* Nempe cum Medea fugeret, inſequebatur eam Jaſon cum patre Æete, cum imminenti, & jam capturo, membra diſſecti fratris objecit per partes, ut dum ſingula colligit, ipſa interea tempus haberet elabendi, atque hoc eſt, *Explicare iter per artus fratris. Scheffer.*

Infecit] Dum perſuadet ipſis, reddituras ita eum juvenem. Nota eſt fabula, deſcripta ab *Ovid. Lib.* 7. *Metam.* 5. Otdo: *Infecet manus Peliadum, cade patris. Scheffer.*

Quid tibi videtur? hoc quoque inſulſum eſt, ais,
Falſoque dictum: longe quia vetuſtior

Ægea

Ægea Minos classe perdomuit freta,
Justoque vindicavit exemplo impetum.

Quid tibi videtur] Scilicet de isto Poëmatio meo. Satin' grandi Cothurno suffultum incedit? *Rittersh.*

Insulsum est] Ineptum, quasi nullo sale sapientiæ, aut utilitatis aspersum. Ita *Plaut. Pseud. Act.* 3. *Sc.* 2. *Cocus gloriosus, insulsus; inutilis.* Et *Juvenal. Sat.* 6. *Vers.* 656.

Hoc tantum refert quod Tyndaris illa bipennem
Insulsam, & fatuam dextra, lævaque tenebat.

Sal enim pro sapientia ponitur, vel pro urbanitate, & joco cum sapientia commixto, hinc mica salis. Ut *Catull. Epigr.* 81. de Quintia:

Nulla est in tanto corpore mica salis.

Inde sales dicti, cordati, & cum sale joci. *Horat. de arte Poët:*

At nostri proavi Plautinos & numeros &
Laudavere sales. ———

L.

Falsoque dictum] Id est, ἀνιστορησίαν committis, & migras tempora. *Rittersh.*

Longe quia vetustior Minos] Sane vetustior quibusdam visus est; sed quî pote, cum constet ex *Diodoro, Hygino, Apollodoro*, aliis, Theseum una cum Jasone Colchos esse profectum? at idem Theseus cum esset in flore ætatis, missus est in Cretam, aut, ut alii volunt, ultro ivit. Erat autem tertius tributi persolvendi annus, ut annotavit *Plutarchus*. Quî ergo fieri possit, ut ille Minos multo antiquior sit Argonautis? At tandem, tandem, inquies, Jasone antiquior est Minos. Sane, inquam bene; sed non ille ipse quem tu rêre. Duo namque hujus nominis olim in Creta regnarunt; alter Jovis filius, alter Nepos. Ille superior insignis justitiæ fama fuit, unde apud Orcum judex esse credebatur; alter autem crudele illud & inhumanum tributum Atheniensibus imposuit; quod diligenter observandum fuerat. Erit itaque ἀνιστορησία *Phædri*; (nam hanc morosi lectoris objectionem ut veram admittit) quam tamen qui æquus fuerit, el condonaverit, ubi didicerit *Platonem* quoque duobus locis eundem errorem errasse, in dialogo cui *Minos* nomen est. Quin & *Plutarchus* utrumque confudit, quamvis verum inaudisset. Nam insularium quorundam meminit (locus est in *Theseo*;) qui duos fuisse Minoas prædicabant, æquibus admonitus, in viam redire debebat. *Diodorus* autem alterum ab altero recte distinxit *p.* 263. Editionis *Rodomannianæ*. Sed, inquies, idem *Diodorus Lib.* 5. Aliter scribit, fateor, sed ibi rem ex traditione Cretensium narrat, non autem suo judicio. Eum legito, si vacat; nam tam prolixas ῥήσεις huc transferre operosius esset; & locum ostendisse sat est. Sed ecce tibi aliud non minori cura observandum; Argonautas videlicet omnium primos navibus usos, & primos in Colchicam penetrasse falsum est. Quî tandem, inquies? Æetes Corinthius erat, & in eas oras una cum filia Medea se contulerat. Testis mihi in eam rem est *Eumelus*, Historicus Poëta, est autem antiquissimus scriptor, & *Homero* æqualis. Nam haud dubie floruit *Homerus*, quicquid vulgo dicatur circa tempora Romæ nascentis. At *Eumelus* circa nonam Olympiadem (alii circa tertiam) uti ex *Clemente Alexandrino* constat; unde vix est ut stare possit, quod dixit Vir doctissimus, & infinitæ prope lectionis *Vossius*, Græcos nullum suæ gentis nominare posse, qui non quingentis & amplius annis recentior sit bello Trojano. Ejus autem scriptoris locus lectione dignissimus occurrit apud Scholiasten *Pindari* in *Oden* 13. *Pythionicarum*; unde ea quæ superius dicta à me sunt, diserte asseruntur. *Fab.* Secundum opinionem vulgi loquitur *Phædrus*, ex qua non indecenter nasuto illi tribuit hanc sententiam. Alias æquales fere fuerunt, ut recte *Faber* docet. Quanquam alia ratio fuerit Jasonis, alia Minois, ut prolixe ostendi *Lib.* 1. *de Milit. Nav. Cap.* 2. & *Lib.* 2. *Cap.* 1. Ubi habes omnium horum expositionem. *Scheffer.*

Exemplo]

Exemplo] Supplicio. pœna, *Cæs. Lib. 1. Bell. Belg. Obsides nobilissimi cujusque liberos poscere, & in eos omnia exempla, cruciatusque edere. Terent. Eun. Act. 5. Sc. 4. Futura exempla dicunt in eum indigna:* Ubi *Donat. Graves pœnæ, quæ possunt cæteris documento esse, exempla dicuntur. Scheffer.* Ita illud: *Omne magnum exemplum habet aliquid ex iniquo.* Cum ut Poëta ait:

Excessit medicinæ modum. ——

Et Germanicus apud *Tacit. Lib. 1. Annal.* De nimia à tumultuante exercitu exacta pœna. *Non medicina, sed clades.* L.

Impetum] Incursum piratarum intelligit, & id, quod de inhospitali Ponto præcesserat, respicit. Vide de *Milit. Naval.* Est autem impetus hic positus pro *impetentibus*, sicut *Lib. 1. Fab. 5. Improbitas*, pro improbis, & *Fab. 13. Stupor*, pro stupido, &c. *Scheffer.*

Quid ergo possum facere tibi, lector Cato, Si nec fabellæ te juvant, nec fabulæ?

Lector Cato] Id est, qui perpetuo frontem caperatam, & senili tristitie striatam geris, teque morosum, ac fastidiosum meorum carminum judicem præbes: Cui, quicquid agam, sive quod recens inveniam, sive quod antiquum reponam, atque refingam, nunquam satisfacio, nunquam placeo. Sic *Petronius Arbiter:*

Quid me spectatis constricta fronte Catones?
Damnatisque novæ simplicitatis opus?

Notum est in tales illud Satyricum:

Tertius è cœlo cecidit Cato.

Nota Catonis severitas; qui ita de scipso apud *Sallustium: Qui mihi atque animo meo nullius unquam delicti gratiam feci-sem, haud facile alterius libidini malefacta condonabam.* Hinc passim & *Martialis* Catonem κατ' ἀντιφρασιν dixit, pro terrico, ac moroso censore: ut in Epistola *Lib. 1.* præfixa: *Non intret Cato Theatrum nostrum, aut si intraverit, spectet.* Et *Epigram. 3.*

Cur in Theatrum, Cato severe, venisti?

Et *Lib. 9. Epigr. 29.*

Qui spectatorem potui facisse Catonem,
Solvere qui Curios, Fabriciosque graves.

Et *Lib. 10. Epigr. 19.*

Tunc me vel rigidi legent Catonis.

Et *Lib. 5. Epigr. 53.*

Epistolisque commodas gravem vultum,
Similis Catoni, Tullioque, Brutoque &c.

Rittersh. Per ironiam vero Noster ita lectorem vocat, quem supra nasutum dixit, belgice: Neusmijs. Vanam, & affectatam severitatem reprehendit, & homines, qui tristi & morosa fronte Catonem repræsentant. Licet autem plures, ut præclare docet *Gellius*, fuerint Catones, duo tamen magni fuere nominis, ut gravissimi, & severissimi, Cato Censorius, qui *Libros de Re Rust.* edidit. Et Cato qui post mortem Uticensis est cognominatus. Recte igitur per ironiam & tertius Cato dicitur, tanquam gravis & severus censor quasi cœlitus demissus in terras. Censorium autem Catonem ostendit *Sen. ad Lucil.* Reip. tam fuisse utilem, quam Scipionem, alter enim cum hostibus nostris bellum, inquit, alter cum moribus gessit. L.

Nec fabellæ nec fabulæ] Id est, nec apologi, nec argumenta ex historia fabulari petita. *Fab.* Sive, nec minora scripta, qualia fabulæ Æsopiæ, nec majora, qualia Tragadiæ, seu Tragica quorum specimen nunc proposui. *Scheffer.*

Noli molestus esse omnino literis,
Majorem exhibeant ne tibi molestiam,
Hoc illis dictum est, qui stultitiam nauseant,
Et, ut putentur sapere, cœlum vituperant.

Molestus] Tristis, gravis, *Terent. in Andr. Molestus ei certe fuero, atque animo morem gessero.* Subit autem occasione hujus vocabuli notare quæ veteribus *Molesta tunica* sit dicta, vestis scilicet ex charta facta, pice, resina, bitumine, cæterisque ignium alimentis inlita, in qua ignibus pœnæ addicti ardere solent. *Juvenal. Sat. 8. Vers. 235.*

Ausi quod liceat tunica punire molesta,

Et *Martial. Lib. 10. Epigr. 25.*

Nam cum dicatur tunica præsente molesta
Ure manum, plus est dicere non facio.

L.

Omnino] Defatigando, & vexando ingenium tuum morosum, dum nil afferunt, nisi quod tibi displiceat. Alii aliter exponunt, & de vindicta accipiunt, qua poëtæ uti adversus inimicos suos consueverunt. Sed alterum puto magis velle nostrum, saltem quoad speciem externam. *Scheffer.*

Stultitiam nauseant] Pro si qui nauseant, non quod subsit causa, sed quia ipsi stulti sunt, & rem non intelligunt. *Scheffer.*

Cælum vituperant] Hoc proverbiale est; Λοιδορῆσαι τὸν οὐρανὸν. Vide *Suidæ*, & *Zenodoti* collectanea. *Rittersh.* Deo ipsi faciunt convicium, & imprudentiæ ipsum accusant. *Scheffer.* In inanem vero & affectatam Philosophorum superbiam invehitur: qui non veram sed simulatam Philophiam affectantur, contra quod ICtos. decet & præscripto *l. 1. ff. ff. de just. & jure.* Multi artem Philosophi habitu ipso, pallio barbâ ad pubem, usque porrecta, crine vultu, sonituque vocis objurgatorio, futilem inanem, & argutiarum plenam, & nihil ad vitam tuendam & ordinandam promoventem, mentiuntur, in quibus barbam & pallium ac constrictam frontem tantum quis intueri potest, non Philosophum, ἄνευ τοῦ πράττειν μέχρι τοῦ λέγειν. L.

FABULA

FABULA SEPTIMA.

Serpens ad Fabrum Ferrarium.



MOrdaciorem qui improbo dente adpetit,
Hoc argumento ſe deſcribi ſentiat.

Serpens ad fabrum] Æſopus, & *Camerarius* eandem fere fabulam de Muſtela conſcripſere. *Rigalt.*

Mordaciorem] Qui magis mordet, id eſt lædit, obtrectat, pungit, dolore afficit, ita *Terent. Eunuch. Invidere omnes, mordere clanculum; ego non flocci pendere. Cic. ad Attic. Lib.* 11. *Valde me momorderunt epiſtolæ tuæ.* Inde enim mordax dicitur, quaſi, detractor, & lividus, qui lingua, vel calamo nomen & exiſtimationem alterius inſectatur. *Ovid. Lib.* 2. *Triſt. Eleg.* 1.

Non ego mordaci diſtraxi carmine quenquam.

Et Elegantur *Horatius* Mordacem cynicum dixit, *Lib.* 1. *Epiſt.* 17.

Mordacem cynicum ſic eludebat. ——

Sic & *Setin. Lib.* 1. *Sat.* 4.

Lividus & mordax videor tibi. ——

Et dicto *Lib.* 1. *Epiſt.* 16.

Mordear opprobriis falſis. ——

Plane tamen in hanc *Phædri* Noſtri ſententiam *Carm. Lib.* 4. *Ode* 3.

Et jam dente minus mordeor invido. Juvenal. Sat. 9. *Vers.* 10.

—— *convivia joco mordente facetiis,*
Et ſalibus vehemens. ——

L.

Dente] Apparet etiam ex præcedente vocabulo, *mordaciorem*, hic elegantes uſurpari; *dente adpetere*: nam nihil aliud quam dicacitatem, jocorum ſales, & acrimoniam intelligit. Sic *Horat. Epod. Ode* 5.

Heic irreſectum ſæva dente livido
Canidia rodens pollicem.

Quid dixit aut quid tacuit? ——

Et *Lib.* 1. *Epist.* 18.

—— *qui*
Dente Theonino cum circumroditur,
ecquid
Ad te post paulo ventura pericula sentis?

Hinc *Dentem dente rodere*, dicitur, qui carpit eum, qui neque loqui queat, neque sentiat. Aut qui mordet quempiam pari mordacitate præditum. Ut *Martial. Lib.* 13. *Epigr.* 2. In detractatorem quempiam:

—— *Quid dentem dente juvabit*
Rodere? carne opus est, si satur esse velis.

L.

In officinam Fabri venit Vipera,
Hæc cum tentaret si qua res esset cibi,
Limam momordit. Illa contra contumax:
Quid me, inquit, stulta dente captas lædere,
Omnes adsuëvi ferrum quæ corrodere?

Tentaret] Absolute, ut supra *Lib.* 3. *Fab.* 10. *Tentat in tenebris.* Ubi vide notas. Est autem hic *Explorare gustu*, plane sicut Germani. *Scheffer.*

Si qua res cibi] Id est, aliquis cibus, ut *Res voluptatum* dixit *Plaut. Amphi.* Sic *Euripides* aliquoties χρῆμα θηλειῶν dixit, id est, *Negotium*, vel *Res feminarum*, pro feminæ, Et *Aristophanes* τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν, pro αἱ νύκτες. Sed de hac quoque Græcorum periphrasi honesta pluribus aliquando ad *Oppianum* agebamus. *Rittersh.* Hic quasi χρῆμα τρόφης. Nil Græce crebrius, præsertim apud Atticos, & Jonas (id est novos & veteres Atticos) ita sæpe apud *Aristophanem*, & *Herodotum.* Exempla passim, ut χρῆμα σὺς μέγα, *Magnus aper.* χειμῶνος χρῆμα ἀφορητον, *Vehemens tempestas*, & alia sexcenta, quæ à me alibi notata sunt. Ita denique *Plutarchus* de Octavia dixit, χρῆμα θαύμαστον γυναικός. *Mulier plane mirabilis*, *vol.* 1. 929. Editionis, majoris. Quid autem illud *Luciani*, παγκαλὸν τι χρῆμα παρθένος? *Formosissima, & floridulo ore puella*, quid venustius dici, aut fingi potest? Sed folens more suo facit *Lucianus.* Neque enim temere quenquam reperias tersiorem, elegantioremque. *Fab.* Vide etiam quæ habet optimus eruditissimusque *Gronovius Lib.* 3. *Observ. Cap.* 24. & *Guiet.* ad *Terent. Phorm. Act.* 4. *Sc.* 4. *Scheffer.*

Contumax] Usurpatur hic, nisi fallor, uti apud *Tacitum* legi memini: *Contumax etiam adversus tormenta servorum fides.* L.

Stulta dente captas] Stulta casus est pénultimus, & ad viperam refertur. At *Captare*, est studiose quærere, & *Capto lædere*, ut apud *Columellam*, Capto acquirere, Verba ejus *Lib.* 8. *Cap.* 2. *Sed ne hæc tamen cura aliena est agricolæ, captantis undique voluptates acquirere.* Vide *Ovid.* 10. *Metamorph. Vers.* 58. ibique Nob. *Heinsio* Notata *Scheffer.*

Ferrum quæ corrodere] Similis plane locus *Horatii:*

—— *Fragili quærens illidere dentem*
Offendet solido. ——

Schop.

FABULA

FABULA OCTAVA.

Vilpus, & Caper.

HOmo ſimul ac venit in magnum periculum,
Effugium reperire alterius quærit malo.
Cum decidiſſet Vulpis in puteum inſcia,
Et altiore clauderetur margine,
Devenit Hircus ſtitiens in eundem locum:

Vulpis & Caper] Æſopus Fab. 4. Camerar. p. 74. Rigalt.

Homo ſimul ac venit] Curt. Lib. 4. Cap. 19. *His (quod in adverſis fieri ſolet) alius in alium culpam referebat, cum omnes potius de ſævitia maris queri poſſent.* Nevel.

Effugium) Eleganter & proprie occaſionem &, viam elabendi & evadendi ſignificat. Effugere enim, euadere, ac elabi ICtis. dicitur. Ut *Effugere deportatus*, l. 4. §. 1. ff. de re milit. *Effugere periculum* l. 15. §. ult. ff. de pignor. Et *periculum maris* l. 9. §. ult. ff. acquir. rer. dom. *Effugere oculos noſtros feræ beſtiæ & volucres*, l. 5. ff. de acquir. rer. dom. *Effugere noſtram perſecutionem* l. 44. ff. eod. *Cum pavo meus manſuetus de domo mea effugiſſet* l. 37. ff. de furt. Alias eſt evitare, ſic *Effugiendorum munerum cauſa*, l. 5. §. *Divus.* ff. de jure immunit. Id eſt, evitandorum. Sic &, *Non effugiunt infamiæ notam*, l. 2. ff. de obſeq. par. & patr. præſt. L.

Reperire effugium] *Non tamen ſapienti viro decorum fuerit, unde amico infamiam parat, inde gloriam ſibi recipere.* Nero apud Tacit. Rigalt.

Alterius quærit malo] Periculo alterius: quærit opem, nec curat, licet feren-

tem ſibi eam opem videat in malum incidere. *Scheffer.*

Clauderetur] Cohiberetur, propter altitudinem quo minus poſſet egredi. *Virgiliana* imitatione, Poëta ſic 10. *Æneid.*

Ecce maris magna claudit nos obice Pontus.

Scheffer.

Margine] Quod ripa in flumine, id *margo* in puteo, ſtructura nempe ea, qua inluditur, propria puteorum, qua deſtituuntur fontes, fluentes ſcilicet in plano. Vide *Palladium. Plin. Lib.* 9. *Cap.* 97. *Gadibus fons incluſus, ad putei modum.* Habes differentiam, & incluſionem. *Scheffer.*

Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor,
Et copioſus? Illa fraudem moliens;
Deſcende, amice: tanta bonitas eſt aquæ,
Voluptas ut ſatiari non poſſit mea.
Immiſit ſe Barbatus; tum Vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus,
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

Copioſus] Abundans, & ſatis ſufficiens ad reſtinguendam ſitim, Sic enim *Copia*, præter alias ſignificationes pro multitudine & abundantia ſumitur, ut *Si copia eſt civium, l.* 3. *C. quemadm. civil. In his civitatibus quæ copiam virorum honeſtorum habent. l.* 12. *ff. de decurion.* Ubi *Copia*, & *paucitas*, opponuntur. *Pecuniarum copia ampliari imperium. l. ult.* §. *ſi plures. ff. de bon. damnat.* L.

Moliens] Cogitans, attentans, ſic in *l.* 14. *ff. de Offic. Præſ. Ne quid perniciosius ipſi in ſe moliantur.* L.

Amice] Blanda, & amica ſed fraudulosa interpellatio, Supra *Lib.* 3. *Fab.* 7. Lupus ad carnem:

Unde hoc, amice? ——————

L.

Bonitas aquæ] Eleganter, ſic *Bonitas agri* dicitur in *l.* 25. *ff. de ſervit. Præd. ruſt. l.* 64. *ff. de Ædilit. edict. Bonitas fructuum l.* 15. §. *ult. ff. de evict. Bonitas frumenti, l.* 65. §. 1. *ff. de condict. indeb. Bonitas fundi, l.* 45. *ff. de evict. Bonitas frumenti, l.* 65. §. 1. *ff. de condict. indeb. Bonitas fundi, l.* 45. *ff. de evict. Bonitas loci, l* 1. *ff. eod, l.* 45. §. *ult. ff. de act. empt. Bonitas mancipiorum, l.* 36. *ff. de Ædilit. edict. Bonitas regionis, l.* 64. *ff. de evict Bonitas vini, l.* 15. *ff. de per. & com. rei vind. Eadem bonitate ſolvi mutuum qua datur, l.* 3. *ff. de reb. cred.* id eſt, æque bonum reddi, ut ibidem explicatur. L.

Nixa celſis cornibus] Hirci. Ergo *Nixa*, eſt *innixa. Cic. de Haruſp. Reſp. Vix innixa in omnium noſtrorum humeris cohærebunt.* Et ſic plane cenſeo legendum. Prima ſyllaba in *innixa*, propter ſimilitudinem ſequentis, extrita, vel omiſſa eſt à librario. *Scheffer.*

Clauſo] Propter claüſum vadum egredi non valentem. *Scheffer.*

FABULA

FABULA NONA.

De Vitiis Hominum.

PEras imposuit Jupiter nobis duas.
Propriis repletam vitiis post tergum dedit;
Alienis ante pectus suspendit gravem.

PEras] Ita vocabant sacculos ex aluta, è collo ad lumbos pendentes. Hinc *Pera viatoria*, qua panem & aliquid obsonii gestare solent: quemadmodum poculum viatorium, quo vinum. *Martial. Lib.* 14. *Epigr.* 81. Ubi pera honestiorem dominum quam cynicum petit, cujus mendicata frusta cogatur ferre, & pulvini officium dormienti præstare:

Ne mendica ferat barbati prandia nudi
Dormiat, & tetrico cum pane pera rogat.

Namque pera ista, tota fere cynicorum supellex erat, unde idem *Mart. Lib.* 4. *Epigr.* 53.

Hunc quem sæpe vides inter penetralia nostra
Pallados, & templi limina, Cosme, novi.
Cum baculo peraque senem: cui cana putrisque
Stat coma, & in pectus sordida barba cadit:
Cerea quem nudum tegit uxor, abolla grabati,
Cuique datis latrat obvia turba cibis.
Esse putas Cynicum, deceptus imagine falsa.
Non est hic Cynicus, Cosme, quid ergo? canis.

L.

Propriis repletam vitiis] Ex illo *Catulliano*:

Sed non videmus manticæ quod in tergo est.

Quod & *Persius* imitatus est, hoc versu:

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.

Sed & aliis hac elegantissima Fabella uti placuit: ut *Galeno*, ut *Themistio*. Hujus quidem locum mihi indicavit amicus meus eruditissimus *David Hæscholius*, ex oratione quæ βασανιστὴς inscribitur: Σοφὸς γὰρ ἦν Αἴσωπος ὁ μυθοποιὸς, ὃς ἔφη, τοὺς ἀνθρώπους δύο πήρας ἕκαστον φέρειν, τὴν μὲν ἔμπροσθεν, τὴν δὲ ὄπισθεν. γέμειν δὲ κακῶν ἑκατέραν· ἀλλὰ τὴν μὲν ἔμπροσθεν, ἀλλοτρίων, τὴν δὲ ὄπισθεν, τῶν αὐτοῦ τοῦ φέροντος. καὶ διὰ τοῦτο οἱ ἄνθρωποι τὰ μὲν ἐξ αὐτῶν κακὰ οὐχ ὁρῶσι, τὰ δ' ἀλλότρια πάνυ ἀκριβῶς θεῶνται. Nimirum ut *Plutarchus* ait, ἕκαστος αὐτοῦ φαυγότερος κριτὴς ἢ ἑτέρων; atque ut *Johan. Chrysostomus*: ἐν τοῖς ἑτέρων ἁμαρτούμασιν ἐσμὲν πικροὶ ἐξεταστάι· καὶ τῶν ἡμετέρων οὐδένα λόγον ποιούμεθα. *Rittersh.* Et *Sen. Lib. 2. de Ira*: *Aliena vitia in oculis habemus, à tergo nostra sunt. Nevel.* Vide *Casaub. ad Pers. Pag.* 340. Alii veterum duas homini manticas tribuebant, alii unam, eamque in tergo pendulam, in quam quisque sua vitia, ac peccata recondat, unde fit ut alieno tergo pendentem manticam videant, suam vero non, sensus eodem redit. *Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 3.* In hunc sensum:

Respicere ignoto discet pendentia tergo.

Sen. Lib. 7. de Benefic. Cap. 28. Fortasse vitium de quo quæreris, si te diligenter excusseris, in sinu invenies. L.

Gravem] Gravatam, vel, ut ante, *Repletam.* Cætera dixit & *Sueton. in Cajo Cap. 32. Manibus abscissis, atque ante pectus è collo pendentibus circumducebatur. Scheffer.*

Hac re videre nostra mala non possumus,
Alij simul delinquunt censores sumus.

Hac re] Id est, ideo. *Rittersh.* Vel pro, *Hac ex re*, sicut dicimus, qua re, pro, *Qua ex re*, ut est plene apud *Cornel. Nep. in Datam. Cap. 2. Qua ex re majoribus copiis praeesse cœperat.* Qua ex re, est *Qua re*, vel conjunctim *Quare.* Ita *Hac re*, & *Ea re.* Ut rursum *Cornel. Vita Miltiad. Cap. 4. Vidit hostes eadem re fore tardiores.* Et *Curt. Lib. 5. Cap. 9. Ea re paruit Artabazo.* Mutant hoc, sed absque ratione. *Scheffer.*

Nostra mala] Ita *Cic. Lib. 1. de Offic. Fit enim nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quam in nosmet ipsis, si quid delinquitur.* Hinc *Owenus*, nisi fallor, Martialis ille Britannicus:

Cur aliena magis, quam crimina nostra videmus?
An quia nostra procul sunt aliena prope?

Christus apud Euangelistam *Lucam Cap. 6. Quid vides festucam in oculis fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est non consideras? Cic. Lib. 4. Tusc. Quæst. Est enim hoc proprium stultitiæ, aliorum vitia cernere, oblivisci suorum.* Ita *Horat. Lib. 1. Serm. Sat. 2.*

Cum tua prævideas oculis mala lippus inunctis
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius? ———

Causam etenim & *Terent. Heautontim. Act. 3. Sc. 1.* quærit:

Ita comparatam esse hominum naturam omnium,
Aliena ut melius videant & dijudicent,
Quam sua? an eo fit, quia in re nostra aut gaudio
Sumus præditi nimio, aut ægritudine?

L.

Censores sumus] Simile est illud: *Istos tristes & superciliosos alienæ vitæ censores, suæ hostes, publicos pædagogos, assis ne feceris.* L.

FABULA

FABULA DECIMA.

Fur, & Lucerna.



LUcernam Fur accendit ex Ara Jovis,
Ipsumque compilavit ad lumen suum.
Onustus qui sacrilegio cum discederet,
Repente vocem Sancta misit Religio:

Lucernam fur accendit] Proprie, ut *Accendere lucernam monumento, l.* 44. *ff. de manumiss. testam.* Ita *Sen. Epist.* 95. *Accendere aliquem lucernam Sabbatis prohibeamus. Tabernarius in semita noctu supra lapidem lucernam prosuerat l.* 52. §. 1. *ff. ad leg. Aquil.* Lucernam autem à Lychno dictam, unde & brevem esse *Lucilio*, & *Horatio*, *Servius in* 1. *Æneid.* notat. L.

Ipsumque compilavit] Jovem. Ponit autem pro ipsius Fano, nota figura. *Scheffer.*

Compilavit] Exspoliavit. *Cic.* 1. *de Nat. Deor. Alii omnia, quæ possunt fana compilant.* Id est, expilant, exspoliant. *Scheffer.* Sic in *l.* 9. *ff. ad leg. Jul. peculat. Compilare Sacra publica* dicitur. *Festus*, ait: *Compilare est cogere, & in unum condere.* L.

Suum] Proprium ipsius Jovis, quod ab eo fur acceperat; Sic *Cic. de Harusp. Resp. Sua concio risit hominem. Curt. Lib.* 3. *Cap.* 2. *Suam naturam plerumque fortuna corrumpit.* Vulgo hæc non recte exponunt. *Lactant. Lib.* 1. *Cap.* 9. *Hunc homines Deum putant, sed Philoctera suus hæres non putavit.* Ita legitur in optimo *M. S.* non *ejus*, uti est in editis ex emendatione sciolorum. *Scheffer.*

Omnibus] Ita ſolent de furibus, quod ad *Lib.* 1. *Frontini Cap.* 4. Obſervavit eruditiſſimus *Kenchenius. Scheffer.*

Sacrilegio] Hinc *Sacrilegi* dicuntur, qui publica ſacra compilaverunt *l.* 6. & *d. l.* 9. *ff. ad leg. Jul. pecul. Servius in Virgil. Eclog.* 9. *Sublegere*, ait, *furari eſt: unde & ſacrilegus dicitur, qui ſacra legit*, id eſt, *furatur. Sacrilegium* autem etiam Impp. appellant *Suarum conſtitutionum violatarum crimen*, *l. un. C. de crim. ſacril. l.* 6. *de appellat.* in *Cod. Theod. Sacrilegiique crimen irrogant his, qui præcepta ſua neglexerint, vel ſcitè violaverint*, *l.* 1. *C. ut dignit. ordo ſerv. Lib.* 12. *l.* 13. *C. de erogat. mil. annon. Lib.* 12. Et apud *Caſſiodor.* in *Libris Variar.* aliquoties. *Veget.* in *Prol. Lib.* 2. *Rurſus tanti Imperatoris non obedire præceptis plenum ſacrilegii videbatur, atque periculi.* L.

Sancta miſit Religio] Id eſt Deus. Videtur in animo habuiſſe illud *Virgilii Lib.* 3. *Æneid.*

——— *namque omnem curſum mihi proſpera dixit*
Religio. ———

Quanquam ibi religio ſignificare videatur illud potius, quod exquirendarum rerum futurarum gratia, ex præſcripto religionis adhibetur, ut ſacrificium & id genus. *Scheffer.*

Miſit] Id eſt *Emiſit*, ut ſupra *Lib.* 2. *Fab.* 18. *Scheffer.*

Malorum quamvis iſta fuerint munera,
Mihique inviſa, ut non offendar ſubripi;
Tamen, ſceleſte, ſpiritu culpam lues.
Olim, cum adſcriptus venerit pœnæ dies.

Malorum munera inviſa Deo] Graviſſime in hanc ſententiam ſcripſit *Plato: Cum vir honeſtus turpe ſibi ducat, munera ab improbo homine capere: quanto magis Deum ita animatum eſſe, debemus exiſtimare! Rittersh.*

Iſta] Quæ tu abſtuliſti nunc furto, *Munera* vocat *Donaria*, quæ vulgo dari Diis, & in templis eorum ſuſpendi ſolebant. *Dona templorum* dixit *Tacit. Lib.* 5. *Annal. Cap.* 6. *Scheffer.*

Subripi] Significat clanculum furari *l.* 9. §. 1. *ff. de pecul.* Ita *Subripere aliquid de re civitatis*, *l.* 4. §. *ult. ff. ad leg. Jul. peculat. Subripere cautiones*, *l.* 82. §. *ult. ff. de pact. Subripere ancillam*, *l.* 10. *ff. pro empt.* Et *Hominem l.* 2. §. *ult ff. de privat. delict.* Sic *Subripere ſervum l.* 27. *ff. ad leg. Aquil.* Et *Subripi ſervus, & ancilla l.* 46. §. 1. *l.* 48. §. *ancilla. ff. de furt.* Item *Subreptus homo l.* 35. *ff. de uſucap.* Et *Subrepta ancilla*, *l.* 74. *ff. de furt. l.* 26. *ff. de ſtat. hom. Subrepti codicilli l.* 1. *ff. de jure fiſci. Subreptorum inſtrumentorum crimen, l.* 16. *ff. ad leg. corn. de falſ. Subreptum pignus*, *l.* 22. *ff. de pigner. act. Subrepti nummi*, *l.* 19. *ff. de ſolutionib.* Et ſimilia. L.

Spiritu] Sicut *Luere capite*, *Curtius*, vel *Luere ſanguine*, *Vellejus*, vel *Luere morte*, *Cicero* dixere. *Sebeffer.* Etiam Noſtri ICti. ut, *Capite luendum*, *vel minore ſupplicio*, *l.* 16. §. *locus. ff. de pan.* L.

Culpam lues] Nota, quod etiam falſæ religionis contemptus, aut violatio nunquam cuiquam impune abierit: Cujus rei exempla ex hiſtoricis multa colligi poſſunt. Sed Brenni imprimis eſt memorabile: de quo ſic *Propertius* canit *Lib.* 3.

Torrida ſacrilegum teſtantur limina Brennum
Dum petit intonſi Pythia regna Dei:
At mons laurigero concuſſus vertice durat
Gallica Parnaſſi ſparſit in alma nives.

De quo & *Juſtinum* vide *Lib.* 24. & *Callimachum Hymn.* 4. in Delum. *Rittersh.* In hanc ſententiam *Ovid. Lib.* 3. *Metamorph. Verſ.* 336.

——— *neque enim licet irrita cuiquam*
Facta feciſſe Deo. ———

L.

Olim] Potuit ſtudioſis indicari *Olim* eleganter de futuro dictum, ut *Horat:*

——— *non*

——— *non ſi male nunc & olim*
Sic erit. ———

Quaſi dicat, etiamſi nunc male ſit, tamen non ſemper in futurum male erit. Hic quoque infra:

——— *olim ſenio debilem*
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua.

Schop.

Adſcriptus] Scriptus à fatis, definitus. Vide quæ notavi olim ad nitidiſſimum *Panegyr. Cap* 18. Ibi enim cauſa, quare *Scriptus*, ſeu *Adſcriptus* dicatur. *Scheffer.* Sic *Adſcribi dies* dicitur *l.* 1. & 3. & *l.* 27. §. *cum marina. ff. de condit. & demonſtr.* L.

Pœnæ dies] Quemadmodum *Dies largitionum* dicitur in *l.* 38. *de Naviculat. in Cod. Theod.* Et *Dies Paſchalis lætitiæ*, *l.* 6. *ff. de indulgent. Crim. in Cod. Theod.* L.

Sed ne ignis noſter facinori præluceat,
Per quem verendos excolit pietas Deos,
Veto eſſe tale luminis commercium.
Itaque hodie nec lucernam de flamma Deûm,
Nec de lucerna fas eſt accendi ſacrum.

Luminis commercium] Elegantiſſime: ut linguæ commercia *Lucretius*: ſepulturæ, *B. Ambroſius.* Vide Notas ad *Guntherum. Rittersh.* Uſum intelligit, & vult vetaſſe Deum accendi in poſterum lumen de igne ſacro, ſicut fur fecerat, & contra, de lumine ignem ſacrum. Sic apud *Ovidium* linguæ commercia uſurpantur, *Lib.* 6. *Triſt. Eleg.* 8. Et apud *Vellej. Lib.* 2. *Cap.* 65. Commercia epiſtolarum. *Scheffer.* Commercium autem *Hermogenianus* in *l.* 5. *ff. de juſtit. & jur.* Appellat mutuam rerum communicationem, quæ per contractus negotiationeſque explicatur. Atque ita commercium earum rerum non eſſe dicitur, quæ uſibus hominum dominioque ſubjici, & in obligationem deduci, alienarique & acquiri non poſſunt *l.* 34. §. *ult. ff. de legat.* 1. *l.* 6. *ff. de contrah. empt. l.* 1. §. 1. *ff. quæres pign. dat. oblig non poſſ. l. ult. ff. de act. empt. l.* 83. §. *ſacram. ff. de Verb. Oblig.* §. 1. *Inſt. de Inutil. Stip.* Atque ita hic Jupiter verat cum hominibus ſacri luminis commercium. L.

Fas eſt accendi ſacrum] Sacrum pro ſacrificio, vel hoſtia poſitum. Ad ſacra autem fere perpetuum in æde ſacra alebant ignem: ſicuti & ad monumenta cariſſimorum *l.* 44. *Mævia. ff. de manumiſſ. teſtam. l.* 5. §. *proinde. ff. de donat. int. vir. & uxor.* Et *Petronius Arbiter* huc alludens, ſcripſit de ancilla matronæ Epheſinæ, lugentis maritum ſuum, hanc adſidentem conditorio, lumen in monumento poſitum renovaſſe, quotiens defecerat. Quod hodieque nonnullis in locis inter Chriſtianos ſervatur. *Rittersh.* Scilicet non ex culina, ſed cœlo petebant ignem, quo in victimis & ſacrificiis utebantur. *Serv. ad* 12. *Æneid. Apud majores aræ non incendebantur, ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebant altaria.* Vide *Stuch. de Sacrific. p. m.* 102. *Scheffer.* Vetus Gloſſar. Sacrum vocat: ἱερὸν τὸ δημόσιον ἀφιέρωμα ἐν πόλει ἢ ἐν ἄγρῳ. *Sacrum*, & *Profanum* opponuntur in *l.* 6. §. *ſacræ autem. ff. de rer. diviſ.* L.

Quot res contineat hoc argumentum utiles,
Non explicabit alius quam qui reperit.
Significat primo, ſæpe quos ipſe alueris
Tibi inveniri maxime contrarios.

Sæpe quos aluerit] Xenoph. Κυεγπαιδ. In fine: πολλοὶ δὲ πολλὰς ἤυξησαν ἤδη καὶ ἰδιώτας καὶ πόλεις, ὑφ' ὧν αὐξηθέντων τὰ μέγιστα κακὰ ἔπαθον. *Nevel.* Elegans hujus ſententiæ exemplum eſt apud *Sueton.* in *Jul. Cæſ. Cap.* 82. Ubi Cæſar Bruto in cædem irruenti duxiſſe fertur: καὶ σὺ εἰς ἐκείνων, καὶ σὺ τέκνον. Et paulo poſt *Cap.* 84. Inter ludos cantata ſunt quædam ad miſerationem & invidiam cædis ejus accommodata, ex Pacuvii Armorum Judicio:

Men' me ſervaſſe, ut eſſent qui me perderent?

Quo Pompejani milites notantur qui à Cæſare victore ſervati, & ad honores evecti, paulo poſt ipſum interemerunt. Vide infra, *Fab.* 17. Hinc *Canes nutrire* dicebantur, qui pro beneficio male ab ingratis habebantur. *Theocrit. in Hodæp.*

Θρέψαι καὶ λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας ὡς τὸ φάγητι.

Id eſt:

Paſce canes qui te lanient, catuloſque luporum.

Addeillud dictum *Socratis*: Κακῶς ποιῶν τυν, θρέψαι λύκους. *Malis faciens bene, nutrit lupos.* Hinc illud Græci Comici:

Μετὰ τὴν δόσιν ταχὺ γηράσκει χάρις.

Id eſt:

Poſt munera cito conſeneſcit gratia.

Et:

Ἀμ' ἤλειπται, καὶ τέθνηκεν ἡ χάρις.

Id eſt:

Simulac miſertum eſt interiit gratia.

L.

Inveniri] Ita ſupra *Lib.* 1. *Fab.* 12. Ubi vide Notas. *Scheffer.*

Contrarios] Adverſarios, hoſtes. *Scheffer.*

Secundum oſtendit, ſcelera non ira Deûm,
Fatorum dicto ſed puniri tempore.
Noviſſime interdicit, ne cum maleſico
Uſum bonus conſociet illius rei.

Scelera non ira Deum] Sic Æſchylus:

Confide. Tandem præſtituto tempore
Pœnas dabunt, quicunque tempſerint
Deûm.

Vel ſi Græce loquentem audire malumus:

Θαῤῥεῖ. Χρόνῳ τοι κυρέω τ' ἐν ἡμέρᾳ
Θεὸς ἀτίζων τις βροτῶν δώσει δίκην.

Eadem eſt vox omnium ſapientium ſæpe iterata, & cotidiana experientia comprobata. *Ritterſh.*

Fatorum] Ira ſcilicet, quod ex ſuperioribus repetendum. Per facta puto Parcas intelligere, & opponere Diis, quos hic excellentiori ſignificatu ſolos ſuperos appellat. Vide ſimile quid infra *Lib.* 5. *Fab.* 6. *Scheffer.*

Dicto] Proprie, dicto. Sic infra, *Rediit hora dicta*, id eſt conſtituta. *Terent. Andr. Hic nuptiis dictus eſt dies.* Sic *Cæſ.* 1. *de bell. Gall. Omnibus rebus ad profectionem comparatis, diem dicunt, qua die ad ripam Rhodani omnes conveniant. Schop.*

Tempore] Unde *Horat. Carm. Lib.* 3. *Ode* 2.

Raro antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.

Et *Theocrit. in Idyll.* 10.

Εὗρε Θεὸς τὸν ἁλιτῆρα, ἔχεις πάλαι ὃν ἐπιθύμεις.

Id eſt:

Invenit Deus impium habes quæ olim cupiebas.

Ubi Scholiaſtes indicat, proverbium & alia forma ſolitum efferri:

Εὗρε Θεὸς αἶνον.

Cui ſimile eſt *Homericum* illud *Iliad.* δ.

Εἰπὲ γάρ τι καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος ὠκὺ ἐτέλεσσεν.
Ἐκ τι καὶ ὀψὲ τελεῖ, σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν.

Id eſt:

Quanquam etenim non punit Jupiter ilico ſontem,

At

At faciet tandem, & luerint ſua crimina magno.

Quo pertinet illud *Sophocleum*:

——— Ὅτ' ἂν δὲ τὶς Θεῶν
Βλάπτῃ δύναιτ' ἂν κόδὶν ἰσχύων φυγεῖν.

Id eſt:

——— *Ubi quis Deorum læſerit*
Nemo queat ſuffugere quamlibet potens.

Ita & *Pindarus* in *Pithiis*:

Θεὸς ὁ καὶ πτερόεντ' ἀίστὸν κίχε θαλασσαῖον ὠκυμέβετα
Δελφῖνα, καὶ ὑψιφερῶν τὶς ἔκαμψε βροτῶν.

Id eſt:

Deus & alatam aquilam aſſequitur, & prævertit
Delphinum, & elatorum quempiam depreſſit mortalium.

Et in *Olympiis*:

Εἰ δὲ Θεὸν ἀνὴρ τὶς ἔλπεται λαθέμεν
Ἔργων ἁμαρτάνει. ———

Id eſt:

Quod ſi Deum homo quiſpiam ſperat falſum ſe
Cum agit aliquid, errat. ———

Nam, ut eſt in proverbio: *Sero Jupiter Diphtheram inſpicit.* Antiquitas enim credidit, Jovem omnia in ſua diphthera, hoc eſt, pelle caprina ſcribere, ac multa quidem pro tempore diſſimulare, verum aliquando de improbis pœnas ſumere. *Plutarch. in Comment.* Περὶ τῶν ὑπὸ τῆς Θείας βραδέως τιμωρουμένων. ὥστε οὐκ ὀρθῶ τὶ χρήσιμον ἔχει, τοῖς ὀψὲ δὴ τοῦ τοῖς ἀλεῖν λεγομένοις μύλοις τῶν Θεῶν. Id eſt; *Itaque non video quidnam utilitatis inſit, iſtis Deorum molis, quæ ſero dicuntur molere.* Proverbialiter enim dicebatur, *Sero molunt Deorum molæ*; in eos videlicet homines, qui licet ſerius, tamen aliquando pœnas dant malefactorum vindici Deo. L.

Interdicit] Abſolute. Sic *Terent. Hec. Act. 4. Sc. 1. Interdico, ne extuliſſe extra ædes puerum uſquam velis*, hoc eſt, prohibeo. *Scheffer.*

Ne cum maleſico] Cauſſam reddit *Theognis*, & *Menander*: quorum ille ſic in gnomis:

——— κὴν δὲ κακοῖσι
Συμμιχθῇς, ἀπολεῖς καὶ τὸν ἐόντα νόον.

Hujus autem verſiculus etiam per *Apoſtolum 1. Corinth.* 15. Sanctificatus eſt (ut cum *Tertulliano* loquar *Lib. 1. ad Uxorem*:)

Φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαί.

Id eſt:

Bonos corrumpunt mores, congreſſus mali.

Alteram deinde cauſſam adfert *Horatius*, quia:

——— *ſæpe Diſpiter*
Neglectum inceſto addidit integrum.

Imitatur *Euripidem*, cujus hæc ſunt extrema *Electra*:

Οὕτως ἀδικεῖν μηδεὶς φιλείτω,
Μηδ' ἐπιόρκων μέτα συμπλείτω.

Imo etiam ſecundum *Heſiodum*:

Πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἀπαυρεῖ.

Rittersh.

Uſum bonum conſociet] Cic. Lib. 12. de Finib. *Nec vero rectum eſt, cum amicis, aut bene meritis conſociare, aut conjungere injuriam. Scheffer.*

FABULA UNDECIMA.

Malas esse Divitias.

OPes invisæ merito sunt forti viro;
Quia dives arca veram laudem intercipit.

O*Pes invisæ*] Non recte Philosopharis *Phædre*, odisse opes non est viri fortis, imo non cadit hic affectus in eum, cujus omnis virtus consistit in æquanima patientia, & generoso contemptu. At, *sapienti viro*, dicere fortasse voluisti; sed neque sic evadis. Nunquam oderit vir sapiens divitias, quippe quas scit sine culpa & crimine se admittere posse. Hoc tantum faciet, si obstabit honesti respectus, contemnere se illas posse ostendet. Et dic sodes bona fide. Itane videntur tibi *Opes invisæ merito*? Erras profecto; ut & in lemmate quo *malas* esse contendis. Audi veram vocem. Non divitiæ malæ sunt, sed mali, qui illis male utuntur. Præterea, ut porro tibi errorem tuum manifestum faciam, Hercules ille in tua fabella non dicit odisse se divitias, sed divitem corruptorem. Hoc attendere debueras, & lemma facere, *Malas esse corruptelas. Meurs.* Quæ hic *Meursius* disputat contra Philosophiam nostri, prorsus aliena sunt, nec scribi à tanto viro debuerunt. *Scheffer.* Sed & *Aristot. Lib. 1. de Republ. Cap. 5.* ait: *Opes multorum instrumentorum & commoditatum in re familiari & civili locum obtinent. Ex quo perspicuum est quæstuariam quandam à natura propositam esse, & iis, qui Rempubl. & iis qui rem familiarem tuentur.* Neminem autem vitam laudabilem agere quatenus divitem, sed quatenus justum, auctor est *Stob. Serm. 95.* L.

Forti viro] *Onosander Strateg. Cap. 1.* Ἡ δ' ἀφιλαργυρία δοκιμαστήσε ται καὶ πρώτη· τοῦ γὰρ ἀδωροδοκήτως καὶ μεγαλο-

γαλοφρόνως προΐστασθαι τῶν πραγμάτων αὐτὴ παραιτία. πολλοὶ γὰρ κἂν διὰ τὴν ἀνδρίαν ἀσπίσι πολλαῖς καὶ δόρασιν ἀντιβλέψωσιν, περὶ τὸν χρυσὸν ἀμαυροῦνται. *Rigalt.*

Dives arca veram laudem intercipit] Literæ enim, ut ait *B. Hieronymus*, marsupium non sequuntur: quamvis Cræsos quis spiret, & Darios, sudoris comites sunt & laboris. At πενία σοφίαν ἔλαχε, καὶ μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει ut est apud *Theocritum. Rittersh.* Sic & *Isocrates* aperte πλοῦτος κακίας μᾶλλον ἢ καλοκαγαθίας ὑπηρέτης ἐστιν, ἐξουσίαν μὲν τῇ ῥαθυμίᾳ παρασκευάζων. Videsis *Ælian.* ποικίλ. ἱστορίας *Lib.* 11. *Cap.* 9. Ubi ex manuscripto Palatino, & *Plut.* in *Apophthegm.* Leges χρυσοῦς, non χρυσία. *Nevel.* Eleganter hic dicit *arca*, propter sequens *intercipit*, velut excipula, insidias struens laudi alienæ. *Scheffer.* Raro enim fit, quod est apud *Hesiodum*, qui ita alicubi:

—— πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ.

Id est:

Divitias autem virtus & gloria comitantur.

L.

Intercipit] Intercipere in jure dicitur, qui ea mente ut lucretur, rem aliquam intervertit, & contrectat, *l.* 1. §. 1. *l.* 33. *ff. de furt. l.* 38 §. *si debitorem. ff. de solut. l.* 44. §. *ult. ff. de acquir. rer. dom.* Ut: *Si id argentum mali homines intercepissent, l.* 20. *ff. commod. Qui bona eorum quibus serviebant intercepissent, l.* 43. *ff. de liber. caus.* Ita, *Intercipere nummos l.* 38. §. *ult. ff. de noxal. act. Intercipere pecuniam, l.* 1. §. *in tutela. ff. de tutel. & rat. l.* 43. *ff. de liber. caus.* Unde *Interceptarum pecuniarum reus*, Apud *Sueton. in Domit.* L.

Cælo receptus propter virtutem Hercules,
Cum gratulantes persalutasset Deos;
Veniente Pluto, qui fortunæ est filius,
Avertit oculos: causam quæsivit Pater.

Propter virtutem Hercules] Eleganter ipse apud *Senecam* extremo *Hercule Oeteo*, ad Alcmenam matrem:

Quid me tenentem regna siderei Poli
Cæloque tandem redditum, planctu jubes
Sentire factum? parce: nam virtus mihi
In astra, & ipsos fecit ad Superos iter

Et postea:

Virtus in astra tendit, in mortem timor.

Cui pulchre succinit chorus ibidem:

Nunquam Stygias fertur ad umbras
Inclita virtus: vivite fortes,
Nec lethæos sæva per amnes
Vos facta trahent; sed cum summas
Exiget horas consumpta dies,
Iter ad superos gloriæ pandet.

Vide tamen *Lactant. Lib.* 1. *Cap.* 9. *Divin. Instit.* Ubi demonstrat nullam in Hercule virtutem fuisse, ob quam dignus esset cælo recipi. *Rittersh.* Nam ut est apud *Sen. Herc. Fur. Act.* 2. *Vers.* 447.

Non est ad astra mollis è terris via.

L.

Gratulantes] Ipsi novos istos honores, *Persalutare*, est salutationem omnium finire, sicut *Perorare* dicimus, & *Persanare*, & id genus. *Scheffer.*

Pluto, qui Fortunæ est filius] Cæcæ matris cæca proles. Vide *Aristophanem Pluto.* Ut autem ille hic malis amicus esse dicitur: ita contra de Paupertate, inquit, *Petronius Arbiter*: *Nescio quomodo bonæ mentis soror est paupertas*: Et ut idem: *Amor ingenii neminem unquam divitem fecit.* Cujus rei causam inquirit *Aristoteles Problem.* 4. *Sect.* 29. *Rittersh.* Dicit Noster Plutum Fortunæ filium esse, sed aliter tamen ἐγενεαλόγησεν *Hesiodus*, qui Plutum cereris filium fecit; & recte ille quidem. Nam ut iis, qui Græce penitissime

tissime sciunt, notum est, priscis temporibus πλοῦτον fruges, & alia ad annonam ac penum pertinentia significabat. Quod hoc loco probarem, nisi id Vir Clariss. *Daniel Heinsius* in notis ad *Hesiodum* ostendisset. Quem locum si legeris, è re tua feceris. Ergo, dixerit *Schoppius* aliquis, erravit *Phædrus*. Minime sane: nam & *Hesiodum*, ut reliqui in Græcia pueri legerat; & rem πρὸς τὰ ἡδικὰ referre maluit. Quid enim? an non verum est, καπηλεύειν τὰς ἡδονάς, Plutum (id est τὰ χρήματα) esse à Fortuna? Addam amplius; non omnes veteres hac in re secutos esse *Hesiodi* auctoritatem. En tibi hominem, qui & simulachrum Pluti in sinu & manibus Fortunæ vidit olim, quique præterea rationem addit, cur illum Fortunæ filium esse, nonnulli censerent, is est *Pausanias in Βοιωτικοῖς p.* 294. editionis *Wechelianæ*. Καὶ πλησίον τύχης ἱερόν. Φέρει μὲν δὴ πλοῦτον παῖδα. Deinde rationem subdit, σοφὸν μὲν δὴ καὶ τοῦτο τὸ βούλευμα, ἰσοῦσθαι πλοῦτον εἰς τὰς χεῖρας ἅπτεσθαι ἥντινα τῆς τύχης. *Fab.* Et hoc jam olim *Gyraldus* observavit. *Scheffer.*

Odi, inquit, illum, quia malis amicus est,
Simulque objecto cuncta corrumpit lucro.

Malis amicus est] Et propterea, *Dives aut iniquus, aut iniqui hæres* esse dicitur. Neque enim fere parari ingentes opes sine fraude crediderunt veteres. Et aut ipsum possessorem eas per fas nefasque congessisse, aut certe successisse ei, qui eas ea paravit via, *Plato Lib. de Legib.* 5. ὡς τε ὁ λόγος ἡμῖν ὀρθὸς, ὡς ἔοικεν οἱ παμπλούσιοι ἀγαθοί. Id est, *Itaque verum est quod vulgo dicimus, admodum divites non esse bonos.* Circumfertur apud Græcos & hic versiculus ex *Menandri Comœdiis*:

Οὐδεὶς ἐπλούτησε παχέως δίκαιος ὤν.

Id est:

Nunquam vir æquus dives evasit cito.

Atque huc respexit ille, qui Sullæ jactanti sese dixisse legitur: Quomodo vir bonus esse potes, qui tantas possideas opes, quum à patre nihil tibi relictum sit? Refert *Plutarchus* in illius vita. L.

Amicus est] Active scilicet, amans eos. Vide *Lucians Tim. Scheffer.*

Objecto] Eleganter, velut esca volucribus objicitur, qua capiantur: corrumpit omnia, inquit, dum pecunias, & lucrum monstrat. Active, namque hoc intelligo ut in illo *Tacit. Lib.* 4. *Annal. Cap.* 6. *Drusum traxit in partes, spe objecta principis loci.* Aliter *Cic. ad Brut. Splendore falsi honoris objecto, aciem bene ingenii perstringunt.* At hoc velle nostrum non existimo. *Scheffer.*

Cuncta corrumpit lucro] *Propert. Lib.* 3.

Auro pulsa fides: auro venalia jura:
Aurum lex sequitur: mox sine lege pudor.

Juvenalis:

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Divitiæ molles. ——

Plurimæ similes sententiæ apud *Theognidem, Euripidem, Senecam*, ac *Stobæum* reperiuntur. Elegantissime autem *Phocylides* κακῶν ἀρχηγὸν, βιοφθόρον πάντα χαλεπὸν πατάσσει πῆμα πολυτρόπον appellat τὸν χρυσὸν. Vide totum locum. Est enim prolixior. Valde quoque huc facit, quod Creon apud *Sophoclem*, in *Antigona* prolixe commemorat, quot quantaque mala argentum humanæ vitæ importarit. Sed ipsum regem audire est operæ pretium.

Οὐδὲν γὰρ ἀνθρώποισιν οἷον ἄργυρος
Κακὸν νόμισμ' ἔβλαστε τοῦτο καὶ πόλεις
Πορθεῖ. τόδ' ἄνδρας ἐξανίστησιν δόμων.
Τόδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει φρένας

Χρηστὰς

Χρηστὰς πρὸς αἰσχρὰ πράμαθ' ἵστασθαι βροτῶν.
Πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώπους ἔχειν,
Καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι.

Hoc est, ut ego interpretari potui totidem versibus:

Mortalibus nullum aque, ut argentum, malum
Unquam repertum est institutum. Hoc funditus
Evertit urbes: hoc viros sua ejicit
Domo: hoc bonæ menti magister ad mala est,
Turpes & ad res se monet convertere
Monstravit hoc versutias mortalibus
Cunctas, & omnia indidit facta impia.

Sed quicquid vel Creon *Sophocleus*, vel *Phædri* Hercules dicant, inter homines fit, quod apud *Euripidem Phænissis* dicitur:

Opes honoratissimæ mortalibus,
Rerum omnium unæ maximas vires habent.

Sic enim exprimere studui sententiam horum versuum:

Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα
Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει.

Rittersh. In quam sententiam & *Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 3.*

——— *Omnis enim res*
Virtus, fama, decus, divina, humanaque pulchris
Divitiis parent; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens, etiam & rex,
Et quicquid volet. ———

Nam ut idem eodem Libro *Sat. 5.* ait:

Et genus & virtus, nisi cum re vilior alga est.

L.

Corrumpit] Ita *Petron.* in *Satyr.*

——— *quid vis nummis præsentibus opta,*
Et veniet, clausum possidet arca Jovem.

L.

FABULA DUODECIMA.

De Leone Regnante.



UTilius homini nihil eſt, quam recte loqui.
Probanda cunctis eſt quidem ſententia,
Sed ad perniciem ſolet agi ſinceritas.

Recte loqui] Id eſt directe, ſine ambagibus. Παρρησιάζεσθαι, ſinceritate uti; mox enim ſequitur *Sinceritas*. *Kittersh.* Recta verba *Avien. Fab.* 26.

Nam quamvis rectis conſtet ſententia verbis,
Suſpectam hanc rabidus conſiliator habet.

Rectus ſermo, *Arnob. Lib.* 5. *Ubi enim dicitur in unius materiæ corpore pars eſſe allegorice ſcripta, indubitabili altera ſermone, rectoque.* Idem: *Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet. Sen. Controverſ. Proëm. Non placebat illi orationem inflectere, nec unquam recta via diſcedere.* Paulo poſt: *Summam quidem eſſe dementiam detorquere orationem, cui rectam eſſe liceret. Ammian. Marcellin. Lib.* 17. *His literis diu libratis, recto pectore (quod dicitur) conſideratque reſponſum eſt*, &c. Recte loqui, Romana ſimplicitate loqui, *Floridus:*

Cive Romano per orbem neme vivit rectius.

Recte, ἁπλῶς, ἀδόλως, ſincere ſic *Martiali*, *Recta fides. Rigalt.* Oppoſitum hujus eſt *Obliquè loqui*, quod eſt paſſim in uſu. Sed & *Recte* ſic uſurpavit *Plaut. Amphitr. Act.* 3. *Sc.* 3. *Recte loquere.* Et *Captiv. Act.* 5. *Sc.* 2. Ubi Hegio ad ſervum:

Si eris verax, tua ex re facies, ex mala meliuſculam
Recta, & vera loquere; ſed neque vere, neque recte adhuc
Feciſti unquam. ——

Scheffer.

Scheffer. Et ut hic *Phædrus*, ita *Petron.* in *Satyr.*

Sermonis puri non triſtis gratia ridet,
Quodque facit populus candida lingua refert.

L.

Quidem] Elegantiſſima, & latiniſſima particula, quæ vim habet adſeverationis majoris, ita *Curt. Lib. 4. Cap. 10. Odiſti me non quidem provocatus.* Scheffer.

Ad perniciem ſolet agi] Adduci, trahi, ſolet in exitium præcipitari. Quomodo *Livius. Captas Mentes velut furialibus ſtimulis ad omne ſcelus, & omnem libidinem agerent.* Scheffer. Atque hoc modo *Agi* etiam *Aqua* dicitur, id eſt, duci, *l. 1. §. incivile. ff. de rivis.* Sic *Agi aqua ex flumine, l. 1. §. 1. ff. de aq. cottid. & æſtiv.* Unde *Actor*, pro eo qui aquam ducit, *l. 1. §. Labeo. ff. eod.* Sic & *Agi ratis, l. ff. ne in flum. publ.* Et *Agi in exilium*; apud *Paul. Lib. 5. Sentent. Tit. 15.* Alia ſignificatione (quod hic obiter notandum) *Agere populum*, vel *Agere cum populo*, dicitur, quod *Feſtus*, exponit, *Populum ad conſilium, aut comitia vocare*, velut *Agellius lib. 13. Cap. 14. Rogare populum quod ſuffragiis ſuis aut jubeat, aut vetet.* L.

Cum ſe ferarum Regem feciſſet Leo,
Et æquitatis vellet laudem conſequi,
A priſtina deflexit conſuetudine,
Atque inter illas tenui contentus cibo,
Sancta incorrupta jura reddebat fide.

* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

Deflexit] Sic & ICtus. *Si quo deflexerit ſuæ rei cauſa, l. 38. ff. ex quib. cauſ. maj.* L.

Conſuetudine] Hic morem & vivendi rationem ſignificat, quæ etiam *Conſuetudo vivendi* dicitur, *Quintilian. Lib. 1. Cap. 12. Conſuetudinem ſermonis vocabo, conſenſum eruditorum; ſicut vivendi, conſenſum bonorum.* Sic conſuetudo domus vocatur mos ille, & vivendi ratio in domo aliqua uſitata; ut, *Si ex conſuetudine domus eſſet, l. 23. §. 1. ff. de pecul. legat.* L.

Jura reddebat] Proprie. *Curt. Lib. 8. Cap. 9. Rex cum capillum pectit, atque ornat, tunc jura popularibus reddit.* Sic vulgo omnes. Deeſt autem reliquum hujus fabulæ, cum nonnullis aljis, & initio ſequentium, quod quia erat ſpurcum, pium lectorem (Monachum fortaſſe) commovit, ut totam paginam hic erueret. Ita non modo ſpurca illa, ſed & extera, una cum fine hujus fabellæ perierunt. Quin enim una alterave integra fabella hic deſideretur, dubitare nequeo. Quale quid & locis aliis accidiſſe videtur. *Scheffer.*

Jura reddebat] Proprie de judicibus *l. 2. §. 27. ff. de orig. Jur.* Ita *Prætor quoque jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, l. 2. ff. de juſtit. & jur.* Sic *Prætorio viro jura reddente in Hiſpania Plin.* Lib. 19. Cap. 2. Et *Ovid. Lib. 1. Faſtor.*

Nullus erat juſtis reddere jura labor.

Quomodo etiam *reddere* & *reddi judicium l. 21. ff. de negot. geſt. l. 7. §. præterea. ff. de injur. l. 12. ff. de præſcript. verb. l. 4. ff. de aq. quotid. l. pen. ff. quod cujuſcunque univ. l. 3. ff. de bon. cor. qui ante ſentent.* Atque ita apud *Sen. Lib. 4. Natur. Quæſt. Cap. 7.* ubi paſſim. Dixi ſupra. L.

FABULA DECIMA TERTIA.

Postquam lavare cœpit pœnitentia
A fictione veretri linguam mulieris:
Adfinitatem traxit inde obscœnitas.

Postquam lavare] Improbi *Phædri* improbuli versus. In iis autem fragmentum fabulæ, quæ hujusmodi fortasse fuit: Nefaria hominum libido fœdæ Veneris propudiosa diverticula excogitabat. Adeoque virorum & mulierum ori turpiter illudebat. Rogavit aliquis senem *Æsopum*, quæ ratio abominandæ illius lasciviæ? Respondit *Æsopus*, Prometheum quondam pocula in veretronim pudendam formam è luto finxisse: his poculis bibisse mulieres, ita, postquam lavare cœpit penis tentia, affixione veretri linguam mulieris, adfinitatem traxit inde obscænitas. Nimirum inde homines ore morigero Corvorum Coitum imitati sunt. Sic in *Parrhasii*. Fabula *Meleagro Atalanta ore morigerabatur*. *Sueton.* in *Tiber. Cap.* 44. Immo & viri hac etiam parte effeminati. *Calenus* in *Cic. pro Anton.* apud *Dionem* 46. Καὶ προσέτι τὸ στόμα αὐτοῦ διαβάλλειν ἐπχείρεσε, τοσαύτῃ ἀσελγείᾳ καὶ ἀκαθαρσίᾳ πάντα τὸν βίον χρώμενος, &c. Sic Demosthenes: *Parum vir, ore quoque polluto* dicebatur. *Gell.* 1. *Cap.* 5. Et ita permultos notat passim *Martialis*. Hæc igitur obscænitas adfinitatem à turpibus poculis traxit. Per obscænitates enim bibebant.

Plin.

Plin. Proem. Lib. 33. *Auxere & artem vitiorum irritamenta, in poculis libidines cælare juvit, ac per obscœnitates bibere. Juvenal. Sat.* 2.

——— *vitreo bibit ille Priapo.*

Sic turpia poculorum emblemata *Juvenal. Sat.* 1. & Vetus interpr. Item *Martial. Lib.* 8. de phiola Rufi. Imo edebant obscœnitates, *Martial. Lib.* 14. *Epigr.* 69.

Si vis esse satur nostrum potes esse Priapum:
Ipsa licet rodas inguina purus eris.

Item *Lib.* 9. *Epigr.* 3.

Ipsa filigineis pinguescit adultera cunnis.

Fames pro libidine oris, *Juvenal. Sat.* 4. Vetus Interpr. Huc etiam pertinet Epigramma de Galatea in vase *Lib.* 4. *Epigr. Vet. p.* 159.

Fulget & in patinis, ludit pulcherrima Nais
Prandentum inflammans ora decore suo.
Congrua non tardus diffundat jura minister,
Ut lateat positis tecta libido cibis.

Hæc hodie quoque fiunt: sed apertius indicare non sustinet pudor. Fescenninis relinquo. Cæterum *Phædrus* hac fabula Tiberii libidines notat. Illud maxime, *Quod solebat pueros primæ teneritudinis, inguini, seu papillæ admovere.* Item Atellanicum illud: *Hircum vetulum capris naturam ligurire.* Vide *Sueton. Tiber. Cap.* 43. 44. 45. 46. *Rigalt.*

Pœnitentia] V. C. *Penitentia*, tentia, ut tentio, vetus Glossarium: *Tentio, τάσις.* Item *distentione διατάσει.* Ut inde penitentia sit penis tentio, *αἰδοίου τάσις.* Vetus Interp. *Juvenal. Sat.* 2. Extenditur ad venerem puellis saltantibus. Sic *Martial. Tendere alutam.* Priap. *Tenta venæ,* item *Tentigo* &c. *Rigalt.*

A fictione veretri] Quod sit, notum: illud videlicet, quod apud *Suetonium* dicitur, *Illudere capiti matronarum.* Mulier autem *πάσχουτα* dicebatur *Ore morigerari,* apud eundem in *Tiberio,* ubi de Attalanta, & Meleagro. Sed si plura addam, te violem ô pudor. *Fab.* Campani vero, & ex his Nolani imprimis oris impuri, & immundi habebantur. Unde & *Osci* à quibusdam dicti, quasi obscœni, ut *Porphyr.* ad *Horatium* notavit, fortasse ex *Festo,* qui *Oscis* ait frequentissimum fuisse usum libidinum spurcarum. Hinc lucem accipit illud de Clodia usurpatum ænigma: *In triclinio Coa, in cubiculo Nola.* Eo ipso enim Clodiæ objicitur oris obscænitas, & omnis infanda libido, qua notati sunt Nolani; vel ut *Ausonii* verbis, Crispæ fœdissimam venerem objicientis utar;

——— *quam Nolanis capitalis luxus inussit.*

Ut cum libidinosa & lasciva in convivio esset Clodia, & quædam Venus Coa; in cubiculo à nulla obscœnitate, quæ Nolanis familiaris erat, abhorreret, *Turneb. Lib.* 3. *Advers. Cap.* 19. Scio hoc aliter explicari apud *Ludovicum Cœlium Rhodiginum Lib.* 19. *Lect. Antiq. Cap.* 11. Et *Lib.* 29. *Cap.* 1. Aliter item ab *Alciato Lib.* 2. *Parerg. Cap.* 12. De Clytemnestra, muliere balnearia loquacissima, proverbium illud accipiente; quæ præter linguam nihil meretricium habuerit; ideoque in Triclinio, seu convivio fuerit Coa, tanquam coitum petenti nemini abnuerit; in cubiculo vero Nola, à negando, sed nihil causæ est cur à *Turnebi* interpretatione discedendum putem. *Capitalem* igitur *Luxum* cum dicit *Ausonius* videtur oris, quæ præcipua capitis pars est, spurcitiem, & obscœnitatem notare. Eodem certe sensu *Catullus, capite demisso* dixit in Gellium, incestus infamia notatum:

Nam nihil est quicquam sceleris, quod prodeat ultra,
Non si demisso se ipse voret capite.

Ubi *Demisso capite* male audit, & de oris fœditate illa erit accipiendum: ut apud *Cicronem* de Sexto Clodio: *Sed si requiri jusseris, invenient hominem apud sororem tuam, occultantem se capite demisso.* Quibus verbis quid innuatur, ii intelligunt, quibus notum est, quid *Phænicissare* dicatur Veteribus, & qua nota Phænicissantes secernantur à *Lesbiantibus:* Neutrum me explicare sinit pudor, & vestræ castitatis, lector, reverentia; vel Linocerii illius exemplo, quem *Petronius Arbiter* ita inducit disserentem: *Cætera nisi eloquenti Timantis silentio, dicere pudor non sustinuit.* Quotus enim quisque est, qui ejusmodi ne quidem antea cogitata, semel tamen

lecta, ſtupefactus non admiretur, & inter admirationem, & incredibilitatem fluctuans, ad aliquid turpe cæca quadam cogitatione ebrius non pelliciatur? ut gravis eſt *P. Guirandi Aloſiani* cenſura, in quadam *ad Arnaudium Epiſtola*. Quod ſi quis tamen utrumque illud cognoſcere tanto pere geſtiat, adeat ſane *Hieron. Mercurial. Lib. 4. Var. Lect. Cap.* 13. L.

Obſcœnitas] Quid hic præceſſerit, non libet, nec fas eſt divinare. Conjicio, lacunam hanc, inde adeo eſſe, quod ſpurcities, καὶ τὸ ἀπόῤῥητον propoſiti Problematis pium aliquem Monachum exſcriptorem, lectoremve horum offenderit; qui proinde totam hanc pagellam omiſerit, vel exciderit, ex qua tamen velut cauda quædam remanſit. Poterat etiam alterum quod ſequitur problema de tribadibus, & mollibus abeſſe: ut illud quoque quod fuit ſupra de Ovium partu monſtroſo; nec non quod mox erit de Camum ad Jovem legatione. Itaque ut Ulyſſes Sirenum cantus cera obturatis auribus præter vectus eſſe narratur, ita & juventutem iſta, à quibus periculum & corruptela morum ipſi metuenda eſt, ſurdis auribus, & clauſis oculis tranſmittere melius eſt. Eadem cauſſa, quam dixi, *Petronii Arbitri* elegantiſſimum *Satyricon* ita nobis laceravit, ac detruncavit, ut vix Orpheum mulieres Thracicæ, vel Pentheum Bacchæ diſcerpſerint miſerabilius. *Rittersh.*

FABULA

FABULA DECIMA QUARTA.

* * * * * *

ROgavit alter tribadas & molles mares
Quæ ratio procreasset: exposuit Senex.

ROgavit alter] Hinc manifesto patet, præcedentem Fabulam de Prometheo quoque fuisse. *Rigalt.* Mallem hæc conjungi cum superioribus. Puto enim produxisse nostrum quempiam interrogantem Æsopum, unde orta sit scelerata illa species libidinis in fœminas, cujus ante meminit. Cumque satisfecisset illi fabula præcedente, eundem amplius quæsivisse, originem nefandæ veneris cum maribus, illique quæstioni nostrum satisfacere verbis sequentibus voluisse. Nisi censeas id alter positum, pro *Alio*, ut supra. *Scheffer.*

Alter] Quispiam, nescio quis. *Rigalt.*

Tribadas] Tribades mulieres quæ mutuo norunt lascivire, atque ut ait *Martialis*:

Audens inter se geminos committere cunnos.

Τόρμαις καὶ ταῖς περιφερείας τοῦ βιβῶνος συντρίβειν τὸ σῶμα. Sic opus venereum *M. Antoninus Lib. de Vita sua*, vocavit: παρατρίψιν καὶ ἐκκρίσιν. Sic *Phrynico* πορνοκόπος, πορνότριψ. Vide *Plat.* Συμποσ. Dicti τριβάδες παρὰ τὸ τρίβειν, id est, à fricando. *Tertulliano* frictrices, *Plauto* subigatrices dictæ sunt fæminæ, quæ in sexum congenerem furentes, nefaria libidine sese polluunt. Hinc τριβαδικὴ ἀσέλγεια, apud *Lucianum* ἔρωσι. *Rittersh.* Cum videlicet τὸ θῆλυ παρὰ φύσιν ἀῤῥενοῦται, ut ait *Lucianus*; vel θηλειῶν πρὸς θηλείας furiosa libido, *Plato de legib. Lib.* 1. Hoc ipsum est quod

tangit *D. Paulus Epist. ad Rom. Cap.* 1. Locus est notissimus, quique piuribus exponendus non sit. *Fab.* Vide Anatomicos *Cap. de Clitoride. Bartholin. Lib.* 1. *Anatom. Cap.* 34. L.

Molles mares] Molles sunt apud *Plautum* & alios qui idem scelus non nominandum, quodque, ut Imperator *Constantinus* ait, non proficit scire, ab aliis ejusdem sexus patiuntur. Unde & Pathici *Catullo* &c. *Ovidius* de Philoctete ait talem fuisse:

Mollis erat, facilisque viris Paantius heros.

Tacit. 15. *Annal. Quinctianus molli corpore infamis*: vel (ut quidam legunt) *mollitie corporis infamis*. Primus autem inter homines quidem hujus sceleris inventor Laïus Pater Oedipi fuisse perhibetur, rapto ad stuprum Chrysippo Pelopis filio: inter Deos autem ipse eorum Princeps Jupiter rapto Ganymede. Docuit me Scholiastes *Æschyli* his verbis: in argumento Tragœdiæ quæ inscribitur, ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις. Φασὶ γὰρ, ὅτι τὸν τοῦ Πέλοπος υἱὸν Χρύσιππον ὁ Λάϊος ἥρπασεν, ἐρασθεὶς αὐτοῦ, καὶ αὐτῷ συνεγένετο, καὶ πρῶτος ἐν ἀνθρώποις τὴν ἀῤῥενοφθορίαν ὑπέδειξε, καθάπερ δὴ καὶ ὁ Ζεὺς ἐν θεοῖς τὸν Γανυμήδην ἁρπάσας. Inter Poëtas infamis est hoc nomine Ibicus Reginus, quod παιδεραστὴς fuerit: teste *Cicerone* 4. *Tusculan. Athenæo*, & *Suida*. Ἡδύ τι πειθοῦς Ἴβυκε καὶ παίδων ἄνθος ἀμησάμενε, inquit, *Epigrammatarius Lib.* 1. *Antholog. Tit.* Ἐς ποιητὰς. *Rittersh.* Molles ejusmodi *Cinædi* vulgi atque *Exoleti* dicti sunt. *Scheffer.* Hinc *Muliebria pati* dicuntur mares, quales *Phædrus* hic describit, qui scilicet pudicitiam suam præposteræ libidini substernunt, & stupro effeminantur, *l.* 1. §. *removet. ff. de postul.* Ita *Q. Curtius Lib.* 6. *Pellices trecentæ, & sexaginta, totidem quot Darii fuerant, regiam implebant, quas spadonum greges, & ipsi muliebria pati assueti sequebantur. B. Augustin. Lib.* 6. *de Civit. Dei Cap.* 8. *Viros muliebria pati non est secundum naturam, sed contra naturam.* Utitur & hoc verbo *Lib. un. de fide contra Manich.* Sic *Muliebria passus*, *Tacit. Lib.* 11. *Dionys. Halicarnass.* Καὶ τὰ γυναῖξιν ἁρμόττοντα ἔπασχεν. L.

Quæ ratio] Eleganter, quia contra rationem est, cum sit contra naturam, quæ est summa ratio. *Scheffer.*

Senex] Æsopus, ita supra *Lib.* 3. *Fab.* 3. *Naris emunctæ senex*, & alibi. *Scheffer.*

Idem Prometheus, auctor vulgi fictilis,
Qui simul offendit ad naturam frangitur
Naturæ partes, veste quas celat pudor,
Cum separatim toto finxisset die,
Aptare mox ut posset corporibus suis;

Idem Prometheus] *Symmachus Epist.* 33. *Lib.* 4. *Patere igitur, ut homullus Promethei manu factus mandare cessem papyro, quæ dudum in vatum foliis non leguntur. Rigalt.* Hic enim Prometheus, Japeti filius, fertur homines primum è luto finxisse, & universi generis hominum fuisse parens, vel potius artifex, quod ita testatur *Ovid. Lib.* 1. *Metamorph.*

Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto.
Æthere cognati retinebat sidera cœli.
Quam satus Japeto mistam fluvialibus undis.
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Et *Antipater* his versibus:

Ἀδαμάλις δοκέω μυκήστεται, ἦ ῥα Προμηθεὺς
Οὐ χιμόνος, πλάττεις ἔμπνοα καὶ σὺ Μύρων.

Id est:

Mugiet ipsa puto bos olim, haud ergo Prometheus
Effinxit solus viva sed inde Myro.

Nam

Nam fama eſt Prometheum cum hominem fingeret portiones captas è ſingulis elementis ſuo operi admiſcuiſſe; atque pro ipſorum elementorum temperamentis non ſolum vires ſingulis corporibus addidiſſe, ſed etiam motus animorum & mores. Qui vero etiam magis fabuloſe rem aggreſſi ſunt explicare, dixerunt timorem leporis, aſtutiam vulpis, pavonis ambitionem, tigridum feritatem, leonum iracundiam, & magnitudinem animi fuiſſe hominibus ab ipſo Prometheo injunctas, quod ita ſignificavit *Horat. Lib. 1. Carm. Ode 16.*

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Delectam; & inſani leonis
Vim ſtomacho appoſuiſſe noſtro.

Nam memoriæ prodidit in *Thebaicis Pauſanias*, non procul à Panopenſibus apud torrentem quendam ſaxa fuiſſe ingentia, reliquias creditas ejus luti, è quo *Prometheus* univerſum genus hominum finxit. Hunc poëtica quadam cum ſuavitate reprehendit *Propert. Lib. 3.* Quia cum plurimum operæ in corpore hominum rectè formando conſumpſiſſet, mentem neglexerit, in qua ſcite, & optime formanda totum ſtudium erat adhibendum; ſic enim inquit:

O prima infelix fingenti terra Prometheo.
Illa parum cauti pectoris egit opus.
Corpora diſponens, mentem non vidit in arte:
Recta animi primum debuit eſſe via.

Atque ut Promethei imprudentiam *Propertius* ita ejus ex ebrietata errorem hic *Phædrus* notat. L.

Vulgi fictilis] *Tertullian. Lib. de Carne Chriſti Cap. 9. Ipſum certe corpus hoc noſtrum, quod de limo figulatum etiam ad Fabulas nationum tranſmiſit. Rigalt.*

Fictilis] Sic appellat in reſpectu ad Prometheum, qui è luto formaſſe homines dicitur. Fabula eſt notiſſima. De quo Prometheo haud dubie & in ſuperioribus præceſſit, quia ſcribit, *Idem Prometheus*, qui ſcilicet id egit, de quo prius. Atque neſcio num non huc reſpexerit illud *à fictione*, pro quo nunc *affixione* legitur. Verum ſicut fortè non difficile fuerit rem totam divinare, ita melius opinione mea ignoratur. *Scheffer.*

Qui] Scilicet vulgus: nam veterum more vulgum genere maſculino uſurpat. Sic *Plautus, Horatius, Apuleius, Minutius Felix, Auſonius*, alii. *Rittersh.*

Offendit ad Fortunam] *Publ. Syrus:*

Fortuna vitrea eſt, tum cum ſplendet frangitur.

Rigalt. Ita *Cic.* De Memmio apud *Fab. Lib. 6. Cap. 3. Caput ad fornicem Fabii offendiſſe.* Fortuna hic velut res dura fingitur, ad quam vulgus (nam illud *qui*, quod eſt ante *ſimul*, ad *vulgi*, non *Prometheus* eſt referendum) formatus ex luto, ſicut teſta, frangitur; eleganter. *Scheffer.*

Partes] Proprie *membra*, quibus ſexus diſtinguitur. *Scheffer.*

Veſte quas celat pudor] *Arnob. 5. Partes illæ, quas pudor communis abſcondere, quas naturalis verecundiæ lex jubet*, &c. Partes illæ, pudenda vulgo, *velanda* corporis, & *verenda*, *Plin. Epiſt. 14. Lib. 3.* & *24. Lib. 6. Reverenda*, *Arnobio, Lib. 5.* Ubi de Baubone. Tegebantur olim etiam in lavacro, *Ne vel illic ubi nudum totum erat corpus, hujuſmodi portio intecta eſſet. D. Ambros. 1. Offic. Rigalt.* Eleganter autem *celat*, id eſt, occultat, ut loquitur *l. 4. C. de furt.* Vel ut *Non. Marcell.* Tegit, & abſcondit. Sic *Celare ancillam l. 34. ff. de furt. Celare fugitivum l. 4. ff. de fugitiv. l. 5. ff. ad leg. Fab. de Plagiar. Celare hominem ingenuum, vel libertinum l. ult. §. ult. ff. & l. 9. C. ad leg. Fab. de Plagiar.* Ita & *Sen. Hippol. Act. 3. Vers. 917.*

Pudor impudentem celat, audacem quies.

L.

Ad cœnam eſt invitatus ſubito à Libero:
Ubi inrigatus multo venas Nectare
Sero domum eſt reverſus titubanti pede.

Ad cœnam est invitatus] Anceps intellectus: vel ad cœnam est vocatus à Libero, vel inter cœnandum vino plusculum indulsit. *Plautinus* Sosia de Nocturno:

Mira sunt nisi invitavit sese in cœna plusculum.

Lucilius in Sat. Pulcre invitati, acceptique benigne. Invitati, repleti. Vide *Nonium.* Invitare ad cœnam, quasi ad vitam vocare: contra, devitare, nolle cum aliquo vivere. Allusit ad priscum significatum *Vincentius Lirinensis commonit. 1. Quid est devitare? Cum hujusmodi nec cibum sumere.* Sciunt erudituli omnes, *Evitare*, veteres dixisse, pro vitam auferre, & eripere. *Rigalt.*

Multo venas Nectare] Lycon apud *Rutilium Lupum 2. de fig. sentent. Plenus crapula est experrectus, primum oculis mero madidis, humore obcœcatis, visu gravidis, lucem constanter intueri non potest: deinde confectis viribus, utpote cujus venæ, non sanguine, sed vino sunt repletæ* &c. *Satyr.*

Hesterno inflatum venas de more Lyæo.

Rigalt. Vinum enim in venas usque penetrare credebant. Unde & *Horatius* generosum, & lene requirit:

Quod curas abigit, quod cum spe divite manet
In venas animumque. ———

Rittersh. Decenter autem, & modeste, Noster hoc modo de Deo loquitur. Porro venis recipi vinum, & ebrietatem, vetus opinio est: nec alia ex causa Philippus ad Alexandrum de medicata potione apud *Curt. 3. Cap. 6. Oro quæsoque, omisso metu, patere medicamentum concipi venis.* Ita legendum, distinguendumque ibi est, contra quam fit hodie in editis. *Scheffer.*

Titubanti pede] Proprie de ebriis. Sic *Ovid. Lib. 3. Metamorphos.*

Ille mero somnoque gravis, titubare videtur.

Et *Lib. 6. Fastor.*

Nec mora conviva valido titubantia vino
Membra movent. ———

Ita & *Juvenal. Sat. 15. Vers. 48.*

Adde quod & facilis victoria de madidis, &
Blæsis, atque mero titubantibus. ———

Quod *Terentius* ita expressit:

Nam neque pes, neque mens satis suum officium facit.

L.

Tum semisomno corde, & errore ebrio,
Adplicuit virginale generi masculo,
Et masculina membra adplicuit feminis.
Ita nunc libido pravo fruitur gaudio.

Errore ebrio] Pro errore ebrietatis. Sicut apud *Flaccum 1. Argonaut. Cursus æquoreus*, pro, cursu æquoris. *Scheffer.*

Adplicuit Virginale] Attigit hanc fabulam *Lucianus* in Prometheo: Δεδοία τοίνυν μὴ αὖθις ὅμοιόν τι τῷ προμηθεῖ τῷ σῷ πεποιηκῶς φαίνωμαι, τὸ θῆλυ τῷ ἄῤῥενι ἐγκαταμίξας, καὶ δι' αὐτὸ δίκην ὑπόσχω. Comœdiam scilicet cum Dialogo miscuerat, & quasi connubio junxerat. *Rigalt.*

Virginale] Vetus Poëta apud *Festum* in Mundo: *Cum virginali mundo, clam patre.* Cum feminali lauto, & puro, *Solinus Polyhist. Cap. 3. Feminis perinde est infausta nativitas, si consertum virginal fuerit.* Consertum virginal, ut *mulier arta l. quæritur. §. mulierem. ff. de Ædil. edict. Obsignata natura, Cic. 2. de Divinat. Rigalt.* Nam *Apulejus* virginale vocat in *Apologia*, ut & *Prudentius*, & *B. Augustinus*, & *Solinus* eam virginei corporis partem, unde sexus cognoscitur: quod & feminal dicitur. *Euripides Alcestide* κόρευμα vocat. Ait enim: ὦ λέκτρον, ἔνθα παρθένει ἔλυσ' ἐγὼ κορεύματ' ἐκ τοῦδ' ἀνδρός. Perinde ut *Catullus*: *Zonam solvere virgineam. Rittersh.*

Pravo

Pravo fruitur gaudio] Ovidius:

——— *Veneris de gaudia flenti*

Petron. *Petrectavi gaudio ſpoliatum torum.* & paſſim ibidem. Rigalt. Sic Horat. Carm. Lib. 3. Ode 4.

Mox juniores quærit adulteros
Inter mariti vina, neque eligit,
Cui donet impermiſſa raptim
Gaudia luminibus remotis.

L.

FABULA

FABULA DECIMA QUINTA.

De Capreis Barbatis.

BArbam Capella cum impêtraſſet à Jove,
Hirci mœrentes indignari cœperant,
Quod dignitatem feminæ æquaſſent ſuam.

Impetraſſet] Rogando, & ſupplicando obtinuiſſet: unde illud: *Si non impetro, impero.* Et in jure ſignificat proprie id quod libello ſupplice oblato à principe vel judice, aut alio quovis magiſtratu conceditur. Sic *Impetrare veniam ætatis Tit. Cod. de his qui ven. ætat. impetr. Impetrare à Principe jus aquæ ducendæ, l. 1. §. permittitur. ff. de aq. quotid. Impetrare reſtitutionem ab Imperatore, l. 5. ff. de reb. dub. Si mutus aut ſurdus ut liceret ſibi teſtamentum facere à Principe impetraverit, l. 27. ff. qui teſtam. fac. poſſ. Si impetraſſet creditor à Cæſare ut pignus poſſideret, l. 24. ff. de pignor. act.* Sic *Impetratum beneficium l. 45. ff. de excuſat. l. 2. C. de ſentent. paſſ.* Et *Impetrationes formularum Rubr. Cod. de form. & impetr. ſubl. L.*

Dignitatem] Auctoritatem, quam præ ipſis habebant antea ex barba. Nam, ut ait, *Lactantius 7 Op. Dei. Barbæ ratio incredibile eſt quantum conferat ad decorem virilitatis, ac roboris. Scheffer.* Unde fertur Rullius quo truculentior videretur, capillatior, & barba majore fuiſſe. Sed & Philoſophos barbam prolixiorem, & capillis longiorem geſtari ſolitos, gravitatis & ſapientiæ argumentum, ac inſigne, plus quam manifeſtum eſt. Inde enim *Horat.* Barbam ſapientem appellat, *Lib. 2. Serm. Sat. 3.*

——— *tempore quo me*
Solatus juſſit ſapientem paſcere barbam.

Quam

Quam *Juvenalis Sat.* 10. Gravem dixit. Unde idem *Sat.* 16. *Verſ.* 31.

Et credam dignum barbæ dignumque capillis
Majorum. ——————

Id eſt, gravitate, ac modeſtia eorum. Atque hinc *Perſius* Philoſophos barbatos appellat *Sat.* 4.

Rem populi tractat? barbatum hoc crede magiſtrum
Dicere; ſorbitio tollit quem dira cicutæ.

Ubi Domitium Neronem minus idoneum oſtendit Populi rectorem, & paſtorem, qui nihil unquam ſtudio percepiſſet, audiſſet, didiciſſet. Ob id *Juvenal. Sat.* 4. Docet liberos molli educatione, indulgentia, & pravis parentum moribus perdi, ut vix, ac ne vix quidem inde ad meliorem frugem poſſint revocari:

Barbatos licet admoveas mille inde magiſtros.

Quanquam ut nec habitus monachum, nec cathedra ſacerdotem facit, & nec locus aut habitus ſanctificat hominem, ſed homo locum, & habitum, *Can. ult. diſtinct.* 40. Ita etiam nec promiſſior barba, nec veſtis pertrita Philoſophum facit. Hinc enim illud è Græco converſum Epigramma:

Si prolixa facit ſapientem barba: quid obſtat
Barbatus fiat quin Caper ipſe Plato?

L.

Sinite, inquit, illas gloria vana frui,
Et uſurpare veſtri ornatum muneris,
Pares dum non ſint veſtræ fortitudinis.
Hoc argumentum monet, ut ſuſtineas, tibi
Habitu eſſe ſimiles, qui ſunt virtute impares.

Uſurpare] Proprie injuſte, & abſque titulo poſſidere, Sic *Uſurpare dominium l.* 5. *C. de ædific. priv. Uſurpare immunitatem, l.* 9. §. *ult. ff. de publican.* Et: *Uſurpatum eſt, tametſi nullo jure, l. injuriarum.* §. *ult. ff. de injur.* Ita & *Uſurpati nomine tutoris vel curatoris, l. ult. C. de interdict. matrim.* Atque ita hic à Noſtro hoc vocabulum ſumitur. L.

Muneris] Virile munus eſt gravem eſſe, huc barba pertinet, contra in feminis morum, vultuſque amabilitas laudatur. *Scheffer.*

Fortitudinis] Recte. Ita *Cic. in Piſ.* *Illum, cujus paucos pares hæc civitas tulit* *Lucan. Lib.* 10.

Quem metuis par hujus erat. ——————

Adde *Voſſium. Scheffer.*

Suſtineas] Abſolute. Balbus apud *Cicer.* 9. *Attic. Epiſt.* 9. *Sentio non poſſe tuam famam, & officium ſuſtinere, ut contra eum arma ferat. Scheffer.*

FABULA

FABULA DECIMA SEXTA.

De Fortunis Hominum.

CUm de Fortunis quidam quereretur suis,
A sopus finxit consolandi gratia.
Vexata sævis navis tempestatibus,
Inter vectorum lachrymas, & mortis metum,
Faciem ad serenam subito mutatur dies.

DE *Fortunis*] De improspero successu rerum suarum. *Fortunæ* igitur hic in plurali, pro *Fortuna. Plaut. Mil. Act.* 2. *Sc.* 1.

—— postquam occasio est,
Conqueritur mecum mulier fortunas suas;
Ait sese Athenas fugere cupere. ——

Sic *Terent. Andr. Act.* 1. *Sc.* 1. Et alibi. *Scheffer.* Vide supra hic *Fab.* 5. L.

Quereretur] Qualis etiam querela est apud *Terent. Hecyr. Act.* 3. *Sc.* 3.

—— O fortuna, ut nunquam perpetuo es bona!

Et apud *Sen. Agam. Act.* 5. *Vers.* 918.

O nulla longi temporis felicitas!

L.

Consolandi gratia] *Nihil tam acerbum est*, inquit, *Sen. de Tranquil. Vitæ Lib.* 1. *Cap.* 10. *In quo non æquus animus solatium inveniat.* L.

Vexata navis] Sic *Virgilius*, *Vexata ratis*, raptata, huc atque illuc distracta. *Gell. Lib.* 1. *Cap.* 9. *Macrob. Satum.* 7. *Cap.* 6. Nec obstat *Servius*, qui *Virgilio* ταπείνωσιν quandam configit. Nam valde κυρίως Scylla vexare dicitur, cum *Vexare* Græci dicant

dicant σκῦλαι. Glossæ veteres: *Vexat*, ὀχλεῖ, σκύλλει, χειμάζει. *Vexare*, σκῦλαι. *Vexatio*, σκυλμός. *Vexatus*, καταπονηθεὶς, σκυλεὶς. *Vexo*, καταπονῶ, σκυλεύω. Vide *Gell. Lib.* 2. *Cap.* 6. *Rigalt.*

Faciem ad serenam] Speciem, habitum. Vide *Gell. Lib.* 13. *Cap.* 28. *Curt. Lib.* 3. *Cap.* 2. *Contra si quis aciem Macedonum intueretur, dispar facies erat.* Ita enim ibi legendum, non *Acies*, quod servatum hactenus in omnibus editionibus miror. Porro, *Ad faciem mutari* dictum ut apud *Cicer.* 3. *de Orat. Idque ad omnem rationem mutatur, & vertitur. Scheffer.* Nostris quin etiam ICtis. hoc vocabulum *Facies* μεταφωρικῶς scilicet pro cujuslibet rei vel corporis exteriore forma & figura, quæ in aspectum cadit usurpatur. *Donat.* in *Eunuch. Terent. Act.* 2. *Sc.* 3. Exponit, *Speciem quæ apparet, & cernitur.* Et ita *Facies ædium, l.* 19. §. *si inquilinus. ff. locat. Facies domus l.* 3. *C. de ædific. priv. Facies locorum l. ult. ff. de term. mot. Facies operis l.* 1. §. *opus novum. l.* 2. §. *opus. ff. de op. nov. nunc.* Sic *Ut in facie pristina ædificium esse possit, l.* 32. §. *item respondit sumptib. ff. de admin. & peric. tutor. Facies civitatis*, ait, *Cassiodor Epist.* 44. *Lib.* 7. *Facies* vero *Patrimonii* dicitur in *l.* 55. §. 4. *de admin. tut.* Id est, status. Alitet *Prima facie* dixit ICtus. in *l.* 10. *ff. de alim. vel cib. leg.* Id est, *Prima fronte*, ut est apud *Cassiodor. Lib.* 7. *Epist.* 18. L.

Ferri secundis tuta cœpit flatibus,
Nimiaque nautas hilaritate extollere;
Factus periculo tum gubernator sophus;
Parce gaudere oportet, & sensim queri,
Totam quia vitam miscet dolor, & gaudium.

Extollere] Elatos, quasi, & superbos reddere, tanquam nihil mali amplius posset accidere. Ita enim fit in tali gaudio, ut in metu contra, & luctu jacent. *Cic. Lib.* 10. *Epist.* 12. *Incredibili gaudio sum elatus. Scheffer.*

Factus periculo] Sententiose hoc dictum est, alludens ad illud proverbiale: πληγεὶς ἁλιεὺς νόον ὅτε *Piscator ictus sapiet. Rittersh.* Sic & *Dio* 44. τοῦτο γάρ τις τῶν κακῶν ἀπόναιτο τὸ μηδὲν αὖθις ὅμοιν σφίσι παθεῖν φυλαξάδαι. Vide *Onosand. Strat. Cap.* 36. *Rigalt.*

Sophus] Non nude sapiens, sed Philosophus, & qui alios possit docere, ut liquet ex sequenti monito. Sic usurparunt veteres. Ita *Martialis Lib.* 7. Ita ipse Noster supra *Lib.* 3. *Fab.* 14. Dicam in *de Nat. Philosoph. Pythagor. Scheffer.*

Parce gaudere oportet] De moderatione animi in utraque fortuna passim obvia sunt apud bonos auctores præcepta. Sufficiat hic unica *Varronis* sententia, περὶ τύχης: *Sapiens & bonum ferre potest modice, & malum fortiter, ac leviter. Rittersh.* Nam ut ait *Sen. De Provid. Div.* 4. *Cap.* 8. *Cum omnia quæ excesserint modum noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est.* L.

Parce] Ita *Parcissime* in Pandectis legimus, ut *Parcissime commeatum dare l.* 12. §. 1. *ff. de re milit. Ut de his parcissime jus dicatur. l.* 6. *ff. de offic. Præsid.* Sic & *Parcius*, & *Multo parcius l.* 24. §. *Scævola.* & §. *restitutio. ff. de minorib.* L.

Sensim] Ita *sensim, & moderate*, junxit *Cic. in Verrin.* 5. *Scheffer.*

Totam quia vitam] Sententia est *Platonica*, quam sic expressit *Seneca*:

Nulla sors longa est: dolor, & voluptas
Invicem cedunt: brevior voluptas.

Sic Quadrigarius apud *Nonium* ait, gaudium, & ægritudinem alternatim sequi. De hac mixtura elegentes extant versus *Euripidis* à *Plutarcho* relati, ἐν τῷ περὶ εὐθυμίας:

Οὐκ

Οὐκ ἂν γένοιτο χωρὶς ἀθλὰ καὶ κακά.
Ἀλλ' ἐστὶ τις σύγχρασις, ὥς ἔχειν καλῶς.

Quos ita transtuli:

Bonum à malo esse separatum non potest.
Mixtura quædam si utriusque sit, bene est.

Ritterib. Sic & *Ovidius:*

—— usque adeo nulla est sincera voluptas:
Sollicitumque aliquid lætis intervenit. ——

Rigalt. Optime etiam in hæc verba *Horat. Carm. Lib. 3. Ode 29.*

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax
Transmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alii benigna.

Atque ideo teste Eodem *Carm. Lib. 2. Ode 10.*

Sperat infestis, metuit secundis
Alteram sortem bene præparatum
Pectus; informes hiemes reducit
Iupiter: idem
Summovet, non, si male nunc & olim
Sic erit. ——

Nam: *Ludit*, inquit, *Sen. Lib. 5. Rhetoric.* Citante *Petr. Santerna Tract. de Assecurat. & sponsion. Mercat. part. 1. in pr. de suis fortuna muneribus & quæ dedit aufert, & quæ abstulit reddit, nec unquam tutius est illam experiri, quam cum locum injuriæ non habet.* Et ut ait, *Sen.* Tragicus in *Thyest. Vers. 597.*

Ima permutat brevis hora summis.

Et Ibidem *Vers. 616.*

Nemo confidat nimium secundis
Nemo desperet meliora lapsis,
Miscet hæc illis, prohibetque Clotho
Stare fortunam. ——

Quod elegantissime Carmine Italico expressit *Nic. Machiavell. Nell' Asino d'oro Cap. 6.*

Et è, & sempre fu, & sempre fia
Che 'e mal succeda al bene, il bene al male:
Et 'l un sempre cagion de l' altro fia.

L.

FABULA

FABULA DECIMA SEPTIMA.

Canum Legati ad Jovem.

CAnes legatos olim miſere ad Jovem,
Melioris vitæ tempus oratum ſuæ,
Ut ſeſe abriperet hominum contumeliis,
Furfuribus ſibi conſparſum quod panem darent,
Fimoque turpi maximam explerent famem.

Canes legatos] Similem refert fabulam *Camerarius* de Aſinis *Pag.* 133. Videndus etiam *Martialis* de Æthonte *Lib.* 12. *Epigr.* 78. *Rigalt.*

Melioris vitæ tempus] Tempus quo meliorem vitam poſſent vivere, quam ea eſt, quam hactenus vixerunt. *Scheffer.* Quemadmodum *Tempus fati. Ovid. Lib.* 4. *Triſt. Eleg.* 1.

Heu nimium fati tempora lenta mei.

L.

Abriperet] Eriperet. Notanda autem eſt locutio, *Abripere aliquem contumeliis*, pro rapere aliquem à contumeliis, nam vulgo præpoſitionem addunt. *Scheffer.* In *l.* 1. *in fin. ff. de condict. tritic. Res vi abrepta* dicitur. Et *Abreptum mancipium l.* 26. *C. de pignorib. l.* 1. *C. ad leg. Fab. de plagiar.* Item *Abrepti parentibus liberi per cauſam belli, l.* 18. *ff. de excuſat.* L.

Furfuribus ſibi conſparſum] *Iuvenal. Sat* 5.

—— tantine injuria cœnæ?
Tam jejuna fames cum poſſit honeſtius illic,
Et tremere, & ſordes farris mordere canini.

Vetus Interptes. *Panis ſordidus canum eſt.* *Rigalt.* Atque ita *Plaut. Aſin. Act.* 1. *Sc.* 2.

Sordido vitam oblectabis pane.

Nevel. Conveniunt ſane ſordes cum fimo. Verum in pane ſordido non hoc genus intelligitur, ſed quod eſt ex paleis, acereve, unde *Nonio* aceroſus dicitur. *Scheffer.*

Fimoque turpi, & mox; *Scrutantur eſcam in ſtercore*] Sic *Martial. Lib.* 1. *Epigr.* 84.

Os & labra ubi lingit Manneja catellæ,
Non miror merdas ſi libet eſſe cani.

Rigalt. Mirum vero, veteres fimo ac ſtercore, quod & ſupra indicabat *Lib.* 1. *Fab.* 27.

Trivio conceptus & educatus ſtercore.

Quod ait, Trivio (pro in trivio) conceptus, luculenter deſcribit *Lucretius Lib.* 4.

Nonne vides etiam quos mutua ſæpe voluptas
Vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
In triviis quin ſæpe canes diſcedere aventes,
Diverſi cupide ſummis ex viribus tendunt,
Cum interea validis veneris compagibus hærent.

Oppianus Noſter *Halieut.* 1.

——— ἐπεὶ μάλα δηρὸν ἑκάστη
Ἐξόπιθεν συνέχουσα, ἀγηγόρις ἧσται ἑταίρῳ.

Rittersh. Quod ait, *Fimo*, meminit hujus generis, niſi fallor, & *Ezechiel Cap.* 4. *Ecce dedi tibi ſimum boum, pro ſtercoribus humanis, & facies panem tuum in eo. Scheffer.* Et ICtus. in *l.* 1. § *ſit injuria. ff. de extraord. crimin. Fimo corrupto aliquem perfundere.* L.

Maximam explerent famem] *Plautus Stichо:*

At ego non paxillulam in utero geſto famem?
Verum hercle multo maximam, & graviſſimam.

Rigalt.

Profecti ſunt legati non celeri pede,
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore.
Citati non reſpondent: vix tandem inveni?
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.

Citati non reſpondent] Hoc quoque dicitur ex formulis, & verbis juris: *Citatum reſpondere*, vel *Non reſpondere*, ſcilicet ad vocem præconis *l.* 8. *ff. de in integr. reſt. l.* 37. *ff. de judic. l.* 10. *ff. de publ. judic. Gell. Lib.* 11. *Cap.* 1. *Aſcon. Pædian.* in *I. Verrin. Sueton. Tiber. Quintilian. Lib.* 6. *Cap.* 5. Quæ loca diligenter animadvertit *Fr. Duaren.* 1. *Diſputat. Cap.* 7. *Rittersh.* Habes citationis hujus aliquod exemplum apud *Lucianum* in *Bis Accuſato*, ubi Mercurius, à Jove emiſſus, clamat Athenis: *Audite populus, forum, atque judicium, quod felix fauſtumque ſit, conſtituemus hodie menſis Februarii die ſeptima. Quicunque ergo actiones detulere, in vicum Martium veniunto. Scheffer.* Nam *Citare* eſt per præconem, ſeu voce præconis vocare *d. l.* 8. *ff. de in int. reſt. l.* 37. *ff. de judic. l.* 10. *ff. de publ. judic. & l.* 20. *ff. de teſtib.* Ita *Cicero pro Flacco: Citat præco voce maxima legatos Æmonenſes. Liv. Lib.* 1. *Patres in Curiam per Præconem ad Tarquinium citari juſſit.* Idem *Lib.* 3. *Citari jubet in curiam patres.* Et mox: *Poſt audita in foro vox præconis eſt. Valer. Maxim. Lib.* 2. *Cap.* 4. *Præco lecto nomine Salinatoris, citandum id ſibi eſſet nec ne, hæſitavit. Quintilian. Lib.* 6. *Cap.* 5. *In publicis certe judiciis, vox illa præconis, præter patronos, ipſum, qui egerit, citat. Sueton.* in *Tiber. Cap.* 11. *Citatum pro tribunali voce præconis conviciatorem rapi juſſit. Q. Curt. Lib.* 10. *Cum præco, exceptis qui nominatim citarentur, adire prohiberet.* Unde apud *Martialem Lib.* 4. *Epigr.* eſt *Præconium facere:*

Nec pavidos triſti voce citare reos.

S. Auguſtin. in *Lib. de Grarimat. A clamo, fit clamito, à cio, cito, quod ſignificat frequen-*

frequenter vocito. Unde dicimus aliquos voce præconis citatos, id est, frequenter vocatos. Hoc & comprobat *Plutarchus*, qui quod Latini *Citare*, hoc ἀνακαλεῖσθαι σάλπυγσι dixit, in *Vita Gracchi*. Sed tamen *Iustinian. Novell. de Litigios.* Κελεύομεν γὰρ τοὺς ὀρδιναρίους δικαστὰς ἤγουν τοὺς ἐμβάθμους μὴ μόνον ταῖς τῶν κηρύκων φωναῖς, ἀλλ' ἔτι μὴν καὶ Ἐδίκτων προτιθεμένων, ὧν δήποτε τῶν δικαζομένων μέρος ἀπολιμπανόμενον, καλεῖν εἰς τὸ δικαστήριον. Sed & *Citare libello* legimus apud *Plaut.* in *Curcul. Act. 1. Sc. 3. Citare in testimonium, l. 30. ff. de testib. Citare testes Cic. pro Quint.* & 3 *in Verr.* Reus etiam *Lege* citari dicitur, apud eundem *Cic. pro Cluent. Ter citatus reus l. 10. ff. de publ. judic. l. 8. C. quom. & quand. jud.* Hoc modo autem per præconem citati, *Respondere* coram judice dicebantur, id est, compare, & defendere. Sic *Respondere nomine absentis, l. 14. §. quoties. ff. de appellat.* Et *Respondere citatus* dicitur, *l. 23. §. fin. ff. de appellat. Respondebant qui citabantur, l. 42. ff. de jure fisc.* Eodemque sensu *Respondere* dicuntur *debitores, l. si servus plurium. §. 1. ff. de legat. 1.* Sic & *Respondere* dicuntur *debitores ad diem Cic. ad Attic. p. 254.* Item *Respondere postulatus* dicitur, in *l. 7. ff. rat. rem hab.* Pariter & *Respondere* dicebatur reus, *Horat. Lib. 2. Serm. Sat. 9.* Ideo quia citabatur, sed non etiam actor respondebat, quum æque citaretur. L.

Turbatos] Quod tam negligentes fuissent officii, nec exspectassent, aut attendissent tempus idoneum, sed requiri debuissent à Mercurio. *Scheffer.*

Tum vero vultum Magni ut viderunt Jovis,
Totam timentes concacarunt Regiam.
Propulsi vero fustibus, vadunt foras:
Vetat dimitti magnus illos Jupiter.

Magni] Proprium Jovis cognomentum. Itaque mox;

Vetat dimitti Magnus illos Jupiter.

Propert. 2.

Scribam ego per Magnum est salva puella Jovem.

Et sic Græci sæpissime. Scilicet ut Juno Magna, sic & Jupiter appellabatur. Vide dictum *Propert. 2. Eleg. 32.* & 34. *Gyraldus* hoc omisit. *Scheffer.*

Timentes concacarunt] Laxamentum ventris comitatur timorem, quia musculi quibus claudebantur retrimentorum meatus fugientis introrsum animæ virtute deserti laxant vincula quibus retrimenta usque ad digestionis opportunitatem continebantur. Sic Lucio rabioso canum circumstantium latratu nimis attonito, & simul dolore plagarum alvus artata, & lubrico fluxu saucia, fimo fistulatim excusso suppetias tulit. *Miles. 4. Juvenal. Sat. 14.*

—— & trepidum solvunt tibi cornua ventrem
Cum lituis audita. ——

Vide *Macrob. Saturn. 7. Cap. 11. Gell. Lib. 19. Cap. 4. Aristot. Problem. Rigalt.* Vide *Martial. Epigr. 78. Lib. 12. Nevel.* Naturale enim est, ut ex timore solvatur venter. Cujus rei rationem ita adfert *Arist.* dicto loco in *Problem. Calor*, inquit, *insitus nobis quasi animans est; hic ergo rem quamcunque timuerit, diffundit, sic ut cũ extrinsecus ratio conturbandi atque metuendi invehatur, atque in imo de superis defluat, & è summis ad intima penetret, efficitur ut alvi, & vesicæ fundantur, facilesque reddantur.* L.

Mirati sibi legatos non revertier,
Turpe æstimantes aliquid commissum à suis
Post aliquod tempus alios adscribi jubent.

Sibi] Elegantiſſime abundat, ut tamen vim habeat eam, quaſi non reverterentur ii, quos reverti ſua intereſſet. Ita *Terent. Adelph. Act. 5. Sc. 8. Suo ſibi gladio hunc jugulo. Cic. 1. Attic. Epiſt. 11. Hic tibi noſtra Cato advolat. Apulej. 6. Aſin. Anum cum ſuo ſibi funiculo dedere præcipitem.* Vide ſupra *Lib. 3. Fab. 6. Scheffer.*

Turpe] Contra honeſtatem, & reverentiam ac majeſtatem Jovis. Ita *Turpes conditiones* dicuntur, quæ inhoneſtæ, & contra bonos mores ſunt, *l. 63. §. ſi ſub conditione. ff. ad Sc. Trebell. l. 112. § pen. ff. de legat. 1.* Sic & *Turpis conditionis macula, l. 1. C. de collus. detег.* Et *Turpis pactio l. 7. ff. de his qui not. infam. Turpis res l. 6. §. rei. ff. mandat.* Item *Rei turpis & flagitioſæ*, ut loquitur *l. 35. § veneni. ff. de contrah. empt.* Sed & alias *Turpe* plerumque ſignificat famoſum, & quod infamiam irrogat. Sic *Turpes actiones, l. 2. ff. rer. amot. l. 2. ff. de concubin.* A Græcis δίκαι αἰσχραὶ nominantur. Lyſias Εὐβουλῇ μαντιθέῳ δοκιμαζομένῳ ἀπολογία. p 140. Et *Turpia judicia* appellantur, quæ damnatis infamiam ingerunt, ἀπροσωπίας ἀγωγὰς vocat, *Theophil. in §. ex quibuſdam. Inſt. de pœn. tem. litig.* Quales ſunt: *Injuriarum, vi bonorum raptorum, Servi corrupti, Rerum amotarum, Tutelæ, fiduciæ, Mandati, Pro ſocio, Depoſiti l. 56. ff. pro. ſoc. l. 2. ff. rer. amot. l. 1. ff. de his qui not. infam.* Ita *Turpe tutelæ judicium* dixit *Cic. Lib. 1. de Orat.* Et *pro Cæcinna, Turpe judicium dari adverſus eum, qui tutelam fraudaſſet.* Idemque *Turpia mandati, pro ſocio, depoſiti, judicia* appellat, in *Orat. pro Roſc.* Sic *Turpi judicio damnatos* apud eundem in *Orat. pro Cluent.* Interpretare, qui eo judicio damnati ſunt, quod infamiæ notam inurit. Sic *Epiſt. Famil. Lib. 9. Pag. 273. Noli pati litigare fratres, & judiciis turpibus conflictari.* Hinc & *Turpe crimen Paul. Lib. 5. Sentent. Tit. 4.* Et *Turpe lucrum l. 23. C. ad leg. Iul. de adult.* L.

Commiſſum] Id eſt, admiſſum perpetratum, *l. 13. §. de præteritis. ff. de uſufr.* Ut cum dicimus *Committere crimen l. 5. ff. ad leg. Iul. pecul. l. 1. C. vi bon. rapt. Culpam, vel dolum, l. 7. C. ad exhib. Dolo malo, l. 43. ff. ad leg. Iul. de adult. Furtum vel injuriam l. 25. §. ex facto. ff. de obliг. & act. Noxam, l. 18. ff. de judic. Scelus, l. 7. ff. de lege Pomp. de parricid. Stuprum, adulteriumve, l. 9. §. 1. l. 37. ff. de minorib.* Sic *Quod commiſit medicus per imperitiam, l. 6. §. ſicuti. ff. de offic. Præſid. Committi damnum, l. 15. §. ult. ff. de damn. infect. Peculatus, l. 12. ff. ad leg. Iul. pec. Stuprum, l. 101. ff. de Verb. Sign. Commiſſus dolus in rem, l. 9. §. hæc actio. ff. de dol. mal. Commiſſum Plagii, l. 12. C. de ingen. man. Stellionatus, l. ult. C. de crim. ſtellionat.* Et *Commiſſa delicta in legatione l. 24. §. 1. ff. de judic.* L.

Æſtimantes] Uti ſupra *Lib. 3. Fab. 4.* Sed ibi dixi, *Extimo* videri legendum, neque aliter hic cenſeo. *Scheffer.*

Adſcribi] Superioribus illis, ante à ſe miſſis ad Jovem. Pro *Adſociari, adjungi*, ſi modo lectio eſt integra. *Scheffer.*

Rumor legatos ſuperiores prodidit:
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum ſed multo replent:
*Mandant * dimittuntur ſtatim*
Adeunt: rogantes, aditum continuo impetrant.

Prodidit] Aperuit, notumque fecit, quam turpiter ſe in Jovis Regia geſſiſſent. *Scheffer.*

Odore] Sic infra, Odorem dixit pro aromatis: in quo ſignificatu uſitatior eſt plurativus numerus *Odores*. Exempla quondam mihi obſervata in *Epiſtolicis Exercitationib.* ad *Auſon. Lib. 2. Ep. 26.* Sic Impp. in *l. 12. nullus omnino. C. Theod. de Paganis.* Sacrificia & templa penates odore venerari dixerunt. Sed proponamus locum melius diſtinctum quam vulgo: *Nullus omnino*

omnino &c. ſenſu carentibus ſimulacris vel inſontem victimam cædat, vel ſecretiore piaculo larem igne, mero genium, penates odore veneratus, accendat lumina, imponat tura, ſerta ſuſpendat, &c. Illud quidem *mero genium* jam alii ante nos rectiſſime animadverterunt, ac reſtituerunt. Sed exterx non minus probx certxque ſunt emendationes. Nam & mox ibidem ſequitur: *Si quis vero mortali opere falta, & xvum paſſura ſimulacra impoſito ture venerabitur. Rittersh.* De aromatibus hoc recte exponit *Rittershuſius*. Atque ſic *Arnob. Lib. 7. Scheffer.* Qua etiam ſignificatione uſurpatur, cum dicit ICtus. *Odores penori legato contineri. l. 3. §. Servius ff. de pen. leg.* Item: *Si odores, & unguenta ſervus emerit, & ad funus erogaverit, l. 7. §. illud plane. ff. de in rem vers.* Utrobique autem ab *Unguentis*, *odores* ſeparantur. Sane *coctis odoribus unguenta fieri* ait *Pomponius* in *l. 27. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Sen. Epiſt. 91. Hinc textorum, hinc fabrorum officinæ, hinc odores coquentium.* Vide *Iſidor. Orig. Lib. 4. Cap. 2.* Sic *Ovid. 4. Metamorph.*

——— *Largis ſatiantur odoribus ignes.*

Unde *Odorati ignes* apud Eundem *Lib. 1. Faſtor.* L.

Sed multo replent] Elegans uſus particulx *ſed*. *Plautus* ſxpe ea utitur, & *Rud. Act. 3. Sc. 5.*

——— *affer huc*
Duas clavas LA. *Clavas?* DÆ. *ſed probas propera cito.*

Sic enim iſthuc in utroque magni amici noſtri *Camerarii* codice perſcriptum. Volgo omittitur ea particula, peſſimo exemplo. *Schop.*

Adeunt] Eunt ad Jovem, iterum ſuſcipiunt. *Scheffer.*

Conſedit Genitor tum Deorum maximus,
Quaſſatque fulmen, tremere cœpere omnia,
Canes (confuſus ſubito quod fuerat fragor)
Repente odorem mixtum cum merdis cacant.
Reclamant omnes vindicandam injuriam.
Sic eſt locutus ante pœnam Jupiter.

Conſedit] Eleganter, quaſi cum majeſtate ſedit, ſic *Ovid. Lib. 12. Metamorph.*

Conſedere ducis, & vulgi ſtante corona.

Et *Juvenal. Sat. 7. Vers.* 125

Conſedere duces; ſurgit tu pallidus Ajax
Dicturus dubia pro libertate bubulco
Judice. ———

L.

Quaſſatque fulmen] Ita, *Juvenal. Sat. 2. Vers.* 130.

Nec galeam quaſſas, nec terram cuſpide pulſas.

Gravius enim violentiuſque quid ſignificat quam quatere, ut ſcribit *Gell. Lib. 2. Cap. 6. Plaut.* in *Trin. Quid quaſſas caput?* L.

Reclamant] Iterum clamant, ut nuper fecerant, cum priores legati ſic ſe geſſiſſent. *Scheffer.*

Vindicandam] Puniendam. Nam verbum hoc eodem ſignificatu quod animadverto, de pœna uſurpatur, ut apud *Salluſt: Vindicatum fuit in noxios.* Sic quoque *Vindicare delictum* judex dicitur, in *l. 1. ff. de obſeq. parent. & patr. præſt.* L.

Non eſt Legatos Regis non dimittere,
Nec eſt difficile pœnas culpæ imponere;

Sed hoc feretis pro judicio præmium:
Non veto dimitti: verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.

Non est legatos] Nimirum ne jus gentium ipsis detentis violetur: quo jure illi sancti, & inviolabiles sunt. Vide *Liv. Lib.* 3. & passim. Unde Cato apud *Festum: Caduceatori*, inquit, *Nemo homo nocet.* Et *Cæs. Lib* 3. *Bell. Gell. Quantum in se facinus admisissent, intelligebant: Legatos, quod nomen apud omnes nationes sanctum, inviolatumque semper fuisset, retentos ad se, & in vincula conjectos. Cic. de Arusp. Resp. Oratores contra jus, fasque interfectos.* Et mox: *Sic enim sentio: jus legatorum cum hominum præsidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatũ. Statius Papin.* Denique Ljó. 2. *Thebaid.* Legatum appellat:

——— *Sanctũ populis per sæcula nomen.*

Rittersh. Hinc *Legati Pop. Rom. sagmina ferre solent, ne quis eos violaret: sicut Legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur Cerycia, l.* 8. *ff. de rer. divis.* Unde *Pomponius* in *l.* 17. *ff. de legat. Si quis*, inquit, *legatum hostium pulsassit, contra jus gentium id commissum esse existimatur: quia sancti habentur legati.* Et Lege Iulia de vi publica tenetur quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis eorum quem pulsasse, sive injuriam feciisse arguetur, *Ulpiano* respondente in *l.* 7. *ff. ad leg. Jul. de vi publ. Joseph. Antiq. Hist. Lib.* 15. Multum prædicat legatorum sanctimoniam, quibus ait commune cum Angelis, Dei nuntiis nomen. *Varro Lib.* 3. *de Ling. Lat Sancta sunt corpora legatorum.* Et *Cic. in Verr. Orat* 3. *Legatorum jus divino humanoque vallatum præsidio, cujus tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modo inter sociorum jura, sed & hostium tela incolume versetur. Cornel. Nep.* in *Epam. Cum legationis jure se tectum arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuevisset. Diodor. Sic. in excerpt. Peres. n.* 248. Τὴν ἄδειαν vocat τῆς τῶν πρεσβευτῶν ἀσυλίας. *Securitatem à legatorum sanctimonia.* L.

Non est Regis] Id est non decet Regem, non modo propter jus gentium, sed & famam suam, magnitudinemque tanquam non posset punire in ipso domino tale delictum. *Scheffer.*

Pro judicio] Pro sententia, & pœna in vos merito decernenda. Vertit se quasi à suis Jupiter ad Canes Legatos, & ait: vos quidem feretis hoc præmium, licet supplicio, & pœnæ adjudicare deberem. *Scheffir.*

Præmium] Per ironiam ita vocat, non imperatam famem, verum artem illam, qua eos docuit continere ventrẽ. *Scheffer.*

Non veto dimitti, verum cruciari fame] Notandum est de esse verbum contrariæ significationis τῷ veto; cum enim dixerit, *Non veto dimitti*, debuit addere, *Verum fame jubeo cruciari.* Exemplum ex *Paulo*, & *Tacito* proferre possim, nam apud illum in *Epist.* 1. *ad Timoth. Cap.* 4. *Veri.* 3. Ubi legitur κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων &c. Necesse est ex iis quæ sequuntur, intelligere verbum aliquod contrariæ significationis τῷ κωλυόντων, quod verbum præponatur τῷ ἀπέχεσθαι Apud *Tacitum* autem in *Vita Agricolæ* legitur: *Nec pœnæ semper, sed sæpius pœnitentia contentum esse.* Ubi manifestum τὸ *contentum esse*, cum *pœna*, & *pœnitentia* non posse ex æquo convenire. Scio apud eundem scriptorem alia quoque esse τοῦ αὐτοῦ κόμματος, sed nunc memoriæ non suppetunt. Tale est & apud *Terentium* in *Andria Act.* 3. *Sc.* 5.

Namque hocce tempus præcavere mihi me, non ulcisci finit.

Ubi pro *finit*, debet subintelligi *cogit* in priori membro διάνοιας. Adi modo doctissimum interpretem ad *Paulum.* Ceterum *Rigaltius* ad hunc *Phædri* locum annotavit tale esse illud *Juvenalis Sat.* 6.

——— *quum furem nemo timeret*
Caulibus aut pomis, & aperto viveret horto.

Quod cur fecerit, neminẽ arbitror intelligere; est enim plane ἀδὲν πρὸς ἔπος. *Fab.*

Non

Non poſſint] Repetita negatione, ad indicandam neceſſitatem futuræ continentiæ. *Scheffer.*

Ventrem continere] Oppoſitum ſuperiori *Cacare*. *Scheffer.*

Illi autem qui miſerunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos expectantes poſteros,
Novum venire cum videt, culum olfacit.

Futiles] Toti hac illac effluentes, qui ventrem ſuum continere non poterant. *Rigalt.* Ita *Feſtus: Futiles, dicuntur, qui ſilere tacenda nequeunt, ſed ea effundunt, ſic & vaſa futilia à fundendo vocata. Scheffer.* Futile autem hoc vaſis genis dicebatur auctore *Donato*, latiſſimi oris, ex altera parte arctum, quod ſtatim poſitum effundebatur. Utebantur eo in Sacrificiis Veſtæ: quia aqua ad ſacra hauſta, in terra, non ponitur: quod ſi fiat, piaculum eſt. Unde excogitatum hoc vas eſt, quod ſtare non poſſet, ſed ſtatim effunderetur. A quo *Futiles homines* dicuntur. *Terent.* in *Andr. Tam iners tam nulli conſilii ſum, ſervon' fortunas meas, me commiſiſſe futilis?* Idem in *Adelph. Tu quantus, quantus es, nihil niſi ſapientia es; Ille futilis, ſomnium.* L.

Culum olfacit] Verbis hiſci explicat argumentum fabulæ. Vult enim reddere rationem hujus conſuetudinis inter canes, ſicut alia fabula in ſuperioribus oſtendere cauſam vitæ cinædicæ, aliarumne pravarum libidinum conatus eſt. *Scheffer.*

Sed hoc feretis pro judicio præmium:
Non veto dimitti: verum cruciari fame,
Ne ventrem continere non possint suum.

Non est legatos] Nimirum ne jus gentium ipsis detentis violetur: quo jure illi sancti, & inviolabiles sunt. Vide *Liv. Lib.* 3. & passim. Unde Cato apud *Festum: Caduceatori*, inquit, *Nemo homo nocet.* Et *Cæs. Lib* 3. *Bell. Gell. Quantum in se facinus admisissent, intelligebant: Legatos, quod nomen apud omnes nationes sanctum, inviolatumque semper fuisset, retentos ad se, & in vincula conjectos. Cic. de Arusp. Resp. Oratores contra jus, fasque interfectos.* Et mox: *Sic enim sentio: jus legatorum cum hominum præsidio munitum sit, tum etiam divino jure esse vallatũ. Statius Papin.* Denique Lib. 2. *Thebaid.* Legatum appellat:

——— *Sanctũ populis per sæcula nomen.*

Rittersh. Hinc *Legati Pop. Rom. sagmina ferre solent, ne quis eos violaret: sicut Legati Græcorum ferunt ea, quæ vocantur Cerycia, l.* 8. *ff. de rer. divis.* Unde *Pomponius* in *l.* 17. *ff. de legat. Si quis*, inquit, *legatum hostium pulsasset, contra jus gentium id commissum esse existimatur: quia Sancti habentur legati.* Et Lege Iulia de vi publica tenetur quod ad legatos, oratores, comitesve attinebit, si quis eorum quem pulsasse, sive injuriam feciisse arguetur, *Ulpiano* respondente in *l.* 7. *ff. ad leg. Jul. de vi publ. Joseph. Antiq. Hist. Lib.* 15. Multum prædicat legatorum sanctimoniam, quibus ait commune cum Angelis, Dei nuntiis nomen. *Varro Lib.* 3. *de Ling. Lat Sancta sunt corpora legatorum.* Et *Cic. in Verr. Orat* 3. *Legatorum jus divino humanoque vallatum præsidio, cujus tam sanctum & venerabile nomen esse debet, ut non modo inter sociorum jura, sed & hostium tela incolume versetur. Cornel. Nep.* in *Epam. Cum legationis jure se tectum arbitraretur, quod apud omnes gentes sanctum esse consuevisset. Diodor. Sic. in excerpt. Peres. n.* 248. Τὴν ἄδειαν vocat τῆς τῶν πρεσβευτῶν ἀσυλίας. *Securitatem à legatorum sanctimonia.* L.

Non est Regis] Id est non decet Regem, non modo propter jus gentium, sed & famam suam, magnitudinemque tanquam non posset punire in ipso domino tale delictum. *Scheffer.*

Pro judicio] Pro sententia, & pœna in vos merito decernenda. Vertit se quasi à suis Jupiter ad Canes Legatos, & ait: vos quidem feretis hoc præmium, licet supplicio, & pœnæ adjudicare deberem, *Scheffir.*

Præmium] Per ironiam ita vocat, non imperatam famem, verum artem illam, qua eos docuit continere ventrẽ. *Scheffer.*

Non veto dimitti, verum cruciari fame] Notandum est de esse verbum contrariæ significationis τῷ veto; cum enim dixerit, *Non veto dimitti*, debuit addere, *Verum fame jubeo cruciari.* Exemplum ex *Paulo*, & *Tacito* proferre possim, nam apud illum in *Epist.* 1. *ad Timoth. Cap.* 4. *Vers.* 3. Ubi legitur κωλυόντων γαμεῖν, ἀπέχεσθαι βρωμάτων &c. Necesse est ex iis quæ sequuntur, intelligere verbum aliquod contrariæ significationis τῷ κωλυόντων, quod verbum præponatur τῷ ἀπέχεσθαι Apud *Tacitum* autem in *Vita Agricolæ* legitur: *Nec pœnæ semper, sed sæpius pœnitentia contentus esse.* Ubi manifestum τὸ *contentus esse*, cum *pœna*, & *pœnitentia* non posse ex æquo convenire. Scio apud eundem scriptorem alia quoque esse τὰ αὐτὰ σφάλματα, sed nunc memoriæ non suppetunt. Tale est & apud *Terentium* in *Andria Act.* 3. *Sc.* 5.

Namque hocce tempus præcavere mihi me, non ulcisci sinit.

Ubi pro *sinit*, debet subintelligi *cogit* in priori membro διανοίας. Adi modo doctissimum interpretem ad *Paulum.* Cæterum *Rigaltius* ad hunc *Phædri* locum annotavit tale esse illud *Juvenalis Sat.* 6.

——— *quum furem nemo timeret*
Caulibus aut pomis, & aperto viveret horto.

Quod cur fecerit, neminẽ arbitror intelligere; est enim plane ἀδιάφορον. *Fab.*

Non

Non poſſint] Repetita negatione, ad indicandam neceſſitatem futuræ continentiæ. *Scheffer.*

Ventrem continere] Oppoſitum ſuperiori *Cacare*. *Scheffer.*

Illi autem qui miſerunt vos tam futiles,
Nunquam carebunt hominis contumelia.
Ita nunc legatos expectantes poſteros,
Novum venire cum videt, culum olfacit.

Futiles] Toti hæ illæ effluentes, qui ventrem ſuum continere non poterant. *Rigalt.* Ita *Feſtus: Futiles, dicuntur, qui ſilere tacenda nequeunt, ſed ea effundunt, ſic & vaſa futilia à fundendo vocata.* *Scheffer.* Futile autem hoc vaſis genis dicebatur auctore *Donato*, latiſſimi oris, ex altera parte arctum, quod ſtatim poſitum effundebatur. Utebantur eo in Sacrificiis Veſtæ: quia aqua ad ſacra hauſta, in terra, non ponitur: quod ſi fiat, piaculum eſt. Unde excogitatum hoc vas eſt, quod ſtare non poſſet, ſed ſtatim effunderetur. A quo *Futiles homines* dicuntur. *Terent.* in *Andr. Tam iners tam nulli conſilii ſum, ſervom fortunas meas, me commiſiſſe futili?* Idem in *Adelph. Tu quantus, quantus es, nihil niſi ſapientia es; Ille futilis, ſomnium.* L.

Culum olfacit] Verbis hiſci explicat argumentum fabulæ. Vult enim reddere rationem hujus conſuetudinis inter canes, ſicut alia fabula in ſuperioribus oſtendere cauſam vitæ cinædicæ, aliarumne pravarum libidinum conatus eſt. *Scheffer.*

FABULA DECIMA OCTAVA.

Serpens. Misericordia Nociva.

QUi malis fert auxilium, post tempus dolet.
Gelu rigentem quidam Colubram sustulit,
Sinuque fovit, contra se ipse misericors.

SErpens] *Æsopus, Camerarius, p. 200. Rigalt.*

Qui malis fert auxilium] Justum esse, dicere solebat Demosthenes, misereri non improborum hominum, sed eorum qui immerito infelices sunt, teste *Stob. Serm.* 44. Hinc Proverbium: Κριοῦ διακονία, *Arietis ministerium*, quod *Suidas*, & *Zenodotus* sic referunt, quasi de officio in ingratos collocato. Siquidem aries corninibus ferit pascentem. Et illud

Ἀντ' ἐνεργεσίας Ἀγαμέμνονα δῆσαν Ἀχαιοί.

Id est:

Pro benefactis vinxerunt Agamemnona Graji.

Agamemnon enim tot exhaustis laboribus in expugnanda Troja pro dignitate Græciæ, domum reversus vesti inexplicabili involutus, interfectus est à Clytemnestra auxiliante Ægistho adultero. Annotatum est hoc fere accidere viris de Republ. bene meritis, ut pro benefactis pessimam gratiam tulerint à populo. *Pindarus* in *Pythiis Hymn.* 4.

Φαντὶ δὲ ἔμμεν τοῦτο ἀνιαρότατον
Καλὰ γινώσκοντ' ἀλάτκα ἐκτὸς ἔχειν πόδα

Id est:

Ajunt autem hoc esse molestissimum
Qui norit honesta necessitate foris habere pedem.

Hoc

Hoc est, hon frui bonis, cum ipse benemeritus sit de aliis, sed pro benefactis male audire. L.

Colubram sustulit] *Theocrit.* Εἰδυλλ. ε.

——— ἰδ' ἁ χάρις ἐς τὶ ποθέρπει
Θρέψαι μὲν λυκιδεῖς, θρέψαι κύνας, ὥστυ φάγοντι.

Isocrates ad Dem. Κακοὺς εὖ ποιῶν, ὅμοια πείσῃ τὰς ἀλλοτρίας κύνας σιτίζουσιν. ἐκεῖναι τε γὰρ τοὺς διδόντας ὥσπερ τοὺς τυχόντας ὑλακτοῦσιν ὅτε κακοὶ τοὺς ὠφελοῦντας ὥσπερ τοὺς βλάπτοντας. *Nevel.* Quod hic *Colubram*, vulgo *Colubrum* vocamus. Reperitur tamen & hoc genere apud *Lucilium*, & alios. *Scheffer.*

Sustulit] Nutrivit, educavit. Sic *Terent.* in *Andr. Quicquid peperisset, decreverunt tollere.* Et *Plaut. Amph. Act.* 1. *Sc.* 3. *Quod erit natum tollito*, id est, educato. L.

Fovit] Proprie. *Curt. Lib.* 4. *Cap.* 4. *Ipse tunc maxime refovebat artus. Scheffer.*

Contra se] In perniciem suam. Sic *Ovidius* 3. *Amor. Phraschio* notante:

Contra se sollers hominum natura fuisti.

Scheffer.

Namque ut refecta est, necuit hominem protinus.
Hanc alia cum rogaret causam facinoris,
Respondit: Ne quis discat prodesse improbis.

Necuit] Putat *Valla*, non in usu esse verbum hoc, nisi ubi sermo sit de certo mortis genere. Et profecto ita *Ennius*:

Hos pestis necuit. ———

Sed tamen vel hic locus docet, *Priscianum* rectius ostendere, usurpari de perempto quovis violento modo. *Ovidius*:

Parva necat morsu speciosum vipera taurum.

Adde 4. *Trist. Eleg. ult. Vers.* 44. *Scheffer.*

Ne quis discat prodesse improbis] Quia ut ait vetus Epigramma incerti auctoris *Lib.* 1. *Anth. Tit.* Εἰς εὐχαρίστους, καὶ ἀχαρίστους.

Ἡ χάρις ἀλλᾶξαι τὴν φύσιν οὐ δύνανται.

Id est:

Improbitas nullo flectitur obsequio.

Ut *Alciatus Emblem.* 64. reddidit, vel ut *Claudius Minos*:

Vertere naturam gratia nulla potest.

Vel ut amicus noster *Gregor. Bersmannus* Vir doctissimus:

Naturam obsequiis flectere nescit amor.

Jubemur tamen Patris nostri Cœlestis imitari exemplum, qui solem suum facit oriri, & pluit non minus super Improbos, quam super bonos, utrisque pariter bene faciens: Jubemur & inimicos nostros diligere: Jubemur persecutoribus nostris bonum pro malo rependere: qui si nos sumus, quales esse debemus, non possunt alii esse quam improbi. *Rittersh.* Nam ut inquit, *Sen.* 1. *Controv.* 1. *Iniquum est collapsis manum non porrigere.* Monetque nos beneficium dare debere; etiamsi nullum bene posituri simus, *Lib.* 1. *de Benefic. Cap.* 2. L.

FABULA DECIMA NONA.

Vulpis, & Draco.



VUlpis cubile fodiens, dum terram eruit,
Agitque plures altius cuniculos,
Pervenit ad Draconis speluncam ultimam,
Custodiebat qui Thesauros abditos.

AGitque] Proprie. *Cæsar Lib.* 11. *Cap.* 5. *Cuniculis ad aggerem vineamque actis. Cic.* 3. *offic. Cuniculos agat ad ærarium. Scheffer.*

Cuniculos] Proprie sunt foramina sub terra ad suffodiendas urbes inventa, *Cæs. Lib.* 7. *de Bell. Gall. Aggerem cuniculis subtrahebant.* Idemque *Lib.* 8. *de Bell. Gall. Eodem tempore tectos cuniculos agunt ad caput fontis.* Sic *Cuniculis defossis in altum alienarum ædium fundamenta labefactare, l.* 6. *C. de Metallar. Lib.* 11. Atque hinc *Cuniculis oppugnare*, ὑπομόνοις πολεμίζειν, per metaphoram dicitur, qui non aperta vi, sed dissimulanter, ac dolis rem gerit. *Plutarch.* in *Vita Cæs.* de Catullo Luctatio in Senatu dicente οὐκ ἔτι ὑπομόνοις Καῖσαρ, ἀλλ' ἤδη μηχαναῖς αἱρεῖ τὴν πολιτείαν, Id est, *Cæsar non jam cuniculis sed machinis tollit Remp.* Cuniculus etiam pro canali usurpatur, ut *Cuniculus per quem vapor trahitur in balneariis vaporibus, l.* 3. §. *hoc interdictum. ff. de rivis. Cuniculo aquam avocare l.* 26. *ff. de damn. infect.* L.

Speluncam] Antrum, seu specum subterraneum. *Virgil. Lib.* 4. *Æneid.*

Speluncam Dido, dux & Trojanus eandem
Deveniunt. ———

Et

Et *Lib.* 8. Ibidem;

Spelunca alta fuit vaſtoque immanis hiatu
Scrupea, tristi lacu nigro nemorumque tenebris.

Juvenal. Sat. 6. Verſ. 3.

——— cum frigida parvas
Præberet ſpelunca domos.———

Et ibidem *Verſ.* 59.

Quis tamen affirmat nil actum in montibus, aut in
Speluncis? ———

L.

Draconis] Quos hinc diſcimus jam olim habitos cuſtodes defoſſarum, aut reconditarum opum, ſicut hodieque vulgo creduntur. Sic de vellere aureo, ſic de pomis aureis Atlantis traditum, ut ex *Ovidio* liquet. *Scheffer.*

Ultimam] *Terent. Phorm. Act.* 1. *Sc.* 4.

Sed quis hic eſt ſenex, quem video in ultima platea?

Idem *Heaut. Act.* 5. *Sc.* 1.

Eſt mihi in ultimis conclave ædibus. — Curt. Lib. 4. *Cap* 10. *In ultimas terras trahi ſe querebantur. Scheffer.*

Hunc ſimul aſpexit; oro ut imprudentiæ
Des primum veniam: Deinde, ſi pulchre vides,
Quam non conveniens aurum ſit vitæ meæ,
Reſpondeas clementer, quem fructum capis
Hoc ex labore, quodve tantum eſt præmium,
Ut careas ſomno, & ævum in tenebris exigas?

Oro ut] Eleganter velut timens. *Terent. Heaut. Act.* 4. *Sc.* 1.

Primum hoc te oro ne quid credas me adverſum edictum tuum,
Facere eſſe auſam. ———

Plane ſimili exordio. *Scheffer.*

Si] Confirmantis eſt, ut in illo *Virgilii* 1. *Georgic.*

Liber & alma Ceres veſtro ſi munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſta.

Servius: Si, hic pro ſiquidem. Ita *Terent. Andr.* 1. *Sc.* 5. *Si te in germani fratris dilexit loco*, &c. Vide me in de *Gymnaſio Styli p.* 118. *Scheffer.* Ita ICtus. in *l.* 48. §. *ult. ff. de jure fiſci. Si nondum dies fideicommiſſi veniſſet*, id eſt, quia, quoniam, uti hic. L.

Non conveniens] Quemadmodum *Ovid. Lib.* 1. *Triſt. Eleg.* 1.

Non eſt conveniens luctibus ille color.

Sic & *Conveniens eſt*, apud ICtum. in *l.* 7. §. *ult. ff. de liber. leg. l.* 7. *ff. de fideic. libert. Conveniens eſt viri boni arbitrio*, *l.* 6. *ff. pro ſoc. Conveniens eſt dicere*, *l.* 17. *ff. famil. erciſc. His conveniens eſt*, *l.* 7. § *ult. ff. de acquir. rer. dom.* Uti etiam, *His convenienter*, *l.* 10. §. 1. *ff. eod.* Et *Conveniens ter fortunæ*, *l.* 6. *ff. de muner. & honor.* L.

Vitæ meæ] Id eſt mihi, ut *Plautus*, *Ætati tuæ*, pro tibi, an *Vitæ meæ*, id eſt, victui meo? ut & apud Græcos βίος ſæpiſſime, & apud Latinos aliquando *Vita* uſurpatur. *Rittersh.* De ſeipſo vulpes loquitur, & hæc veluti amoliendæ ſuſpicionis gratia, & benevolentiæ captandæ præmittit. Noſti, inquit, ſatis, non eſſe hoc meum inſtitutum, ut cumulem mihi opes, quæ rapto vivo, & carne animantium veſcor. Itaque quod quæſiturus ſum, non ideo facio, tanquam tibi invideam hoc aurum, ipſeque velim habere. Dic tamen, ſi placet, quare hoc facias, & opibus ſic incumbas. *Scheffer.*

Clementer] Sic callide, tanquam cum valentiori, ex diſciplina vafritiei. *Scheffer.*

Quodve tantum eſt præmium] Latinius meo animo dixiſſet: *Quodve tanti eſt præmium. Schop.* Quod ego non opinor. *Scheffer.*

Ut careas ſomno] Pervigil, ἀγρυπνος. *Rittersh.* Finguntur enim vigiles. *Ovid.* 7. *Metam.* 2.

Pervigilē ſupereſt herbis ſopire Draconem.

Adde quæ de his obſervat Magnus Vir, *Gerh. Voſſius Lib.* 4. *Idololatr.* 44. *Scheffer.*

Nullum,

Nullum, inquit, ille: verum hoc à Summo mihi
Jove adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? Sic Fatis placet.
Nolo iraſcaris libere ſi dixero:
Diis eſt iratis natus qui eſt ſimilis tibi.

Adtributum] Injunctum, impoſitum eſt, velut munus peculiare. *Cic. Pro Roſc. Timor, quem mihi natura, pudorque meus adtribuit. Scheffer.* Et *Liv. 6. Bell. Pun. Caterorum curam benigne tuendorum C. Flaminio Quaſtori adtribuit.* Sic etiam *Adtributum uſibus mulieris* dicitur in *l. 45.* & *l. 49. §. ult. ff. de legat. 3. Adtribuere nomina, l. 3. ff. fam. erciſc.* Eſt adſignare, delegare: unde *Adtributio nominum*, apud *Cicer. Epiſt. ad Attic. Lib. 16.* & *Lib. 16. Familiar. L.*

Ergo] Verba vulpis, quibus draco reſpondet: *Sic Fatis placet.* Cætera quoque vulpis ſunt, dialogiſtice, omiſſo tamen illo, *inquit*, ut ſæpe antea. *Scheffer.*

Nec ſumis tibi, nec ulli donas] Similis fabula recitatur de Cane in præſepi, qui fœnum, cui incubat, nec ipſe eſſe poteſt, bobus tamen invidet, ac denegat. *Rittersh.*

Sic Fatis placet] Dictum proverbiale, cum caſus ſuos, non ſibi ſed Diis adſcribebant. Uti in eandem ſententiam *Sic viſum Superis.* Ita *Virgil. Lib. 1. Æneid.*

Diis aliter viſum. ——

Idemque *Lib. 3.*

Poſtquam res Aſiæ Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis. ——

Horat. Carm. Lib. 1. Ode 33.

Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos ſub juga aenea
Sævo mittere cum joco. ——

L.

Nolo iraſcaris] Formula excuſantis libertatem, ut Tiberius apud *Sueton. Cap. 29. Ignoſcas rogo, ſi quid adverſus te liberius, ſicut Senator, dixero. Scheffer.*

Libere ſi dixero] Ἐὰν παῤῥησιάσωμαι. *Rittersh.*

Diis eſt iratus natus] *Feſtus: Dirus, Dei ira natus.* Gloſſ. Vetus θεοχόλωτος. *Deiratus. Sen.* in *Ludo Claudii: Videte corpus ejus, Diis iratis natum. Juvenal. Sat. 9.*

Dis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro.

Rigalt. Proverbiale eſt, de homine invenuſto ac miſero, cui nihil bene ſuccedit. *Horat. 2. Sat. 3.*

Iratis natus paries Diis atque Pœtis.

Sic ſupra *Lib. 2.* ubi Auctor:

Siniſtra quos in lucem natura extulit.

Sic alii; *Deo irato meo.* Et *Plautus* non abſimili modo, *Genio adverſo* dixit alicubi. At felicem denotare volentes, ac venuſtum, dicunt: *Ipſi naſcenti Deos riſiſſe; ipſum placido numine*, vel *Lumine* vidiſſe aut *Aſpexiſſe. Virgil. Æneid. 1.*

—— *haud credo invriſus cœleſtibus auras*
Vitales carpis. ——

Dicebantur quoque *Dii bonum naſcenti omen ſternutaſſe*; qua de re curæ pretium faerit videre quæ *Schoppius* noſter ſcripſit *Veriſim. Lib. 4. Cap. 12.* Uſque adeo etiam paganis perſuaſum fuit, & à natura inſitum, Divinum numen eſſe, cum quo omnia, & ſine quo nihil hominibus feliciter cedat. *Rittersh.* Nunc mihi in mentem venit loci *Plautini*, in *Bacchidibus*:

—— *inamabilis, illepidus vivo, Malevolente ingenio natus.*

Ubi recte, atque ordine mihi *Boſius* videtur correxiſſe: *Malevolente genio natus*: quomodo & volgati libri præferunt. *Lambine* ſi ſanum fuiſſet ſinciput, nec Genius iratus, minime contra hanc lectionem ſcripſiſſet, quæ ſcribit: Malevolente genio natus, minus dici Latine, cum verius ſit, irato, vel iniquo genio. Eugepæ? Thalem talento non emam Milebium. Nam ad ſapientiam hujus ille nimius nugator fuit. Quid enim? Certe, ſi nihil aliud, vel illud tritum, *Cum Diis benevolentibus,*

lentibus, aliud *Lambino* ut scriberet, suadere debuit. *Schop.* Sic *Inimicis Diis*, dixit *Plaut. Mil. Glor. Act.* 2. *Sc.* 3. Et *Curt. Adversantibus Diis*, *Lib.* 6. In Oratione Philotæ. *Nevel.* Plurima huc pertinentia notavi olim Commentario extremo ad Lycophronem. *Meurs.* Sic etiam in hunc sensum *Horat. Lib.* 1. *Serm. Sat.* 5.

——— *dehinc Gnatia Lymphis*
Iratis extructa. ———

Et *Liv. Lib.* 3. & *Lib.* 9. Item *Cic.* in *Orat. pro Cœl.* Et *Epist. ad Attic. Lib.* 4. *Iratis Diis* dixerunt. *Terent.* in *Phorm. Mihi usu venit hoc scio: memini relinqui me Deo irato meo.* At contra de prospero omine vel successu *Diis secundis*, veteribus usurpatum. *Virgil.* 2. *Georgic.*

Non ego te mensis, & Diis accepta secundis.

Et *Lib.* 7. *Æneid.*

——— *Dii nostra incœpta secundent.*

Item *Lib.* 8. *Æneid.*

Parte alia ventis & Diis Agrippa secundis.

&c. Huic autem *Phædri* Argumento non invenuste quadrant *Euripidis* quatuor senarii aurei:

Εἰ εὐτυχῶν τὸς βιόν κεκτημένος
Μηδὲν δόμοις τῶν καλῶν περάσεται
Ἐγὼ μὲν οὔπως αὐτὸν ὄλβιον καλῶ
Φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδάμονα.

Id est:

Si quis vitam in fortunis vixerit,
Neque pulchrum aliquod domi tentaverit;
Ego hunc divitem aut beatũ nullo modo,
Sed custodem pecuniæ dixero.

L.

FABULA

Nullum, inquit, ille: verum hoc à Summo mihi
Jove adtributum eſt. Ergo nec ſumis tibi,
Nec ulli donas quicquam? Sic Fatis placet.
Nolo iraſcaris libere ſi dixero:
Diis eſt iratis natus qui eſt ſimilis tibi.

Adtributum] Injunctum, impoſitum eſt, velut munus peculiare. *Cic. Pro Roſc. Timor, quem mihi natura, pudorque meus adtribuit. Scheffer.* Et *Liv. 6. Bell. Pun. Cæterorum curam benigne tuendorum C. Flaminio Quæſtori adtribuit.* Sic etiam *Adtributum uſibus mulieris* dicitur in *l. 45. & l. 49. §. ult. ff. de legat. 3. Adtribuere nomina, l. 3. ff. fam. erciſc.* Eſt aſſignare, delegare: unde *Adtributio nominum*, apud *Cicer. Epiſt. ad Attic. Lib. 16. & Lib. 16. Familiar.* L.

Ergo] Verba vulpis, quibus draco reſpondet: *Sic Fatis placet.* Cætera quoque vulpis ſunt, dialogiſtice, omiſſo tamen illo, *inquit*, ut ſæpe antea. *Scheffer.*

Nec ſumis tibi, nec ulli donas] Similis fabula recitatur de Cane in præſepi, qui fœnum, cui incubat, nec ipſe eſſe poteſt, bobus tamen invidet, ac denegat. *Rittersh.*

Sic Fatis placet] Dictum proverbiale, cum caſûs ſuos, non ſibi ſed Diis adſcribebant. Uti in eandem ſententiam *Sic viſum Superis.* Ita *Virgil. Lib. 1. Æneid.*

Diis aliter viſum. ——

Idemque *Lib. 3.*

Poſtquam res Aſiæ Priamique evertere gentem
Immeritam viſum Superis. ——

Horat. Carm. Lib. 1. Ode 33.

Sic viſum Veneri, cui placet impares
Formas atque animos ſub juga ahenea
Sævo mittere cum joco. ——

L.

Nolo iraſcaris] Formula excuſantis libertatem, ut Tiberius apud *Sueton. Cap. 29. Ignoſcas rogo, ſi quid adverſus te liberius, ſicut Senator, dixero. Scheffer.*

Libere ſi dixero] Ἐὰν παῤῥησιάσωμαι. *Rittersh.*

Diis eſt iratus natus] *Feſtus: Dirus, Dei ira natus.* Gloſſ. Vetus θεοχόλωτος. *Deiratus. Sen.* in *Ludo Claudii: Videte corpus ejus, Diis iratis natum. Juvenal. Sat. 9.*

Dis ille adverſis genitus, fatoque ſiniſtro.

Rigalt. Proverbiale eſt, de homine invenuſto ac miſero, cui nihil bene ſuccedit. *Horat. 2. Sat. 3.*

Iratis natus paries Diis atque Poëtis.

Sic ſupra *Lib. 2.* ubi Auctor:

Siniſtra quos in lucem natura extulit.

Sic alii; *Deo irato meo.* Et *Plautus* non abſimili modo, *Genio adverſo* dixit alicubi. At felicem denotare volentes, ac venuſtum, dicunt: *Ipſi naſcenti Deos riſiſſe; ipſum placido numine*, vel *Lumine* vidiſſe aut *Aſpexiſſe. Virgil. Æneid. 1.*

—— *haud credo invîſus cœleſtibus auras*
Vitales carpis. ——

Dicebantur quoque *Dii bonum naſcenti omen ſternutaſſe*; qua de re curæ pretium fuerit videre quæ *Schoppius* noſter ſcripſit *Veriſim. Lib. 4. Cap. 12.* Uſque adeo etiam paganis perſuaſum fuit, & à natura inſitum, Divinum numen eſſe, cum quo omnia, & ſine quo nihil hominibus feliciter cedat. *Rittersh.* Nunc mihi in mentem venit loci *Plautini*, in *Bacchidibus:*

—— *inamabilis, illepidus vivo, Malevolente ingenio natus.*

Ubi recte, atque ordine mihi *Beſius* videtur correxiſſe: *Malevolente genio natus:* quomodo & volgati libri præferunt. *Lambine* ſi ſanum fuiſſet ſinciput, nec Genius iratus, minime contra hanc lectionem ſcripſiſſet, quæ ſcribit: Malevolente genio natus, minus dici Latine, cui verius ſit, irato, vel iniquo genio. Eugepæ! Thalem talento non emam Miletium. Nam ad ſapientiam hujus ille nimius nugator fuit. Quid enim? Certe, ſi nihil aliud, vel illud tritum, *Cum Dis benevolentibus*,

lentibus, aliud *Lambino* ut scriberet, suadere debuit. *Schop.* Sic *Inimicis Diis*, dixit *Plaut. Mil. Glor. Act.* 2. *Sc.* 3. Et *Curt. Adversantibus Diis*, *Lib.* 6. In Oratione Philotæ. *Nevel.* Plurima huc pertinentia notavi olim Commentario extremo ad Lycophronem. *Meurs.* Sic etiam in hunc sensum *Horat. Lib.* 1. *Serm. Sat.* 5.

——— *dehinc Gnatia Lymphis*
Iratis extructa. ———

Et *Liv. Lib.* 3. & *Lib.* 9. Item *Cic.* in *Orat. pro Cœl.* Et *Epist. ad Attic. Lib.* 4. *Iratis Diis* dixerunt. *Terent.* in *Phorm. Mihi usu venit hoc scio: memini relinqui me Deo irato meo.* At contra de prospero omine vel successu *Diis secundis*, veteribus usurpatum. *Virgil.* 2. *Georgic.*

Non ego te mensis, & Diis accepta secundis.

Et *Lib.* 7. *Æneid.*

——— *Dii nostra incœpta secundent.*

Item *Lib.* 8. *Æneid.*

Parte alia ventis & Diis Agrippa secundis.

&c. Huic autem *Phædri* Argumento non invenuste quadrant *Euripidis* quatuor senarii aurei:

Εἰ εὐτυχῶν τὸν βίον κεκτημένος
Μηδὲν δόμοις τῶν καλῶν περάσεται
Ἐγὼ μὲν οὔπως αὐτὸν ὄλβιον καλῶ
Φύλακα δὲ μᾶλλον χρημάτων εὐδαίμονα.

Id est:

Si quis vitam in fortunis vixerit,
Neque pulchrum aliquod domi tentaverit;
Ego hunc divitem aut beatũ nullo modo,
Sed custodem pecuniæ dixero.

L.

FABULA

FABULA VIGESIMA.

In Avarum.

ABiturus illuc quo priores abierunt,
Quid mente cæca miſerum torques ſpiritum?
Tibi dico, Avare, gaudium heredis tui.

ABiturus] Sic *Plautus*: *Abire in communem locum*: quod idem alibi, *Ad plures ſe penetrare*, dixit. Eſt autem & hoc ex *Feſto* notum, *Abire*, & *Abitionem* abſolute poni pro morte: quod eſt τὸ σκληρὸ μαλθακῶς λέγειν. Ac ſignificat *Tertullianus Lib. de Teſtim. Animæ*, paganorum hoc fuiſſe dicterium de mortuo: *Abiit*, *& reverti debet*. Eſt autem graviſſima pariter, & elegantiſſima inſectatio avari, cujus cupiditati nihil ſatis eſt, & qui quod habet non habet. Ceterum de miſeriis Avarorum pleni ſunt Sapientium libri, tam Sacrorum, quam τῶν ἔξω: quorum ſententias aliunde petere in promptu eſt, imprimis ex *Stobæi* collectaneis. Tantum hic adſcribam unum & alterum Mimum:

Avarus ipſe miſeriæ cauſa eſt ſuæ.

Et:

In nullum avarus eſt bonus: in ſe peſſimus.

Et:

Avara tam de eſt quod habet, quam quod non habet.

Et:

Avaro quid mali optes, quam ut vivat diu.

Et:

Avarus niſi cum moritur nihil recte facit.

Ritterſh. Simpliciter autem Veteres dicebant

bant *Abire*, ad evitandam inauspicatam mortis vocem. Vide *Scal. ad Festum. Meurs. de funer. Cap. 1. Scheffer.*

Priores] Qui fuerunt ante te, & excedere tamen vita coacti sunt. *Scheffer.* Ita *Sen. Epist. 52. Quem, inquis, advocabo? hunc an illum? Tu vero ad priores revertere, qui vocant. Adjuvare nos possunt non tantum qui sunt, sed & qui fuerunt.* Loquitur de præceptis, & consiliis quæ ex bonis scriptoribus hauriri possunt, ut ad meliorem frugem nos convertamus. Existimo autem legendum esse, *Ad priores, qui vita vacant*, id est, mortui sunt quemadmodum *Volcatius* vetus poëta dixit (apud *Donatum* in Vita *Terentii.*)

——— Navim cum semel
Conscendit, visus nunquam est, sic vita vacat.

Scio aliter intelligendum videri posse, ut dicat *Seneca* semper vacare illos *Priores*, neque deesse ipsis otium, quo cum illis agamus; sed non pœnitet me animi mei sententiam aperuisse. *Fab.*

Abierunt] Ne quis reprehendat *Phædrum*, mininisse necesse est non claudicare Jambicum Quippe certum est fuisse olim in modulis syllabarum aliam rationem, quam quæ postea obtinuit. Penultimam enim verborum, quæ in *erunt*, exeunt, brevem usurpabant. *Varro* de Vino:

Hoc agritudinem ad medendam invenerunt.

Jambicus trimeter est; ut & proxime superiores. Ita *Terentius:*

——— Quam nunc acturi sumus
Menandri Eunuchum postquam Ædiles emerunt.

Item *Virgilius:*

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Item:

Obstupui. steteruntque comæ. &c. ———

Ad quem locũ qui tantos plausus edunt, quasi *Virgilius* pronuntiationi vim attuleris, quo celeritatem intenderet, & subitum pavorem, & admirationem melius exprimeret, frustra ingeniosi sunt; quando, ut vides, in aliis etiam locis id ei usui venit, ubi nihil impetu, aut celeritate opus fuit. Alia exempla ex *Syro* afferre possum. *Fab.*

Spiritum] Sic eleganter, ubi sermo est de molesta, & miserabili vita. *Liv. Lib. 37. Periri ipsis semel satius, quam sub acerbissimi carnificis arbitrio spiritum trahere.* Et *Tacit. 1. Annal. 22. Vos quidem his innocentibus, & miserrimis lucem, & spiritum reddidistis. Scheffer.* Hoc modo *Extremo spiritu* dicitur. *Cic. Lib. 2. de Finib. Summorũ beneficiorum in extremo spiritu conservatio.* Τελευταίας ἀναπνοάς. *Gregor. Nazians. Orat.* Quæ στελευτικὸς inscribitur. Ut ἐσχάτην ἀπνοὴν. *Euseb. Lib. 3. de Vita Constant. Tacitus: Usque ad extremum spiritum.* ICti. dicunt: *Spiritum emittere, l. 18. ff. de reb. dub.* Idest, mori, Et *Spiritum reddere, Capitelin.* in *Anton.* L.

Tibi dico] Cum indignatione loquitur, & invehitur in Avarum, ut ostenderet, quam misera, stultaque Avari sit vita; Aperte autem imitatus est *Terentium*, qui sic in *Adelphis Act. 1. Sc. 2. Hæc cum illi Micio, dico, tibi dico.* Similis est locus infra *Lib. 5. Fab. 9. Scheffer.*

Gaudium heredis] Quia, ut habet alius Mimus *Publii:*

Heredis fletus sub persona risus est.

Eleganter risum personatum vocat, fletum heredis. non enim est serius, & cito exarescunt hæ crododili lacrimæ. Sic Germani quoque dicunt de eo, qui moritur relictis heredibus extraneis (ποιμένα ἐπακτὸν ἀλλότριον vocat *Pindarus*) er hat nur lachende erben. *Rittersh.*

Etenim qui sese pecuniæ studio addixit, nulli commodus est dum vivit; sola mors voluptatem, & emolumentum adfert heredi. Quod festive admodum refert *Horat. Lib. 2. Serm. Sat. 3.* De Avaro loquens.

Quondam lethargo grandi est oppressus ut hæres
Jam circum loculos, & claveis, lætus ovansque
Curreret. Hunc medicus multum celer atque fidelis
Excitat hoc pacto: mensam poni jubet, atque.
Effundi saccos nummorum; accedere plureis
Ad numerandum, hominem sic erigit, addit & illud,

Ni

Ni tua cuſtodis, avidus jam hoc auferet hæres.

Men' vivo? ut vivas igitur, vigila: hoc age. &c.

L.

Qui ture ſuperos; ipſum te fraudas cibo:
Qui triſtis audis muſicum Citharæ ſonum,
Quem tibiarum macerat jocunditas,
Opſoniorum pretia cui gemitum exprimunt.

Qui ture Superos] Lar Deus apud *Plaut.* in *Prol. Aulul.* queritur de infrequenti ſacrificio Euclionis, ejuſque parentis avariſſimi. *Propert. Lib.* 3. de avaritia puellarum:

At nunc deſertis ceſſant ſacraria lucis
Aurum omnes victa cum pietate colunt.

Nevel. Euclio apud *Plaut. Aulul. Act.* 2. *Sc.* 8. *Nunc thuſculum emi.* Adde *Theophraſt. Charact. Præparci*, & ibi *Caſaub. Scheffer.*

Ipſum te fraudas cibo] Tales ii, qui cum geniis ſuis belligerant, *Parcipromi.* Ut ait *Plaut. Trucul. Act.* 1. *Sc.* 2. Avariſſimi hominis εἰκόνα dabit in *Aulul. Plaut* Sub perſona Euclionis. *Nevel.*

Fraudas] Optime, reſpectu & debiti naturalis, & perſuaſionis propriæ, velut circumvenirent ventrem, commodi majoris gratia. Sic dictus Euclio apud *Plaut. Aulul. Act.* 3. *Sc.* 9. *Lucianus* in *Timone: Ridebas iſtos, qui ipſi quidem ſibi ſubtraherent, quod eſt abſurdiſſimum. Scheffer.* Atque hoc modo *Fraudari alimentis* dixit ICtus. in *l.* 6. *ff. de confeſſ.* L.

Triſtis] Nam & natura moroſi ſunt; & ſonum ex colliſione nummorum, ſicut ille hinnitum equorum, libentius quam citharam audiunt. *Scheffer.*

Opſoniorum pretia cui gemitum exprimunt] Velut cara nimis eſſent. Vide *Theophraſt.* & *Plaut.* dicto loco. *Scheffer.* Inde natus eſt ille facetiſſimus avari ægrotantis cum medico dialogiſmus, ſuadente ut aliquid caperet. *Horat. Sat.* 3. *Lib.* 2.

MED. *Tu ceſſas? agedum ſume hoc ptiſanarium oryzæ.*
ÆGROT. *Quanti empta?* MED. *parvo.* ÆGR. *quanti ergo?* MED. *Octo aſſibus.* ÆG. *Eheu, Quid refert morbo, an furtis, pereamne rapinis?*

Fab. De Opſoniis dixi ſupra. L.

Qui dum quadrantes aggeras patrimonio,
Cœlum fatigas ſordido perjurio,
Qui circumcidis omnem impenſam funeris,
Libitina ne quid de tuo faciat lucrum.

Dum quadrantes] Non dubitas perjurare, dum patrimonium conduplices modo: *Plaut. Epid. Act.* 3. *Sc.* 2.

Dum tibi ego placeam atque obſequar, meum tergum flocci facio.

Schop. Ponit *Quadrantes* pro nummis minimis, ut ſit ſenſus talem vel oboli gratia perjurium committere, eſt ea hoc ut cætera, ex characteribus Avari. *Scheffer. Horat. Serm. Lib.* 2. *Sat.* 3.

Forte minus locuples uno quadrante periret.

Et *Juvenal. Sat.* 1. *Vers.* 121.

——— *denſiſſima centum*
Quadrantes lectica petit. ———

Item *Sat.* 7. *Vers.* 8.

Nam ſi Pieria quadrans tibi nullus in umbra
Oſtendatur. ———

L.

Agge-

Aggeras patrimonio] Accumules, & sic majus facias. Vide conf. D. *Loceninm*, focerum meum chariſſimum in *Ind. Curt. Scheffer.*

Cœlum fatigis] Verbum *Fatigare* ſignificat creberrima perjuria, quæ vel multitudine, & crebritate ſua ipſum Jovem, & alios cœlites delaſſare valeant. Vide *Juvenal. Sat.* 13. *Rittersh.* Sic *Horat.* 1. *Carm.*

——— *prece qua fatigant*
Virgines ſanctæ minus audientem
Carmina Veſtam?

Rigalt. Puto *Virgilium* reſpexiſſe, qui ſic *Lib.* 1. *Æneid.* de Junone:

Quæ mare nunc terraſque metu cœlumque fatigat.

Servius: Fatigat, pro exeret, ſollicitat, commovet. Senſus eſt, talem non curare, licet Deos ipſos ſibi faciat iratos. *Scheffer.*

Sordido] Suſpectus poſſit eſſe locus hic, cum impium ſit potius perjurium. Sed videtur illud intelligere, quod fit ob rem levem, vilem, ſordidam, per cauſam levem ſordidamque, id eſt, avaritiam. Solent nempe avari etiam minimæ pecuniolæ cauſa pejerare. *Juvenal. Sat.* 14. *Verſ.* 218.

Falſus erit teſtis, vendet pejuria ſumma
Exigua. ——— ———

Sic alii, ut non putem aliquid hic mutandum. *Scheffer. Ovid. Amor. Lib.* 2. *Eleg.* 10.

Quærat avarus opes, & quæ laſſaris arando,
Æquora perjuro naufragus ore bibat.

Nam ut idem ait, *Lib.* 1. *Amor. Eleg.* 10.

Non habet eventus ſordida præda bonos.

Horatius quoque *Lib.* 2. *Serm. Sat.* 3.

——— ——— *quare*
Si quid vis ſatis eſt, perjuras, ſurripis, aufers,
Undique? ——— ———

L.

Circumcidis] Id eſt, removes, atque abjicis. Eleganter dictum, quomodo *Celſus* circumcidere vinum non ſemel dixit: ut *Lib.* 4. *Cap.* 20. *Circumcidendum vinum eſt in totum annum*, id eſt, abſtidendum, à vino. Ubi tamen rectius abeſſet *Annum*, quod nomen ab aliquo aſſumptum videtur, qui non intelligens formulam, *In totum*, quam Græci exprimunt per δι' ὅλε, putavit aliquid deeſſe. *In totum*, alias *Ex toto* uſurpat idem *Celſus*: ut *Lib.* 6. *Cap.* 9. *In dentium autem dolore vinum ex toto circumcidendum eſt.* Quis hic tam bardus, ut putet deeſſe *Anno*? Sic idem *Lib.* 4. *Cap. ult. Ambulare circumciſa omni negatioſa cogitatione, vel actione*, id eſt, remota. Sic circumciſos, aut ſublatos ſumptus dixit *Livius Lib.* 42. Et alibi ſtipendia circumcidere, idem *Livius*, ubi ſignificare videtur diminuta ſtipendia. *Rittersh.* Circumcidi rami dicuntur in *l.* 1. § *ult. ff. de arbor. cædend.* Id eſt, circum amputari. Et *Circumcidi arbores* apud *Plin. Lib.* 16. *Cap.* 40. Et *Circumcidere corticem* apud *Columell. Lib.* 3. L.

Impenſam funeris] Quantæ fuerint apud Romanos funerum impenſæ, docui non ita pridem abunde libro ſingulari *de Funere Cap.* 44. Huno vide, ſi tanti eſt. *Meurs.* Ita autem dicebantur ſumptus in funus impenſi, *l.* 8. §. *ult. l.* 11. *ff. de legat.* 2. *l.* 2. §. *quod ſi. ff. de hared. vel act. vend.* Ut & *Funeris ſumptus l.* 37. *ff. de religioſ.* Seu *Funeris cauſa factus ſumptus*, *l.* 12. §. *Prætor. l.* 14. §. *funeris. ff. eod.* Sic, *Impenſa peregre mortui quæ facta eſt, ut corpus perferretur*, *l.* 14. §. *impenſa. ff. eod. Impenſa perferendi corporis in aliam regionem*, *l.* 112. §. 1. *ff. de condit. & demonſtrat.* L.

Libitina] Seu ii, qui in templo ejus, quæ ad funus eſſent neceſſaria, vendebant. Conſule *Kirchman.* 1. *de Funer. Cap.* 9. Et *Meurs. de Fun. Cap.* 44. *Scheffer.* Unde *Libitinarii* dicuntur, quos Græci νεκροθάπτας appellant, qui funera curant, *l.* 5. §. *idem ait. ff. de Inſtitor. act.* Et apud *Sen. Lib.* 6. *de Benefic. Cap.* 38. à *Libitina* cujus in templo Romæ τὰ πρὸς ταφὰς, id eſt, quæ ad funera pertinebant, venibant, ut auctor eſt *Plutarchus* ἐν Αἰτίοις. Vet. Gloſſar. *Libitinarius*, ἐνταφιαστής. L.

Ne quid] Elegantiſſime in hujuſmodi avaritiam luſit & archimimus ille, qui funeri Veſpaſiani pro more adhibitus, ut vivi dicta factaque exprimeret, cum ex procuratoribus quæſiviſſet, quanti funus, & pompa conſtaret, iique reſpondiſſent H S. centies, exclamabat, *C. ſibi ſeſtertia darent, at ſe vel in Tiberim projicerent, inſepultum.* Epigrammatarius quoque feſtive

ſtive in Avarum luſit, qui à ſuſpendio ſui, ſola reſtis caritate fuerit deterritus. *Rittersh.* Paulo aliter *Auſonius* itidem de Avaro:

Qui laqueum collo nectebat, repetit aurum
Theſaurique loco depoſuit laqueum,
At qui condiderat, poſtquam non reperit aurum
Aptavit collo, quem reperit laqueum.

L.

De tuo] Eleganter, id eſt, tuo ſumptu. *Plaut. Bacchid. Act. I. Sc. I.*

Ego obſonabo. Nam id flagitium ſit meum, mea te gratia
Et operam dare mihi, & ad eam operam facere ſumptum de tuo.

Terent Olet unguenta de meo. Livius: *Decernet ſenatus ut ſtipendium miles de publico acciperet, cum ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet.* Schop. Ita & *Plaut.* in *Menachm. De tuo iſtuc addis.* Scheffer. Ita & *Terentius* alicubi niſi fallor: *De te largitor*, id eſt, de tuo. L.

PHÆDRUS.

PHÆDRUS.

Quid judicare cogitet livor modò,
Licet diſſimulet, pulchre tamen intellego.
Quicquid putabit eſſe dignum memoriæ,
Æſopi dicet: Si quid minus adriſerit,
A me contendet fictum quovis pignore.

Cogitet] Id eſt, meditetur, quærat facere. Sic *Cic. 1. de Offic. Qui alteri nocere cogitat*, &c. *Scheffer.* Ita *Cogitatio defunctæ* dicitur *l. 13. §. ult. ff. de alim. vel cib. legat. Cogitatione mortalitatis donare, l. 21. ff. de mort. cauſ. donat.* Sic & *Cogitationis pœnam nemo patitur, l. 12. ff. de pœn. Sola cogitatio furti faciendi furem non facit l. 1. ff. de furt.* id eſt, propoſitum, conatus. L.

Modo] Jungunt voci *Livor*, ego poſteriori *Licet* aſſocio, ut ſit ſenſus; licet modo, ſive nunc diſſimulet, etiamſi non ſtatim indicet, dum vivo & ſcribo, faciet olim. *Terent. Adelph. Act. 3. Sc. 1.*

——— *modò dolores; Mea tu, accipiunt primulum.*

Donatus; *Evidenter hic, modò, temporis adverbium eſt. Scheffer.*

Dignum memoriæ] Niſi quis legere malit *Memoria*, dicam eſſe Græciſmum hominis Thracenſis: ex illo ἄξιον μνήμης. Sed tamen infra in fine hujus *Lib. 4.* dixit, *Dignum longa memoria. Rittersh.* Non audio *Ritterhuſium*, hominis Thracenſis Græciſmum appellantem. *Plaut. Trin. Act. 5. Sc. 2. Non ego ſum ſalutis dignus. Cic. Lib. 2. Att. Suſcipe curam & cogitationem dignißimam tuæ valetudinis.* Video & *Phraſcium* ſic ſtatuere, adductis *Bangii*, & *Mariangeli* obſervationibus. *Scheffer.*

Contendet quovis pignore] Sic *Catull. Epigr.* 41. *Quovis Sabinum pignore esse contendunt.* Et *Cic. Lib.* 7. *Epist.* 33. ad Volumnium : *ut sacramento contendas mea non esse. Virgilius* in *Bucolicis* certare pignore eodem significatu dixit. *Rittersh.*

Quem volo refelli jam nunc responso meo:
Sive hoc ineptum, sive laudandum est opus,
Invenit ille: nostra perfecit manus.
Sed exsequamur cæptum propositi ordinem.

Refelli] Refutari, reprobrari, atque ita *Refellere testem*, quod vulgo reprobare testem, & contra ejus dictum aliquid allegare, *Sueton.* in *August.* L.

Jam nunc] Statim *Virgil.* 1. *Georgic.* 9.

—— *& votis jam nunc assuesce vocari.*

Scheffer.

Ille] Æsopus. Similia his alibi inculcat. *Scheffer.*

Exsequamur] Hoc vocabulum hic, uti sæpius, peragere, perficere, explere significat. Sic *Exsequi mandatum*, *l.* 22. §. *si curator.* & *l.* 27. §. *morte.* §. *& impendia. ff mand. l.* 46. *ff. pro soc. Cic. Philipp.* 9. *Exsequi rem sibi mandatam*, *l.* 18. §. *si liber. ff. de negot. gest. Exsequi quæ defuncto inchoavit*, *l.* 60. *ff. de administr. & peric. tut. Exsequi nuptias*, *l.* 2. *C. de sponsal.* Sic *Exsequi sententiam*, *l.* 15. *ff. de re judic.* id est, ad finem persequi, ut §. 1. *eod. Exsequi* etiam *rem judicatam*, *l.* 3. *l.* 4. *C. de exsec. rei jud.* Est ad effectum perducere, ut *d. l.* 15. seu ad emolumentum perducere, ut *l.* 2. *ff. eod.* L.

FABULA

FABULA VIGESIMA PRIMA.

De Simonide.



HOmo doctus in ſe ſemper divitias habet.

Homo doctus in ſe ſemper divitias habet.] Quia Ἀναφαίρετον κτῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς. id eſt, *Doctrina domino haud eripi poteſt ſuo. Rittersh.* Philoſophice hoc intelligendum, quatenus opponitur iis quæ ſunt extra nos. Ita *Plaut.* in *Amphitr. Virtus omnia in ſe habet.* Vide Stoicos paſſim. *Scheffer.* Egregie in hanc eruditam *Phædri* noſtri ſententiam Comicus Græcus:

Κάλλιστόν ἐστι κτῆμα παιδεία βροτοῖς.

Id eſt:

Doctrina quavis pulchrior poſſeſſio,

Et alibi:

Ὁ σοφὸς ἐν αὐτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν.

Id eſt:

Sapiens ubique ſuas circumfert opes.

Ita & *Cicero* docuit *Paradox.* 6. Ὅτι μόνος ὁ σοφὸς πλούσιος. *Solum ſapientem eſſe divitem.* Et ſubjungit: *Etenim ſi iſti callidi rerum æſtimatores, prata, & areas quaſdam magno æſtimant, quod ei generi poſſeſſionum minime quaſi neceri poteſt; quanti eſt æſtimanda virtus, quæ nec eripi, nec furripi poteſt unquam: neque naufragio, neque incendio amittitur, nec tempeſtate, nec temporum permutatione mutatur? qua præditi qui ſunt, ſoli ſunt divites: ſoli enim poſſident res & fructuoſas, & ſempiternas: ſolique quod eſt proprium divitiarum, contenti ſunt rebus ſuis. Satis eſſe putant quod eſt: nihil appetunt, nulla re egent, nihil ſibi deeſſe ſentiunt, nihil requirunt.* Hinc Bion referente eodem *Cic. Tuſc. Quæſt. Lib.* 5. Interrogatus cujatem ſe diceret, coſmo-

politam se dixit, totius enim mundi incolam, & civem posse eum arbitrabatur esse, qui omnimodæ eruditionis secum reportaret Thesaurum. Hinc Stilpo Philosophus. ut testis est *Sen. Epist. 9. ad Lucil.* capta patria, amissis liberis, amissa uxore, cum ex publico incendio solus, & tamen beatus exiret, interroganti Demetrio, cui nomen ab exitio urbium Poliorcetes fuit, numquid perdidisset, omnia, inquit, bona mea mecum sunt, Ecce vir fortis ac strenuus ipse hostis sui victoriam vicit. L.

Simonides, qui scripsit egregium melos,
Quo paupertatem sustineret facilius,
Circumire cœpit Urbes Asiæ nobiles
Mercede accepta laudem victorum canens.

Egregium melos] Unde hunc scriptorem maximi semper fecit *Plato*, & ob carminum bonitatem, & ob exquisitam sapientiam. Sane ex reliquiis, quæ hodieque supersunt, cuivis facile ad intelligendum est, non vanam fuisse hominis gloriam. Ejus luculenta aliquot fragmenta inter Lyricorum reliquias leguntur. *Fab.* Vide *Gyraldum. Scheffer.*

Quo paupertatem sustineret facilius] Ergo:

——— *paupertas impulit audax*
Simonidem, ut versus faceret. ———

(Utor verbis *Horatii*) & quæstui habuit poësin suam. Nota res est de duabus thecis, seu arculis Simonidis, quarum unam ajebat esse gratiarum, quæ ipsi habebantur agebanturve pro versibus in laudem alicujus compositis: alteram nummorum aliorumque munerum, quæ ab iisdem ad se redibant. Priorem semper vacuam atque inutilem se experiri dicebat: posteriorem solam utilem, ac opportunam, ad incidentem aliquam necessitatem sublevandam. Vide *Stobæum Serm.* 10. Exemplum avaritiæ, & ἐργολαβίας ejus elegans, & festivum *Aristoteles* annotavit *Lib* 3. *Rhetor. Cap.* 2. Ait, enim, rogatum aliquando Simonidem à quodam, qui mulabus vicesset, ut eam victoriam Pœane, vel ἐπινικίᾳ aliquo celebraret: sed præmium pro eo offerret, quod Simonidi nimis exile videbatur, carmen facere recusasse, quod diceret se gravari mulas laudare: nihil in tam sterili argumento dignum laude reperiri posse. Ac ille cum addidisset tantum, quantum avaritiæ Simonidis satis videbatur, incepisse Poëtam hunc in modum, exordio satis magnifico:

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Id est.

Salvete velocium natæ equorum.

Quasi mulæ non etiam asinarum essent filiæ. Sed Poëta callidus, cui jam dolosi spes refulserat nummi, id videlicet excerpsit, quod erat in proposita re præstantius, indeque sumpsit epitheton. Sed & *Callimachus* doctissimus Poëta hanc Simonidis quæstuariam poësin aversatus est: id quod satis hi ejus versus declarant. οὐ γὰρ ἐργάτιν τρέφω τὴν μοῦσαν ὡς ὁ Κεῖος ὑλλίχου νέπους. Est enim hæc periphrasis Simonidis nati in Ceo (non ut editum est Cæo) insula, avo Hyllicho. (Unde *Ausonius* Ceum vocat *Profess.* 14.

Carminibus quæ prima tuis sunt condita in annis,
Cencedit Cei Musa Simonidei.)

Idemque ante hunc, sed tecte scripserat *Pindarus Isthmion.* Non tantum autem pecuniæ amans, & avarus fuit Simonides, sed & vitæ. Interrogatus enim in senectute à quodam quamdiu vixisset; Annos equidem, inquit, multos, parum tamen; teste *Stolao. Rittersh.*

Circumire] Proprie, de iis, qui incerto, & instabili vitæ genere utuntur, ut fere mendici, *Circumire urbes*, est, *Ire circum urbes*, ut *Ducere circum quæstus* supra *Fab.* 1. *Scheffer.* At etiam alio sensu *Circumire ædes sacras, & opera publica* dixit ICtus.

in

in l. 7. §. 1. ff. de Offic. Procons. Circumire vigilias l. 12. §. ult. ff. de re milit. L.

Mercede accepta] Tradiderunt veteres Simonidem quæstum in artem introduxisse: eamque in rem finxisse duo penes se esse scrinia, unum gratiarum, alterum mercedis. *Suidas.* Σιμωνίδης λυρικὸς ἦτοι πρώτος δοκεῖ μισθολογίαν εἰσηγήσασθαι εἰς τὸ ᾄσμα, καὶ γεγράψαι ἄσματα, εἶχε δὲ δύο κιβώτια. τὴν μὲν τῶν χαρίτων κεκλῆσθαι, τὴν δὲ ἑτέραν πλίνθον. Hinc illud *Theocriti Idyll.* 16. quod Χάριτες inscribitur:

Οὐκ ἀπὸ πλίνθου ποκὰ κεκλάδαμαι ἐπὶ μισθῷ χαλεπῷ
Ψυχρῆς ἐν χαράδρας κρέα μηρύοντι βαλοῦσαν,
Εἰδὼς ἄνθρωπον ἁπαλὰν ἄκρατον ἰάνων.

Est & locus elegans apud *Aristophanis* Scholiasten ad Pacem, quem illic memini me annotare ante annos tredecim in meo Spicilegio. *Meurs.* De Avarita Simonidis verba hæc sunt *Aristotelis Lib.* 3. *Rhetor. Cap.* 2. Σιμωνίδης, ὅτι μὲν ἰδίᾳ μισθὸν ὀλίγον αὐτῷ ὁ νικήσας τοῖς ὄρνισι, οὐκ ἤθελε ποιεῖν, ὡς δυσχεραίνων εἰς ἡμίονους ποιεῖν. ἐκεῖ δ' ἱκανὸν ἔδωκεν, ἐπαινέσει,

Χαίρετ' ἀελλοπόδων θύγατρες ἵππων.

Et hæc quidem ad *Phædrum* dicta sunto. At vero quæ jam à nobis exponentur, nata illa quidem sunt ex occasione fortuita; tamen, uti spero, talia erunt, ut eruditis auribus possint non prorsus displicere. Videlicet dum ῥῆσιν superiorem describo (nam adversariis meis nihil mandare soleo præter notulas, quibus admoneor illud, aut illud legi, apud hunc aut illum scriptorem) dumque totam paginam lego, incidi in eum locum, in quo *Euripidem* reprehendit *Aristoteles*, quod in *Telepho* (Tragœdiæ nomen est Telephus) dixerit κώπας ἀνάσσειν, addens, ὅτι μεῖζον τὸ Ἀνάσσειν ἢ κατ' ἀξίαν, quod videlicet τὸ Ἀνάσσειν (*regnare*, seu *imperare*, ut ipse accepit, sed male) cum de remo agitur, grandius sit quam pro rei dignitate. Sed, dicam libere, uti meus est mos, graviter erraſſe *Aristotelem*, neque auspicato Criticam suam advocasse. Primum enim ante *Euripidem* ita locutus fuerat *Æschylus* ἐν Πέρσαις, *p.* 142. editionis *Stephanianæ*.

Πᾶς ἀνὴρ κώπας ἄναξ
Εἰς ναῦν ἐχώρει πᾶς θ' ὅπλων ἐπίσατης.

Cum illam dicendi rationem *Æschylus Euripide* antiquior usurpaverit, æquius fuit *Æschylum* reprehendere ob tam audacem (talis enim *Aristoteli* videtur, etsi minus recte) metaphoram. Sed fortasse nollet ita excusari *Euripides*; neque sane posset: nam hoc unum ad defensionem sui si adferret, quid tandem inde efficeretur? nil profecto aliud, quam & *Æschylum*, & *Euripidem* in eundem errorem incidisse. At vero longe aliud est, quo reprehensionem *Aristotelis* eludat, ipsumque in eo luto hærentem relinquat, unde emergere non possit. Primum itaque dico, primogeniam hujus vocis ἄναξ significationem ignorasse *Aristotelem*: quæ nihil erat aliud, quam φρουρὸς, & φύλαξ (*curator*) ut ostendunt vocabula composita ἱππάναξ, παιδάναξ, & *Eustathius* ex veteribus Glossis *p.* 650. editionis *Romanæ*, & alibi quoque ostendit; unde & apud *Herodotum* legas ἀναχῶς, pro ἐπιμελῶς (in *Urania Cap.* 109.) quod ipsum & *Eustathius* vidit *Pag.* 21. & ex *Plutarcho* annotavit. Idem legere est in Lexico *Herodoteo*, quod ex *Apollonii* ἐξηγήσεως τῶν Ἡροδότου γλωσσῶν eductum videri potest. Idem etiam apud *Thucydidem* legas *Lib* 7. *p.* 617. Editionis *Stephanianæ*, ubi ex Græco Scholiaste vertitur ἀρχοντικῶς, & ἀφυλακτικῶς. Locus autem *Plutarchi*, quam ante oculos habebat *Eustathius*, in *Thesæo* est *p.* 16. editionis majoris. ΑΝΑΚΩΣ γὰρ ἔχειν τὰς ἐπιμελουμένας, ἢ φυλάττοντας ἐπῶν: additque *Plutarchus* inde reges dictos fuisse ἄνακτας, propter curam scilicet, quam subditorum suorum commodis impendere debent. Itaque κώπης ἄναξ, & κώπης ἀνάσσειν, male reprehendit *Aristoteles* neque ulla est metaphora, nedum grandior quam res postulat, ut ipse judicavit. Et hæc quidē

pro *Euripide*, & *Æschylo* adversus sententiam *Aristotelis*; qui multo consultius fecisset, si nil tale scripsisset. Cum enim sermo, & verborum acceptiones, pendeant ex usu,

Quem penes arbitrium est, & lex & norma loquendi.

Ut ait *Horatius*, & *res ipsa vociferatur*, non satis perite fecit, qui χώπης ἀνάσσειν reprehenderit, quod ipse non intelligebat. Quid enim? an hinc purgatus abibit, quia illius ætate & ἄναξ, & ἀνάσσειν aliud significabant, quam quod aliquando priscis Græciæ temporibus significaverant? minime gentium; Imo laterem crudum lavet; tanto inquinatiores manus habebit. Neque enim priorum est divinare, quid circa usum linguæ mutatura sit posteritas; contra posteriorum est videre, & diligenter observare, quid, & quomodo scripserint priores. Quod si dixerit quispiam, *Aristotelem*, summum illum Criticum (talis enim fuit) hæc quam nos melius novisse, cum tanto temporum intervallo remoti à veterum scriptorum intelligentia simus; nihil equidem respondebo aliud, nisi esse hoc verisimile quidem, sed tamen falsum. Multa enim sunt, quæ & *Aristoteles*, & *Plutarchus*, & *Athenæus* in illo genere non sunt assecuti, quæ tamen ab aliis posteriori tempore recte intellecta fuere. Sed id si pararem demonstrare, res prolixior fieret; & jam nimis extra notularum modulum sumus evagati. Ceterum apud *Eustathium* loco superius indicato, error est, ἐπελώθησαν) pro ἐπελήθησαν, eum tu me monente corrigito. *Fab.*

Laudem victorum Canens] In Ludis Olympicis Græcorum. *Scheffer.* Ita *Sueton.* in *Neron. Accipit pro carminibus in laudem victorum compositis.* L.

Hoc genere quæstus postquam locuples factus est,
Venire in patriam voluit cursu Pelagi,
(Erat autem natus, ut ajunt, in Cæo insula)
Ascendit navem: quam tempestas horrida
Simul & vetustas medio dissolvit mari.

Cursu Pelagi] Optime, ut *Cursus aquæ* apud ICtos. in *l.* 1. §. 1. *ff. ne quid in flum. publ.* Et *l.* 1. §. *non autem. ff. de flum. publ. Cursus fluminis, l.* 30. §. *Tribus. ff. de acquir. rer. dom. L.* 1. §. *non autem. ff. de fluvin. l.* 1. C. *de alluvionib.* L.

Cæo insula] Unde illud *Horatii*:

Ceæ retractes munera næniæ.

Id est, *Simonideæ*. Intelligit autem *Horatius* eum Simonidis librum, cui θρῆνοι, seu lamentationes nomen erat; ad quem respiciens *Catullus* dixit;

Mæstius lacrymis Simonideis.

Fab.

Dissolvit] Proprie de navibus tempestate fractis, quia & *contexi* dicuntur, cujus hoc est oppositum. Dicam amplius in curis secundis librorum meorum, *De milit. Navali. Ovid. Lib.* 4. *Eleg.* 7. De navibus:

Et dedit æquoreos cœlo duce tendere cursus.

Scheffer.

Hi Zonas, illi res pretiosas colligunt,
Subsidium vitæ. Quidam curiosior:
Simonide, tu ex opibus nihil sumis tuis?
Mecum, inquit, mea sunt cuncta. Tunc pauci enatant,
Quia plures onere degravati perierant.

Zonas]

Zonas] In quibus conditam. Gestabant pecaniam. Sic utitur *Horat. 2. Epist. 2.*

Ibit eo, quo vis, qui Zonam perdidit, inquit.

De quo Proverbio vide *Erasm. Chil. 1. Cent. 5. Proverb. 16.* Eleganter C. Gracchus apud *Gellum Lib. 15. Cap. 12. Zonas, quas plenas argenti extuli, eas ex Provincia inanes retuli.* Quia ut *Martialis* ait:

Semper pauperior redit potestas.

Rittersh. Adde *Sueton.* in *Vitell. Cap. 16. Apulej. 7. Asin.* & simillimum huic locum *Juvenal. Sat. 14.* Hodieque Hungari vicinique ipsorum pecuniam in *Zonis* repositam habent. *Scheffer.* Eleganter *Plautus in Pœnulo:*

——— *tu qui Zonam non habes,*
Quid in hanc venisti urbem, aut quidnam quæris?

In quibus ejusdem *Plauti* verbis duplex est allusio, & ad vestem Pœnorum more discinctam, & ad pecuniam quæ in Zona gestatur, citra quam in urbe sumptuosa non sat commode venitur. *Juvenal. Sat. 14. Vers. 297.*

Obrutus & Zonam læva, morsuque tenebit.

De naufragis etiam loquitur, & intelligit cingulum hoc in qua ferebant solidos, Græca autem dicto est Ζώνη, quæ priscis temporibus auro monetali ornari solebat, ut magni esset pretii. Unde est illud apud *Matthæum* in *Euangelio Cap. 10. Nolite possidere aurum, neque argentum neque pecuniam in Zonis vestris. Sueton.* in *Vitell. Zona se aureorum plena circumdedit. Apulejus 7. Metamorph.* Loquens de quadam Plotina, sic scribit: *Et auro monetalia Zonis refertis intincta. Ælius Lampridius in Vita Alexandri: Miles non timet nisi vestitus, armatus, calciatus, & habens aliquid in Zonula.* Scilicet:

Cantabit vacuus coram latrone viator.

Zona autem, quidem cingulum est, sed tamen, sive quod ad Zonam crumenam adligabant, sive quod latiore in latere dextero Zona uterentur, cui assuta, & claviculis affixa erat scortea crumena, factum est; ut Zona pro crumena fuerit usurpatum. Hinc *Plautus* in *Trinummo*, *Zonarias sectores* appellavit, quos *Aristophanes* comicus βωλαριοτόμους, id est, *Crumenisectas* vocat. Sic enim *Crumenisecæ* Latine dici potest, & *Crumenisex*, ut *fœnisecæ*, & *fœnisex*, ab antiquis falcarius operarius dictus est. Et crimen ipsum *Crumenisecium*, vel *Crumenisicium* potius, ut *fœnisicium*, quibus verbis *Varro*, & *Columella* utuntur. Item pro eo qui venam secat, & pro ipsius venæ sectione, non omnino male fortassis *Venisecæ*, & *Venisecium* diceretur, Græci Φλεβοτόμους vocant. L.

Subsidium vitæ] Pro, *In subsidium*, ut subsidium aliquid haberent. Sic *Tacit. 1. Annal. 3. Augustus subsidia dominationi Cl. Marcellum Curuli Ædilitate, M. Agrippam geminatis Consulatibus extulit. Scheffer.*

Curiosior] Supple, conversus ad Simonidem, ait *Curiosior*, proprie. Sic enim vocabantur, qui solliciti sunt de aliis, Ita *Plaut. Stich. Act. 2. Sc. 1.*

Sed curiosi sunt hic complures mali
Alienas res qui curant studio maxime.

Scheffer. Sic *Curiosus homo* in *l. 9. §. sed facti. ff. de jur. & fact. ignor.* Et ita *Curiosus esse creditor* dicitur in *l. 3. §. sed si sic. ff. de in rem Vers.* Ac eadem significatione *Curiositas* in *l. 6. ff. de jur. & fact. ignor.* Alio autem, & antiquitatis respectu *Curiosi* dicebantur, qui curis agendis & evectionibus cursus publici inspiciendis operam dabant *l. 13. C. de curs. publ. Lib. 12. l. 2. C. de curios. l. 1. C. de offic. Magist. offic.* ad eosque cura vehicularis cursus pertinebat, ut loquitur *l. ult. ff. de muner. & honor.* Hos quoque crimina judicibus nuntiasse, indicat *l. 1. C. de curios. Tertullian. in Lib. de fuga in persecut. In matricibus beneficiariorum, & curiosorum.* In passione *B. Mennæ*, Heliodori cujusdam mentio fit, qui *Curiosi* officio fungebatur. Ad hoc verbum pertinent quæ a *Suida* in verbo Κυριόσους, referuntur, ἐκ τῆς βίβ Χρυσοστόμ. Ea sunt hujusmodi Ἐλκόμενοι ὑπὸ τῶν κυριόσων τῆς πόλεως, ἐν μέσῃ τῇ πόλει. *Curiosos* etiam *Publicanos* vectigalium redemptoribus *Julius Firmicus Lib. 3.* conjungit. *Curiosi litorum* invenies in *Nov. un. Th. & Valent. de trib. fiscal.* Et *Primi scholarum curiosi* in *l. 6. ff. de curios. in Cod. Theodos.* L.

Ex opibus nihil sumus tuis?] Hic nota interrogationis deerat, quam addidi. *Ritterh.*

Mecum] Apud me, optime. Respexit *Virgilium* suum, qui sic *Lib.* 4. *Æneid.*

Mecum erit iste labor. ———

Etiam *Terentius*, hoc modo in *Adelph. Act.* 3. *Sc.* 2. *Scheffer.* Hinc sæpius laudata Philosophi sententia: *Omnia mea mecum porto.* L.

Prædones adsunt; rapiunt quod quisque extulit;
Nudos relinquunt. Forte Clazomenæ prope
Antiqua fuit Urbs, quam petierunt naufragi:
Hic literarum quidam studio deditus,
Simonidis qui sæpe versus legerat
Eratque absentis admirator maximus.

Adsunt] Notat promptam, & subitam prædonum præsentiam, ita Ajax apud *Ovid. Lib.* 13. *Metamorph. Vers.* 72.

Conclamat socios; adsum, videoque trementem
Pallentemque metu, & trepidantem morte futura.

L.

Clazomenæ] Urbs fuit Joniæ Asiaticæ, quam condidit Paralus. Hæc prius Gryna nominabatur vicina Colophoni, unde & Apollo Gryneus dictus est, quod ibi esset ejus Oraculum, vide *Strab. Lib.* 13. *Plin. Lib.* 5. *Cap.* 30. Vel a nemore, quod propter vicinitatem hujus oppidi Grynеum dictum est, Apollini etiam consecratum *Virg. Lib.* 4. *Æneid.*

Sed nunc Italiam magnam Gryneus Apollo
Italiam Lyciæ jussere capessere sortes.

Idem 6. *Eclog.*

His sibi Grynei nemoris dicatur origo.

Ubi *Servius.* De hac urbe etiam *Horat. Lib.* 1. *Serm. Sat.* 7.

Persius hic permagna negotia dives habebat
Clazomenis, etiam lites cum rege molestas.

L.

Absentis admirator maximus] Nam certe:

——— *minuit præsentia famam.*

Sic *Tacit. Lib.* 1. *Annal. Major è longinquo reverentia.* Τὰ γὰρ διὰ πλείστα πάντες ἴσμεν θαυμαζόμενα, καὶ τὰ πεῖραν ἥκιστα τῆς δόξης δόντα, inquit, *Thycid. Lib.* 6. Et ipse Salvator noster Christus apud Euangelistam *Matthæum* Cap. 13. *Vers.* 57. οὐκ ἔστι προφήτης ἄτιμος, εἰ μὴ ἐν τῇ πατρίδι αὐτοῦ, καὶ ἐν τῇ οἰκίᾳ αὐτοῦ. L.

Sermone ab ipso cognitum cupidissime
Ad se recepit, veste, nummis, familia
Hominem exornavit: Ceteri tabulam suam
Porrigunt, rogantes victum, quos casu obvius
Simonides, ut vidit: Dixi, inquit, mea
Mecum esse cuncta; vos quod rapuistis periit.

Sermone ab ipso] *Petron. Sat. Ex præscripto ergo consilii communis, exaggerata verborum volubilitate, unde ant quiescimus, haud dubie credentibus indicavimus, Rigalt.* Vulgo ajunt, *Ex ipso.* Sed hic rursum locutus cum *Virgilio* videtur, qui *Lib.* 2. *Æneid.*

——— *Cri-*

——— *Crimine abuno*
Disce omnes. ———

Ipſe, eſt emphaticum, vult priuſquam indicaret nomen ſuum, cognitum fuiſſe. *Scheffer.*

Ad ſe] Apud ſe, ſupra *Lib.* 3. *Fab.* 4. *Pendere ad laniam.* Et *Lib.* 4. *Fab.* 7. *Serpens ad fabrum ferrarium. Rigalt.*

Recepit] Supra *Lib.* 3. *ad Eutych.*

Faſtidioſe tamen in cœtum recipior.

Et *Lib.* 4. *Fab.* 6.

Ægre recepti. ———

Item *Fab.* 11.

Cœlo receptus, ———

Et ſic *Fab.* 23.

Me copioſa recipit incolumen domus.

Rigalt. Hic benignam, & hoſpitalem exceptionem Noſter ſignificat, ut *Recipere*, id eſt, hoſpitio excipere inquilinum in *l.* 2. §. *ult. ff. de uſufr.* Alias eſt celare, occultare, uſitato apud ICtos. vocabulo. Sic *Recipere ſervum proprie eſt refugium abſcondendi cauſa ſervo præſtare, vel in ſuo agro, vel in alieno loco, adificiove, l.* 1. §. *quod autem ff. de ſerv. corrupt.* Hoc ſenſu etiam dicitur quis *Recipere alienum libertum, l. ult.* C. *de oper. libert.* Et *Recipere latrones, l. ult. ff. de receptator.* Inde *Receptores, l.* 1. *ff. de receptator. Receptores abigeorum, l. ult.* §. *ult. ff. de abig. Aggreſſorum, Paul. Lib.* 5. *Sentent. Tit.* 3. *Latronum*, Ibidem. *Sine quibus latro diutius latere non poteſt, l.* 13. *pr. ff. de offic. præſ.* Hic & *Receptatores* dicuntur, in *l.* 1. *Rubr. de receptator. & l.* 3. §. 1. *ff. de offic. præſ. vigil. Receptatores dicuntur, qui nocentes recipiunt, occultant, atque celant, d. l.* 13. *ff. de offic. præſ. l. ult. ff. de abig.* Sic *Receptatores latronum in l.* 6. *ff. de cuſtod. & exhib. reor.* Qui & *Receptores* dicuntur in *l.* 3. §. *non tantum. ff. de incend. ruin. nauſr.* L.

Familia] Id eſt, ſervo uno & altero ei adjuncto. *Rittersh.*

Hominem] Ut ſupra *Lib.* 2. *Fab.* 2. Ubi vide. *Scheffer.*

Tabulam ſuam porrigunt] Naufragi (quod ex *Juvenali* quoque diſcimus) ſtipem oſtiatim corrogare ſolebant, in tabula quadam depictum exhibentes naufragii ſui caſum, commiſerationis commovendæ. Porro cum hac Hiſtoria fere convenit, quod de Ariſtippo narrat *Vitruvius Proam. 6. de Architectura.* Ex quo nonnulla huc adſcribam, quod ſciam non in omnium manibus eum auctorem verſari, & tamen eam narrationem, eique aſperſas ſententias noſſe prodeſt omnibus. Audiamus ergo Architectum: *Ariſtippus, Philoſophus Socraticus, naufragio cum ejectus ad Rhodienſium litus, animadvertiſſet Geometrica ſchemata deſcripta, exclamaviſſe ad comites ita dicitur: bene ſperemus, hominum enim veſtigia video; ſtatimque in oppidum Rhodum contendit, & recta Gymnaſium devenit, ibique de Philoſophia diſputans, muneribus eſt donatus, ut non tantum ſe ornaret, ſed etiam eis qui una fuerant veſtitum, & cetera quæ opus eſſent ad victum præſtaret. Cum autem ejus comites in patriam reverti voluiſſent, interrogarentque eum, quidnam vellet domi renuntiari: tunc ita mandavit dicere: Ejuſmodi poſſeſſiones & viatica liberis oportere parari, quæ etiam naufragio una poſſent enatare. Namque ea vera ſunt præſidia vitæ, quibus neque fortuna tempeſtas iniqua, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vaſtatio poteſt nocere. Non minus eam augendo Theophraſtus hortando doctas potius eſſe, quam pecuniæ confidentes, ita ponit: Doctum ex omnibus ſolum neque in alienis locis peregrinum, neque amiſſis familiaribus & neceſſariis inopem amicorum: ſed in omni civitate eſſe civem difficileſque fortunæ ſine timore poſſe deſpicere caſus. At qui non doctrinarum, ſed felicitatis præſidiis putaret ſe eſſe vallatum, labidis itineribus vadentem, non ſtabili, ſed infirma conſiſtari vita.* Et mox: *Pauca ſapientibus fortunam tribuere: quæ autem maxima, & neceſſaria ſunt, animi mentiſque cogitationibus gubernari.* Et rurſum: *Omnia enim munera fortuna cum dantur, ab ea facillime adimuntur. Diſciplinæ vero conjuncta cum animis nullo tempore deficiunt, ſed permanent ſtabiliter ad ſummum exitum vitæ.* Ibidem (ut hoc obiter moneam) corrigendus mihi videtur *Vitruvius*, cum ait: *Omnium Græcorum leges cogunt parentes ali à liberis: Athenienſium non omnes, niſi eos, qui liberos artibus erudiſſent.* Delendum fortaſſe *ex omnes*, quod redundat, & lego: *Non niſi eos*, &c. vel, *Niſi eos*, accipe pro ſed tantum eos: quomodo & *Terentius* alicubi loquitur. *Rittersh.* De

tab

tabula vero naufragorum *Petron. Perſ. Sat.* 1. *Juven. Sat.* 12. *Martial.* &c. Naufragia picta miſericordiam movent, imo timorem incutiunt. *Cur. Fortunat: Pictor naufragia pinxit, & publice propoſuit, nemo navigat, vetus eſt Reip. laſca. Rigalt.*

Rogantes] Mendicantes. *Martial.*

A matre doctus nec rogare Judæus.

Idem:

Interque vanos ultimus rogatores.

Juvenal.

——— *merſa rate naufragus aſſem*
Dum rogat. ———

Rigal. Apprime in hanc ſententiam *Phædri* de naufragis loquitur *Juvenalis*, & conjungit:

——— *& picta ſe tempeſtate tuetur.*

Locus eſt *Sat.* 14. *Verſ.* 303. Nam moris erat, ut hic jam notatum eſt, ut naufragi in tabella ab humeris dependente ferrent pictum naufragium ſuum mendicantes. Unde *Perſius:*

——— *cantas quum te fractæ in trabe pictum*
Ex humero portes. ———

L.

Dixi] Non eſt interrogativum, quod non nemo putat, ſed plane illud quod & Germani mei ſic efferunt: **Ich ſagte es wohl/ich hatte all das meininge bei mier.** Tacitam continet exprobrationem *Plaut. Aſin. Act.* 5. *Sc.* 1. *Dicebam, pater, ne matri conſuleres male. Scheffer.*

Rapuiſtis] Sic loquitur ad innuendam feſtinationem in eo negotio: ſupra dixerat, *Colligunt res precioſas:* item, *Nihil ſumsit*, &c. *Scheffer.*

FABULA

FABULA VIGESIMA SECUNDA.

Mons Parturiens.

MOns parturibat gemitus immanes ciens,
Eratque in terris maxima exſpectatio,
Quid ille pareret: at ille murem peperit.

MOns parturiens] *Horat. Libr. de Arte.* Fabulator ille neſcio quis:

Terra tumet tumor ille gemit gemitusque fatetur
Partum, pene perit ſexus uterque metu.
Dum tumeat tellus monſtrat ſe monſtra daturam.
Dicunt & trepidant, & propeſtare timent.
In riſum timor ille redit; nam turgida mater
Terra parit; jocus eſt qui timor ante fuit.
Sæpe minus faciunt homines qui magna minantur
Sæpe gerit nimios cauſa puſilla metus.

Rigalt. Græcorum adagio fuit: Ὄρος ἔρχεται, εἶτα μῦν ἀπέτεκε. Notus eſt etiam vulgo verſus *Horatii:*

Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Item alter:

Quid dignum tanto feret hic promiſſor hiatu?

De magnificis, verum inanibus promiſſis. *Rittersh.* Utitur hoc adagio *Lucianus*, in libello cui titulus: *Quemadmodum oporteat hiſtorias conſcribere.* Dicit enim ſic reclamari à vulgo Cupidinem, Herculis, aut Titanis perſonam aſſumentem,

Ὄρος

Ὤδινεν ὄρος. *Athenæus* in *Deipnosophist. Lib.* 14. refert, quod Tachas Rex Ægyptiorum hujusmodi scommate tetigerit Agesilaum Lacedæmoniorum Regem, cum ad eum venisset suppetias illi laturus in bello:

Ὤδινεν ὄρος Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν.

Id est: *Parturiit mons. Jupiter autem metuit, at ille peperit murem.* Erat autem Agesilaus pusillo corpore. Porro dicto offensus respondit: φαίνομαί σοι ποτὲ καὶ λεών. Id est, *Atqui aliquando tibi videbor leo.* Post evenit, ut exotta seditione apud Ægyptios, cum Agesilaus non adesset Regi, coactus sit ad Persas fugere. L.

Ciens] Imitatio *Virgiliana* Nam Poëta sic *Georgic.* 3. de tauro:

Extremoque ciet gemitus. ——

Scheffer.

Exspectatio] Sic loquuntur in re, magnum & memorabilem eventum habitura. *Curt. Lib.* 3. *Cap.* 1. *Circa regem erat Phrygum turba exspectatione suspensa. Cornel. Nep. Alcibiad. Cap.* 7. *Tanta fuit omnium exspectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus confluerent, perinde ac si solus advenisset. Scheffer.*

Quid ille pareret: at ille] Suavis est geminatio τῦ *Ille Rittersh.*

* * *Hoc scriptum est tibi, Qui magna cum minaris, extricas nihil.*

Hoc scriptum est tibi] Videtur tale quiddam præcessisse: *Quicunque vidit* (vel *audiit*) *risit. Hoc scriptum* &c. *Rittersh.*

Magna cum minaris] *Petron. Satyr*

Grandiaque indomiti Ciceronis verba minentur.

Theophylact. Simoc. Euriad. Cimoni: Ἐπαγγελίας πολλὰς, καὶ πράξεις ὀλίγας, καὶ τὴν γλῶτταν ἔχεις ὑψηλοτέραν τῆς πράξεως. *Rigalt.* Καπάχησις est in verbo minari, pro polliceri, ut *Horatius*:

Atqui vultu erat multa & præclara minantis.

Id est promittentis. Atque adeo promittendi verbum non aliter sæpe usurpatur. *Petronius* de sene Eumolpo: *Senex canus exercitati vultus, & qui videretur nescio quid magnum promittere, sed cultu non proinde speciosus.* Ubi accipi potest promittere de vultu, quasi ejus vultus insignem aliquam eruditionem promitteret, hoc est, præ se ferret. *Rittersh.* Ita & apud Homerum ἀπειλεῖν (quod vulgo *Minari* est) pro καυχᾶσθαι sumitur, annotante *Eustathio* 1602. editionis Romanæ. *Fab.*

Extricas] Eleganter, ut notet producendi molestiam, velut è vinculis. Id enim innuit hoc verbum, atque ita usurpavit iterum *Horatius*, quem pariter hic ut in præcedentibus videri potest imitatus. Sic enim 1. *Serm. Sat.* 3.

Mercedem aut nummos unde, unde extricat. ——

Scheffer.

Extricas nihil] Hoc idem est quod *Terentius* exprimit: *Qui magno conatu magnas nugas agunt.* L.

FABULA

FABULA VIGESIMA TERTIA.

Formica, & Muſca.

NIl agere quod non profit, fabella indicat.
Formica, & Muſca contendebant acriter,
Quæ pluris eſſet: Muſca ſic cœpit prior:

FORMICA & MUSCA] *Apthon. in Fab. Theophylact. Simoc. Epiſt. 1. Rigalt.* Fabulam hanc illuſtrabit *Lucian. ἰγχώμ. τῆς μυίας. Nevel.*

Nil agere quod non profit] Idem verſus totidem verbis fuit ſupra *Lib. 3. Fab. 17.* Niſi quod ibi pro *Indicat*, eſt, *Admonet.* Traditur autem hoc vitæ humanæ utiliſſimum præceptum etiam à *Seneca*: Quod in practicis quidem & in πρακτικοῖς verum eſt: ſed in ſcientiis Theoreticis fallit ubi non ad utilitatem aliquam, ſed ad ſe ipſam, & humanæ mentis perfectionem contemplatio refertur: ut Philoſophi docent. *Ritterſh.*

Contendebant] Abſolute, ideſt, certabant inter ſe *Virgil. 7. Eclog.*

Hæc memini, & victum fruſtra contendere Thyrſin.

Scheffer.

Pluris eſſet] Supple *precii*, *Cic. pro Roſc. Multo pluris eſt nunc ager, quam tunc fuit.* Pro, eſt pretioſior, & ſic ſæpe. *Scheffer.* Ita *Servum tanto pluris eſſe, quo pluris venire poteſt*, dixit JCtus. in *l. 63. ff. ad leg. Falcid.* Sic, *Quod pluris emtum fundum, quam quanti erat, l. 61. ff. eod. Quanto pluris, minoriſve ſit res, l. 30. §. 1. ff. eod. Fundum neque pluris neque minoris, quam centum æſtimaretur, l. 109. §. ult. ff. de legat. 1. Non enim res pluris ſit per hoc, l. 1. ff. de in lit. jur. Quo loco pluris*

vinum

vinum fuit, l. 3. §. ult. ff. de act. empt. Plenius autem *Oleum pluris pretii* dicitur in *l. 26. §. idem Marcellus. ff. de condict. indeb.* L.

Conferre nostris tu potes te laudibus?
Ubi immolatur, extra prægusto Deûm:
Moror inter Aras templa perlustro omnia;

Immolatur] Absolute. *Cic. 2. Divinat. Cum pluribus Diis immolatur, qui tandem evenit, ut litetur aliis, aliis non litetur.* Ceterum *Immolare* dicimur, cum victimam mola salsa conspergimus. *Scheffer. Horat. Epod. 5.*

Libidinosus immolabiter caper.
Et agna tempestatibus.

Cic. pro Fontejo. Consuetudo hominum immolandorum apud Gallos. Accipitur aliquando pro interficio, quemadmodum & macto. *Virgil. Lib. 12.*

—— Pallas te hoc vulnere Pallas
Immolat, & pœnas scelerato ex sanguine sumit.

Et Noster supra hic *Fab. 6.*

Quos immolatos victor avidis dentibus
Capacis alvi mersit tartareo specu.

L.

Exta prægusto] *Lucianus: οἱ ὀψοποιοὶ πάντῃ τὰ ὄψα ἡδύνουσι, καὶ βασιλέων αὐτῶν προχεύεται, καὶ ταῖς τραπέζαις ἐμπεριπατοῦσα συνεσθιᾶται αὐτοῖς καὶ συναπολάνει πάντων. Rigalt.* Loquitur autem Noster de extis, idest, animalium visceribus Diis consecratis & immolandis. Ea autem inspicere solebant Aruspices, ut futura prænoscerent. *Exta*, inquit, *Festus, dicta quod ea Diis prosecentur, quæ maxime extant, emanentque. Plin. Lib. 11. Cap. 13. Exta homini ab inferiore viscerum parte separantur membranis, quæ præcordia appellant, quia cordi prætenduntur.* Ad hunc sacrificandi, & exta inspiciendi morem respiciens *Virgilius* Lib. 2. *Georgic.* ait:

Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis.

Ita & *Cic. de divinat. 1. Quæ est autem gens, aut quæ civitas, quæ non aut extis pecudum, aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, aut astrologorum, aut sortium, aut somniorum, aut vaticiniorum prædictione moveatur? Ovid. 4. Fastor.*

Sectaque fumosis exta dedere focis.

Et *Plaut. Pseud. Sc. 3. Act. 1. Si sacrificem, & in manibus exta teneam.* Sic *Juvenal. Sat. 10. Vers. 355.*

Ut tamen exposcas aliquid, voveasque sacellis
Exta, & candiduli divina tomacula porci.

Et *Sat. 6. Vers. 547.*

—— vel commagenus haruspex
Pectora pullorum rimabitur, exta catelli,
Interdum & pueri. ——

Illi autem haruspices, qui extis inspectis futura prædicabant *Extispices* dicti sunt. *Cic. 2. de divinat. Artificiosa divinationis illa fere genera ponebas extispicum, eorumque qui fulguribus ostentisque prædicerent.* Hinc *Extispicium*, ipsa extorum inspectio. *Sueton. in Neron. Cap. 56. Attendit & extispicio, nec unquam litavit.* Vel *Extispicina*, quæ alio nomine haruspicium, vel haruspicina dicitur. L.

Moror inter aras] Quasi ibi tanquam in propria sede egat, & domicilium fixum habeat. *Morari* enim interdum significat degere, & versari in aliquo loco, vel cum aliqua persona. Ut *Morar ad sepulchrum, l. 13. §. ult. ff. de alim. vel cibar. leg. Apud matrem interdum magis quam apud patrem morari filium debere, l. 1. §. 1. ff. de liber. exhib. Utrum nepos tuus apud te, an apud patruum, suum morari debeat, l. ult. C. ubi pupill. educ. deb.* Adde *l. 7. §. ult. ff. de ann. legat.* Sic *Morari cum familia in parte domus l. 33. ff. de legat. 3. Si morarentur cum matre mea l. 20. ff. de ann. legat. Libertus à patrono, in cujus domo moratur, l. 11. §. 1. ff. de pæn. Morari in Provincia,* in rescripto Trajani ad Plinium *Epist. 65. Lib. 10. Neque in urbe, neque alibi ubi Imperator est, morari, l. 2. §. miles. ff. de his*

qui

qui not. infam. Id est, *Agere*, ut *l.* 13. §. *missionum. ff. de re milit. Morari in vinculis*, *l.* 5. *C. famil. ercisc. Morari Romæ*, *l.* 20. *ff. de oper. libert. l.* 3. *ff. de senator.* Hinc *Arbitrium morandi ubi velis* ICtus. in *l.* 22. *ff. ad municipal.* Et *Morandi ubi velint potestatem* Imperator dixit in *l.* 3. *C. de re milit. Lib.* 12. L.

Perlustro] Inspicio, examino. *Schefer.*

In capite Regis sedeo, cum visum est mihi,
Et matronarum casta delibo oscula:
Laboro nihil, atque optimis rebus fruor.
Quid horum simile tibi contingit, rustica?

Matronarum casta oscula] Hypallage, pro, *Matronarum castarum oscula. Rittersh. Lucian:* Καὶ τὸ δῆγμα δὲ αὐτὸ, καὶ ἡ τοῦ αἵματος ἐπιθυμία, οὐκ ἀγριότητος, ἀλλ' ἐρωτός ἐστι σημεῖον καὶ φιλανθρωπίας. ὡς γὰρ δυνατὸν ἀπολαύει καὶ τοῦ κάλλους ἀπανθίζεται *Rigalt.* Blande hic usurpat noster, pro pusillis oris. Imitatione *Virgilii*, qui *Lib.* 1. *Æneid.*

Oscula libavit natæ. ——

Et *Lib.* 12. Ejusdem operis.

Summaque per galeam delibans oscula, fatur.

Servius: Delibare, summum osculum dare, non pressum, sed summa labella contingens. Scheffer. Sic Idem *Virgil. Lib.* 1. *Æneid.* sub finem:

Dixit, & in mensa laticum libavit honorem,
Primaq; libato summo tenus attigit ore.

In hanc autem Muscæ apud *Phædrum* Nostrum sententiam vide quæ de pulice extant in Tractatu cui nomen *Pulex*, qui à quibusdam sed perperam *Ovidio* adscriptus est:

Perque sinus erras, tibi pervia cetera membra
Is quocunque placet. Nil tibi sæve latet.
Ah piget, & dicam, cum strata puella recumbit
Tu femur avellis, cruraque aperta subis.
Ausus es interdum per membra libidinis ire
Et turbare locis gaudia nata suis.

Ubi plura ejusdem farinæ invenies L.

Laboro nihil] *Lucianus:* Ἀργὸς δὲ αὐτὴ καὶ ἄνετος οὖσα τὰ ὑπὸ τῶν ἄλλων πονούμενα καρποῦται, καὶ πλήρης αὐτῇ πανταχοῦ τραπέζα. *Rigalt.*

Rustica] Tangit genus vitæ ejus, quasi diceret, tu ruri agis, ego in oppidis, aulis, templis, ubi omnia longe meliora. Scio aliter exponere *Rigaltium*, sed hoc non convenit cum textu. *Scheffer.* Atque hoc quasi convitio ita contumeliose Musca Formicam alloquitur, exprobrans ei, quod ruri degat, sic *Virgil.* in *Eucol. Eclog.* 2.

Rusticus es Coridon, nec munera curat Alexis.

Et Helena apud *Ovidium* in Epistola ad Paridem:

Nec dubito, quin hæc, cum sit tam justa vocetur
Rustica judicio nostra querela tuo
Rustica sim sane, dum non oblita pudoris:
Dumque tenor vitæ sit sine labe meæ.

Nec ibi tantum de vitæ genere, sed morum imperitia quemadmodum *Rusticitas* à ICto. in *l.* 2. §. *ult. ff. de jure fisci* usurpatur, & *Per rusticitatem aliquid emissum* dicitur in *l.* 1. §. 1. *ff. de ventr. inspic.* L.

Est gloriosus sane convictus Deûm,
Sed illi qui invitatur, non qui invisus est.

X Reges

Reges commemoras, & matronarum oscula:
Ego granum in hyemem cum studiose congero,
Te circa murum video pasci stercore.

Est gloriosus] Responsio Formicæ. Sic *Cic. Magnificum, & gloriosum*, sæpe. *Scheffer.*

Invitatur, invisus] Ἀντανάκλασις venusta. *Rittersh.* Invisus autem hic est odiosus, quem æquo animo videre non possumus, *Plaut.* in *Mercat.*

Ego me ubi invisum meo patri esse intelligo
Atque odiosum. ———

Sic *Ovid. Lib. 5. Trist. Eleg. 4.*

——— *inter quos* (poëtas)
Non invisa tibi pars ego magna fui.

Et eleganter ad verba *Phædri*, eodem *Lib. 5. Trist. Eleg. 2.*

——— *sacram quamvis invisus ad aram.*
Confugiam. ———

L.

Matronarum oscula] Eleganter propter earum gravitatem, ac reverentiam; nam statim dicet:

——— *jactas, tegere quod debet pudor.*

Ac propterea *Matronæ* potius, quam mulieris, virginis, aut puellæ vocabulo usus est. *Matrona* enim spectatæ honestatis, & pudicitiæ mulierem significat. Quod & *Festus* quoque *Lib. 11.* notat, cum ait: *Matronas appellatas eas fere, quibus stolas habendi jus esset.* Atque hinc *Matronæ nomen amittit libertas, quæ in concubinatu patroni se dat, l. 13. ff. ad leg. Iul. de adult.* Id est *Matris familias honestatem*, ut loquitur Marcellus in *l. 41 ff. de rit. nupt.* Quam etiã non retinet quæ se in concubinatu alterius, quam Patroni tradit, ut illic ait. *Ad dignitatem pertinet injuria cum comes Matronæ abducitur, l. 1. §. 1. ff. de injur. Prætor domum honestæ Matronæ eligere debet, l. 1. §. & notandum. ff. de inspic. vent.* Sic etiam *Matronarum* nomen accipe apud *Plin. Epist. 18. Lib. 7.* At *Agell. Lib. 18. Cap. 6.* Cui & *Non. Marcell.* accedit *Matronam* dictam esse proprie scribunt, quæ *in Matrimonium cum viro convenisset; quo ad in eo matrimonio maneret, etiam si sibi liberi nondum nati forent: dictamque esse ita, non à matris nomine adepto jam, sed cum spe & omine mox adipiscendo.* Atque *Augustinus Lib. 19. contra Faustin.* Ex eo dictum *Matrimonium* scribit, quod non ob aliud debeat femina nubere, quam ut mater fiat. Ideoque *Gregor. in Cap. ult. de convers. infidel.* Datum hoc laboribus quos in partu mulieres sufferunt, tradit, ut ab ipsis potius quam viris, eorum conjunctio nomen accipiat. Ceterum à *Matronarum* gravitate, *Matronalis habitus* appellatus est, *l. 15. §. si quis virgines. ff. de injur.* De quo vide *Brisson. Lib. 1. Select. Antiquit.* Et *Matronalis ornatus, Nov. Theod. & Valent. de fructib.* L.

Granum in hyemem] *Pisidas:* πρόελθε μύρμηξ, σιτοκλέπτης, ἐργάτης, &c. *Rigalt.* Per *Granum* frumentum intelligit quod formica in hyemem ad alimentum recondit. Ita *Prædia uti instructa sunt cum grano vivo* dixit ICtus. in *l. 6. ff. de instruct. vel instrum. leg. Grani pretium statuere, l. ult. §. 1. ff. ad leg. Iul. de annona.* Hinc *Granarium* apud *Varr. de Ling. Lat. Lib. 4. Ubi frumenta condebant. Granaria*, id est, Horrea. *Granaria in quibus fructus custodiuntur, l. 12. §. conservandi. ff. de instr. vel instrum. leg. Varro Lib. 1. de Re Rust. Cap. 57. At triticum condi oportet in granaria sublimia. Granaria quæ ex tabulis fieri solent, quorum stipites in terra defossi sunt, vel supra terram sunt, l. 18. ff. de act. empt.* Sic & *Horreum frumentarium mobile ex tabulis ligneis factum* memoratur in *l. 60. ff. de acquir. rer. dom.* L.

Aras frequentas; nempe abigeris, quo venis;
Nihil laboras, ideo cum opus est, nil habes;
Superba, jactas tegere quod debet pudor.

Abigeris

Abigeris quo venis] Pro, illuc unde venusti. Proverbiale quiddam sapit hæc formula, etiam Sacris Literis, & Germanis nostris usitata: *Abire unde veneris.* Cui similem observavi apud *Guntherum.* Significatur inanis, & inrita profectio, & machinatio. *Illuc unde malum pedem tulisti. Rittersh.* Non admitto: nam est aliud *Venis*, & aliud *Venisti*; Itaque illud *Quo* interpretor, *Quoquo, quocunque, in quemcunque locum* venis, nemo te fert, sed abigeris. *Scheffer.*

Abigeris] Amoveris, expelleris, sic *Abigere pecus*, pro expellere agro, *l.* 49. *ff. ad leg. Aquil.* Alias proprio apud ICtos. vocabulo *Abigi* greges, & armenta dicuntur, quæ furto vel latrocinio avertuntur, *l. ult. C. de condict. ob turp caus.* Et apud *Cicer.* 4. & 5. *in Verr. Liv. Lib.* 2. Sic *Abactos oves* dixit *Ovid. Lib.* 11. *Metamorph.* Et *Abactos furto sues*, *Plin Lib.* 8. *Cap.* 51. Unde *Abigei*, (qui & *Abactores* à *Paul. Lib.* 5. *Sentent. Tit.* 18. & ab Impp. in *l.* 8. *C. de repud. l.* 1. 2. & 3. *Quibus equorum usus* in *Cod. Theod.* Et à *Firmico Lib.* 6. *Mathes Cap.* 31. *Apul. Lib.* 7. *de Asin. Aur.* Et *Cassiodor. Lib.* 4. *Epist.* 4. Et *Abigeatores* in Lege Dei *Tit. de Abigeatorib.* appellantur) proprie hi habentur, qui pecora ex pascuis, vel ex armentis, vel stabulis subtrahunt, & quodammodo deprædantur, abigendique studium quasi artem exercent, equos de gregibus, vel boves de armentis abducentes *l.* 1. §. 1. *ff de abig.* Vel ut *Paul. Sent. Lib.* 5. *Tit.* 18. *Qui unum equum, duas equas, totidemque boves, vel capras, decem, aut quinque porcos abegerint.* Græcis Ἀπηλάτου dicuntur *Nov. Justinian.* 22. Ac plane *Abigeos* à furibus quantitate discerni traditum est. Nam qui ovem unam, suem unam subripuerit, ut *Fur* coërceatur, qui gregem, ut *Abigeus l.* 16. §. *quantitas. ff. de pæn.* Idcirco *Callistratus* oves ait pro numero abactarum, aut furem, aut abigeum facere. Nam qui decem oves vel capras, vel porcos quinque aut quatuor, equum unum, duas equas, totidemque boves abegerit, *Abigeus* est *l. ult. ff. de abig.* Hinc *Abigeatus* crimen descendit, de quo in *l.* 2. *ff. de abig. l.* 5. §. *qui desertionis. ff. de re milit.* Quo olim nobilitatos Hiberos fuisse *Serv.* in 3. *Georgic.* scribit. L.

Quo venis] Ad hanc Proverbialem *Phædri* sententiam allusisse videtur *Æneas Platonicus*, summus Philosophus integritatis: dum Euxitheum introducit *Theophrasti* commenta deludentem, qui dictitabat, animas, relicto humano corpore, id genus bruta sectari, eisque inhærere, quorum opera visæ fuerint imitari; nam ut Hyperbolum quendam impudentiæ notaret, inquit: *Musca item trahet Hyperbolum, quippe par fuit utriusque impudentia*; ac si diceret dignum esse patella operculum. Per Muscam enim hominem importunum, & impudentem Hieroglyphice denotari *Joh. Pierius* docet *Lib.* 26 Quantumvis enim hanc sæpius, & assidue expellas, & à te submovere contendas: tanta tamen est impudentia, ut identidem rodire, & infestare te minime vereatur, nullamque tuorum commodorum rationem habeat. Sive loquare, sive dormias, sive bibas, sive cibum capias, sive legas, sive scribas, parata semper adstat, ut in faciem insiliat tuam, infestat importuna, incommoda, nulli rei nisi fastidio de se concitando idonea:

Quæ quamvis de pelle viri sit sæpe repulsa,
Assultat morsura tamen. ——

Ut est apud *Homerum.* Quo spectat *Plauti* jocus in hominem curiosum, & ad omnia advolantem, in *Mercatore*:

Musca est meus pater; nihil potest illum clam haberi,
Nec sacrum nec tam profanum quicquam est,
Quin adsit ibi illico.

Hinc apud *Ciceronem* 2. *de Orat.* ridicule dictum de molestissimo juvene: *Abige Muscas, puer.* Quanquam frustra opinor, & incassum. Nam & apud *Athenæum* Hegisander narrat, cum Alexander dixisset se morderi à *Muscis* (sic vocabat *Parasitos*) jamque conaretur illos abigere: Cinesias unus ejus ordinis qui forte aderat. *Profecto*, inquit, *aliæ muscæ siticulosæ magis urgebunt te, semel gustato tuo sanguine*, referente *Erasm. Chil.* 4. *Cent.* 7. *Adag.* 43. Unde Muscam *Sanguisorbam* scite appellat *Jul. Cæsar Scaliger*, teste *Turnebo ad Epidic. Plauti, Act.* 2. *Sc.* 2. In verbo, *Exsugebo.* L.

Nihil laboras; ideo cum opus est, nihil habes] Nam, ut eleganter, & vere ait *B. Ignatius Epist. 4. Μήτηρ τῆς εὐδείας ἡ ἀεργία.* At contra, secundum alios, *ὁ πόνος οὐ μόνον εὐλείας, ἀλλὰ καὶ πλούτου πατήρ.* Multa in hanc sententiam habet *Salomon* in *Proverbiis*, & Siracides in *παιδείτω σοφία*: quæ cuique in promptu est apud illos legere. *Rittersh.*

Superba] Scilicet quod sedeas in capite regis, & delibas oscula. *Scheffer.*

Tegere quod debet pudor] Nempe impudicitiæ species erat osculum sumere, vel dare. Osculi nempe veteres erant religiosissimi; ut etiam pleræque nationes. Nec cuiquam temere dabatur osculum, ne sponso quidem; nisi semel tantum, confirmandorum sponsaliorum causa. Sic enim *Alexander Nov. de spons.* ait, *Confirmari sponsalia data arrha, & osculo.* Proinde jus osculi quod erat argumentum magnum pudicitiæ veterum, jus augebat sponsaliorum; & quæ præbuerat osculum, erat quasi uxor, vel plus quam sponsa. Imo uxorem aut maritum osculo tantum putari. *Quintilianus* dicebat *Declam.* 370. Et ex eo recte notavit *Cujac.* in *Recitat. Solemn. ad Tit. Cod. si rector Provinc. vel ad eum pertinentes.* De osculo luxurioso hoc intelligendum Latinis *Suavium* nuncupato, quod non absque suavitate, & gratia amator amicæ ardenter infigit, ut labella labellis ferruminentur: quod Venus

Quinta parte sui Nectaris imbuit.

Quod libidinis est suscitabulum, atque subantis antiludium *Berold. ad Apulej. Lib.* 2. Id vero quandoque non absque molli labellorum morsu infigi solitum, ex poëtis abunde colligitur: qui in venereis deliciis id quoque numerant, labella inter suavjandum teneris morsiunculis leniter stringere, *Catullus:*

Quem basiabis, cui labella mordebis?

Horatius Lib. 1. *Carm Ode* 13.

——— sive puer furens
Impressit memorem dente labris notam.

Et *Plautus Pseudolo:*

Joci ludus, sermo suavis, suaviatio
Complexiones arctæ amantum compares
Teneris labellis molles morsiuncula. &c.

Itaque Flora meretrix cui cum Cn. Pompejo stupri consuetudo fuerat, ita eum commendabat, quod nunquam potuisset ab eo non morsa discedere. De hoc osculi genere forsan exaudiri debet Canon, quo Monachis quos puriſſimos esse decet, omnino interdictum legimus, ne feminas osculentur, *Cap. Monachi. de Consecrat. Dist* 4. Inter adulterii enim proœmia etiam oscula enumerantur vulgari illo versiculo:

Visus & alloquium, tactus, post osculá factum.

Qui versus ab *Accursio* refertur in *l. quod ait. 23. ff. ad leg. Iul. de adulter.* Sicuti enim percussio, præparatorium est homicidii, ita & colloquium, & amplexus & oscula, libidinis quasi quædam anticœnia esse *Angelus* putavit in *l.* 2. *col. fin. ff. de privat. delict.* Unde rythmus ille ab *Hostiensi* usurpatus in *Summa Decretal. Tit. de eo qui cogn. cons. Uxor suæ* §. 1.

Ni fugitas tactus vix evitabitur actus.

Unde quoque P. Manius filiæ mandabat ut non tantum virginitatem illibatam marito, sed & oscula ad virum sincera perferret *Joh. Nævis.* in *Sylva Nuptial. Lib.* 4. *n.* 76. *& seqq.* Non tamen novam nuptam illam imitata, quæ os quidem quo ipso nuptiarum die fidem integritatis & pudicitiæ nequaquam violandæ sponso promiserat, ab osculo sollicitantis amici illibatum esse servandum existimabat, nihil peccatura scilicet, quantumvis ceterarum corporis partium sive membrorum copiam amanti faceret, ut est apud *Stephanum Guassum de Conversat. Civ. Lib.* 4. Osculo enim pudicitiam mulieris delibari veteres crediderunt. Hinc *Ovidius:*

Oscula qui sumpsit, si non & cetera sumpsit
Hæc quoque quæ data sunt perdere dignus erat.

Ubi obiter notandum sæpius *Ovidium*, ipsum actum venereum eo vocabulo *Cetera*, involvere, & exprimere, uti etiam *Amor. Lib.* 1. *Eleg.* 5.

Cetera quis nescit? ———

Et in *Epist. Leandri Heroni:*

Cetera nox, & nos, & turris conscia novit.

Quod autem apud eundem illum Poëtam Paris in *Epist. ad Helenam* dicit:

Si

Si reddenda fores, aliquid tamen ante tulissem,
Nec Venus ex toto nostra fuisset iners.
Vel mihi virginitas esset libata vel illud
Quod poterat salva virginitate rapi.

Forte de osculo intelligendum, & quidem parum pudico, de quo supra diximus: quod Græci, & ex his *Aristophanes* ob mutuam fortassis, & alternatam linguarum insertionem καταγλώττισμα, Latini columbarum osculum nominarunt: nisi quis illam audacissimi raptoris proterviam de inverecunda membri muliebris attrectatione accipiendam existimet. In tanto autem quondam pretio erat pudicitia, & virginitas, ut si qua osculum præbuisset, impudica haberetur, unde osculum sponso datum indicium, & quasi certa futuri conjugii & concubitus spes erat: ideoque licet regulariter nuptiis non secutis resolvebatur propter nuptias donatio, *l.* 15. *C. de nupt.* Tamen si osculo interveniente, à sponso sponsæ donatum esset, dimidiam rerum donatarum partem lucrabatur, etiamsi ante nuptias sponsum mori contigerit *l.* 16. *C. de nupt. l.* 52. *Tauri.* & ibi *Gomez. n.* 3. Sed quemadmodum in primitiva Ecclesia pacis & charitatis oscula inter Christianos. libera, atque usitatissima fuere *Paulus* Apostolus in *Epist. ad Corinth.* 1. *Cap.* 16. *Vers.* 20. Et *Epist. ad Corinth.* 2. *Cap.* 13. *Vers.* 12. Item *Epist. ad Roman. Cap.* 16. *Vers.* 16. Et ibi *Calvin.* Item *Petrus Epist.* 1. *Cap.* 5. *Vers.* 14. Ita & hodie vulgaria sunt amicitiæ atque salutationis indicia, præsertim inter juvenes ac puellas, aut eos qui longo tempore absentes fuerint, aut futuri sunt; nec in tanto, ut olim, pretio & existimatione sunt, sed nullius momenti oscula hodierna censentur. Atque ita elegans illa puella apud *Theocritum* osculo accepto insidiantem sibi amatorem affatur:

Ne Satyrisce tume, rem ajunt esse oscula inanem,
Et facie abluta tolluntur & oscula sputo.

L.

Æstate me lacessis, cum bruma est siles:
Mori contractam cum te cogunt frigora,
Me copiosa recipit incolumem domus.
Satis profecto retudi superbiam.
Fabella talis hominum discernit notas
Eorum qui se falsis ornant laudibus,
Et quorum virtus exhibet solidum decus.

Lacessis] Irritas, provocas, uti hostes in bello, uti apud ICtum. in *l.* 19. §. 1. *ff. de captiv. Cum convenit ne invicem se lacessant.* Aliud est cum significat famam & existimationem alicujus insectari & sugillare, sic apud Imperatorem in *l. un. C. si quis Imper. maledixer. Petulanti maledicto nomina nostra crediderit lacessenda.* Et *Lacessere famam l.* 38 §. *liberto. ff. ad leg. jul. de adult. Si lacessatur fama, l.* 1. §. *item. ff. de injur.* L.

Mori contractam] Muscæ vita brevissima. *Lucian:* Καὶ μέντοι ὠκύμορος οὖσα, πάνυ γὰρ εἰς ἔτενον ὁ βίος αὐτῆς συμμέτρησαι *Rigalt.* Dicit *Contractam*, quasi inertem, & inhabilem factam ad volandum à frigore. Imitatio *Virgilij*, ex *Lib.* 4 *Georgic.* Ubi de apibus:

Ignavæque fame, & contracto frigore pigræ.

Quanquam cum hic sit *Contractum frigus* dictum, ut *Contractus morbus*, quem contrahimus, cum eo afficimur, plane censeam, non *Contractam*, sed *Contracta* nostrum scripsisse. Non enim dubito, quin respexerit dictum *Virgilij* locum. *Scheffer.*

Copiosa] Omni rerum copia instructa. *Scheffer.* Nàm, ut ait Sapiens, *Proverb. Cap. 6. Vers. 8. Formica panem sibi comparat æstate, & cibum suum per messem congregat.* L.

Talis] Id est hæc. *Scheffer.*

Notas] Signa, indicia, characteres. *Scheffer.*

FABULA

FABULA VIGESIMA QUARTA.

POETA.

QUantum valerent inter homines literæ,
Dixi ſuperius: quantus nunc illis honos
A ſuperis ſit tributus, tradam memoriæ.
Simonides, idem ille de quo retuli,
Victoris laudem cuidam picte ut ſcriberet,
Certo conduxit pretio: ſecretum petit:

Valerent] Id eſt, in quo pretio & honore eſſent. Sic *Valere res* dicitur in *l. 2. C. Commun. divid.* Et *Quatenus res valet l. 55. ff. de donat. inter vir. & uxor.* Item *Pluris quam res valet, l. 17. ff. de act. empt.* L.

Simonides, idem ille de quo] Hiſtoria hæc lucem capiet ex *Ciceronis Lib. 2. de Orat. p. 251.* Ubi prolixe narratur. *Nevel.*

Victoris laudem] Talem, qualis victoribus tribui ſolet, qui viciſſent in ſpectaculo ſolenni, & reperiuntur plures apud *Pindarum* poëtam. *Scheffer.*

Cuidam] Scopas is eſt. Cujus familiæ meminit *Theocrit. Idyll. 17. Nevelet.*

Picte] Id eſt, Ornate, ſplendide, πομπικῶς. Sic pingere pro ornare ſupra quoque uſurpabat *Lib. 2. Fab. 2.* Quod enim *Colero* videbatur. legendum *ficte*, non probo. Quamvis ille defendat hoc argumento, quod fingere poëtarum ſit proprium: & quia apud *Nonium: Populum ſalute, & fidis verſibus Lucilius, quibus*

poteſt impertit. Malim quoque hic pro *Victoris* legere *Victori*; Nomen & Scopas fuit, homini fortunato, & nobili Cranone in Theſſalia. *Rittersh.* Melius autem legitur *Pyctæ*, ideſt, pugilibabecedariis notum. *Rigalt.* Peſſime in editione *Rittershuſii*, *Picte*, pro, *Ornate*, inquit, ſed aliud agebat. Ceterum hæc hiſtoria fuſe, & κατὰ πλάτος à *Quintiliano* narratur *Lib.* 11. *Cap.* 2. Operæ pretium erit legere. Ibi pro *Granone*, reſtitue *Cranone*, in Theſſalia enim Cranon. *Fab.*

Conduxit] Velut redemptor quidam operis, quem ICti. vocant, unde mox ſequitur: *Opus adprobavit*: quod genus loquendi ex uſu Juris mutuatus eſt *Phædrus*, ut & alia quædam Vide *l.* 24. *ſi in lege. in pr. l.* 36. *opus* & *l. ſeq ff. locat.* Et *Briſſon.* Lib *de formul. Rittersh.* Legendum *Condixit*, nec te moveat *Rittershuſii* editio, in qua ſcriptum *Coduxit*, quod & in Notis expoſitum ab eo eſt: nam corruptum codicem ſequebatur. *Rittershuſius. Fab.* Et ſignificat *Condicere*, promittere perenti. *Cic.* 1. *Epiſt. Fam. Nam cum mihi condixiſſet, cœnavit apud me. Scheffer.*

Certo pretio] Optime *Rittershuſius*, *Velut redemptr quidam Operis.* &c. Quod ſcilicet certo pretio conduxerat. *Redimere* enim paſſim in jure dicuntur, qui quid à fiſco vel privato conduxerunt. *Cicero in Bruto*: *Liberi ſocietatis ejus, quæ Picarias de P. Cornelio, & L. Mummio Cenſoribus redemiſſet.* Idem in *Epiſt. ad Q. Fratrem*; *Publicis male redemptis.* Ita *Redemptores pontis*, in *l.* 60. §. *penult. ff. locat.* Et *Redemptores vectigalium*, *l.* 8. §. *non alios. ff. de vacat. muner.* Qui & *Conductores vectigalium fiſci* vocantur, *l. ſemper.* §. *conductores. ff. de jure immun.* Unde *Feſtus*: *Redemptores proprie atque antiqua conſuetudine dicebantur, qui cum aliquid publice faciendum, aut præbendum conduxerant effecerantque, tum demum pecunias accipiebant. Nam antiquitus emere pro accipere ponebatur. At ii nunc dicuntur redemptores, qui conduxerunt præbendum utendumve.* Et *Redemptor* in *l.* 1. *ff. in quib. cauſ. pign. vel hyp.* Et *l.* 15. *ff. de publican.* Qui cretæ lotorias redemerat. Item *Redemptores operum*, qui opera facienda conduxerunt, *l.* 27. §. *eos qui. ff. de uſur. l.* 2. §. *conductore. l. ult. ff. de adminiſtr. rer. ad civit. pert. l.* 2. *ff. de operib. publ.* Et ita verbum hoc interpretandum apud *Martialem Epigr. Lib.* 14.

Puncta nocis ilex, & acuta cuſpide clauſa.

Sæpe redemptoris prodere furta ſolet,

Et *Tacit. Lib.* 17. *Architecto, & redemptoribus Arat. Ed.* 1. *Lib.* 3. Græcis Ἐργολάβοι dicuntur. Sic *Redemptor ſylvæ*, qui ſylvam conduxit, *l.* 29. *ff. locat.* Sed & quemcunque operis faciendi conductorem hoc nomine appellant, *l.* 51. §. *ult. l.* 6. §. *lege dicta. ff. locat. l.* 17. §. *penult. ff. de uſur. l.* 40. *ff. de rei vindic. l.* 23. §. 1. *ff. de reb. auctor. jud. poſſid. l.* 1. *ff. quib. caus. pign. vel hyp. l.* 33. §. *qui ædem. ff. locat. l.* 38. *in fin. ff. de verb. oblig.* Item *Redimere hordeum inferendum annonæ*, *l.* 14. *C. de loc. & cond.* Et generaliter quemadmodum *Feſtus* Lib. 16. ſcribit, *Quid quid conduxere præbendum, utendumque redemptores vocantur.* Inde illud in *l.* 12. §. *ult. ff. de uſu & habit. Si veſtimenta texenda redemerit.* Et *Redempturis faciendis præpoſiti* dicuntur in *l.* 5. *ff. de inſtitor. act.* Qui ad operum rerumque aliarum conductiones præponuntur. Sic etiam *Redemptor*, & locator opponuntur *l.* 60. §. *lege. ff. locat l. ult. ff. ſi menſ. fals. mod. l.* 98. §. *ult. ff. de verb. obl.* Horat. *Lib.* 3. *Carm. Ode* 1.

——— *huc frequens*
Cæmenta demittit redemptor cum familis, dominuſque terræ
Faſtidioſus. ———

Et *Lib.* 2. *Epiſt.* 2.

Feſtinat calidus mulis, gerulisque redemptor.

L.

Secretum petit] Quia ut *Ovidius* ait:

Carmina ſeceſſum ſcribentis, & otia quærunt.

Unde nos ad Emblema de paſſere ſolitario, in 3. *Cent. Joachimi Camerarii* V. Cl. ſic faciebamus:

Seceſſus præclarum aliquid meditantibus aptus.
Namque boni in ſtrepitu nil peperiſſe queas

Alludit eodem & *Martialis. Rittersh.* Vide quæ ſcripſi in *de Stylo Cap.* 13. *Scheffer.*

Exigua

Exigua cum frenaret materia impetum,
Usus Poëta moris est licentia,
Atque interposuit gemina Ledæ sidera,
Auctoritatem similis referens gloriæ.

Exigua cum frenaret materia] Cohiberet materia, propter suam exiguitatem, ut libero impetu non posset vagari, sicut alias erat suetus in argumento amplo. *Cic. Verr.* 5. *Ejus animum conscientia sceleris frenabat. Scheffer.*

Poëtæ moris] Quis ille mos est de quo dicit? Præceptum hic secutus est Simonides illud, quod inculcat *Aristoteles* in *Topicis*: ut si materia nobis inamor, aut sterilior obtigeret, illuc orationem deducamus, ubi abundare, & à proposito digredientes velut in campo libere excurrere, atque exultare possimus. Quod & *Pindarum* sæpe factitasse videmus, & *Horatium* aliquando. Eundem poëtarum morem ornandi causa usurpatum à Simonide fuisse, etiam *Cicero* indicat. Ex illo enim sumpta est hæc narratio *Lib.* 2. *de Oratore.* Sed non parum eam locupletavit, & exornavit *Phædrus*, ut lectorem docebit collatio. Quanquam illud omisit, quod tradit *Cicero* Simonidem hac occasione artem inveniisse memoriæ & ex eo quod meminisset quo eorum quisque loco cubuisset, demonstratorem uniuscujusque sepeliendi fuisse, cum alii neque Scopam, neque ceteros convivas cœnaculi ruina oppressos, atque obtritos, ullo modo internoscere potuissent. Vide & *Valer. Max. Lib.* 1 *Cap.* 8. De Miraculis. *Rittersh.*

Materia] Intelligit subjectum carminis. *Materia* enim & hac significatione pro subjecto sumitur. Sic *Materia communionis, l.* 77. §. *dulcissimis. ff. de legat.* 2. *Materia litis instauranda, l.* 20. *ff. de tutel. & ration. distrah.* Et *Materiem seditionis præbere, l.* 3. *ff. de oper. publ.* L.

Impetum] Studium, ardorem, & effervescentem animi motum ac calorem significat, de quo infra *Lib.* 5. *princip. Ubi Poëta:*

—— *ad fabellam talis exempli feror.*

L.

Interposuit] Inter ea, quæ proprie argumentum postulabat. *Scheffer.*

Ledæ sidera] non cohærent hæc, sed sidera pertinet ad *G. minus.* Non enim erant Ledæ sidera, sed filii, qui simul fuerunt sidera Gemini, iremque Castor & Pollux vocata. Vide *Manilium*, *Hyginum*, & alios. *Scheffer.* Castorem nempe intelligit & Pollucem Ledæ ex Jove filios qui cum ea in cygnum transformatus concubuit, ex quo congressu Leda duo peperisse ova dicitur, ex quorum altero nati sunt Pollux & Helena, ex altero Castor, & Clytemnestra. Unde Helena apud *Ovidium* in *Epistola ad Paridem:*

Dat mihi Leda Jovem Cygno deceptæ
parentem.

Hinc illud in Jovem Epigramma, quod ex Græco ita reddidit *Natalis Comes Lib.* 2. *Mythologic. Cap.* 1.

Fit Taurus, Cygnus, Satyrusque, Aurumque ob amorem
Europæ, Ledes, Antiopæ Danaës.

L.

Auctoritatem] Hoc vult: retulisse Simonidem, quæ de simili Castoris, & Pollucis victoria memorantur, ac per comparationem istam cum hac victoria auctoritatem fecisse majorem illi. *Scheffer.* In eandem Castoris & Pollucis laudem *Horat. Lib.* 2. *Epist.* 1.

Romulus, & Liber pater, & cum Castore Pollux
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti.

L.

Opus adprobavit, sed mercedis tertiam.
Accepit partem; cum reliquam poscceret;

Illi, inquit, reddent, quorum ſunt laudes duæ.
Verum ut ne ira te dimiſſum ſentiam,
Ad cœnam mihi promitte; cognatos volo
Hodie invitare, quorum es in numero mihi.

Opus adprobavit] Id eſt, tam elaganter, tamque erudite ſcripſit, ut ei probaretur carmen, cujus cauſa ſcripſerat Simonides. *Fab.* Solemna verba, ſicut *Rittershuſius*, & *Briſſonius* obſervant. *Vitruv. Lib. 9. Cap. 3. Hiero coronam immani pretio locavit faciendam, & aurum ad ſacoma rependit redempturi. Is ad tempus opus manufactum ſubtiliter, regi adprobavit. Scheffer.*

Reliquam] Ut ſupra *Lib. 1. Fab. 31.* & *Lib. 3. Fab. 3. Rittersh.* Τετραυλλάβως, ut ſupra oſtenſum. *Fab.*

Reddent] Optime, nec quicquam muto, remittit Simonidem ad eos, velut debitores ad ſolvendum paratos. *Scheffer.* Illudebat nempe Scopas Simonidem, qui ipſius laudem ſe ſcripturum redemerat, & de Caſtoris & Pollucis victoria multum interpoſuit, propterea dicit, quia nostres carmine laudaſti ego tertiam mercedis promiſſæ partem exſolvo, duas alteras perſolvent illi,

——— *Quorum ſunt laudes duæ.*

Et ſane luculenter, & liberaliter admodum Poëtæ ſatisfecerunt Dii gratiſſimi, nam poſt narratum repentinum ædificii caſum, & convivarum oppreſſionem, inquit *Phædrus:*

——— *Numinum præſentiam*
Vati dediſſe vitam mercedis loco.

Vides quo pacto etiam juſta pœna & remuneratione Deus rependat hominum blaſphemias. L.

Verum ut ne] Illud *ut* eleganter abundare docet *Vlitius* in doctiſſimis ad *Cyneget.* Commentariis, ut in illo *Gratii. Vers. 240. Et tamen ut ne prima fruentem pignora fallant. Scheffer.*

Ad cœnam mihi promitte] Phraſis *Plautina* qua ille in *Menachm.* & *Stiche* utitur. Aliud eſt condicere alicui ad cœnam vel cœnam condicere, vel etiam abſolute condicere alicui, apud eundem *Plautum Stiche. Ciceronem*, ac *Suetonium.* Promittit ad cœnam invitatus: condicit, qui prior, & ultro, ſeu invocatus denunciat, ſe apud alterum cœnaturum, quod non niſi familiariſſimi facitant. *Rittersh.*

Quorum (cognatorum) *es in numero mihi*] Quid ita, inquies? Quia cum olim alicui blandiebantur, patrem, fratrem, &c. vocabant. *Horat. Symmach.* & alii. Inde ille nugator adoleſcens apud *Terentium*, lenonem alloquens, & cupiens flectere, *Tu parens*, inquit. *Fab.*

Fraudatus quamvis, & dolens injuria,
Ne male dimiſſam gratiam corrumperet;
Promiſit: rediit hora dicta; recubuit.
Splendebat hilare poculis convivium:
Magno apparatu læta reſonabat domus.

Male dimiſſam] Illud *Male* refertur ad *Corrumperet.* Male corrumpere, eſt imprudenter, & cum ſuo detrimento corrumpere. Vehementius corrumpere, ut *Male multare, male odiſſe*, & ſimilia; *Dimittere*, eſt ut in illo *Ciceronis de Am. Eſt etiam quædam calamitas in amicitiis dimittendis nonnunquam neceſſaria. Scheffer.*

Corrumperet] Perderet, *Tacit. 15. Annal. 71. Veniam quam ab Imperatore acceperat, vanitate exitus corrupit*, pro *fecit ut nulla eſſet.* Sic multi alii: Senſus & ordo,

ordo, ne male corrumperet gratiam, ſi eam dimitteret, ac recuſaret oblatam. *Scheffer.*

Promiſit] Sic *Plin. Epiſt. 15. Lib. 1. Herus tu, promittis ad cœnam nec venis. Nevel.*

Rediit] Acceſſit, venit; ſcilicet per circulum venire ſolent. *Scheffer.*

Recubuit] Accubuit, *Horat. 1. Epiſt. 5.*

Si potes Archaicis conviva recumbere lectis.

Scheffer. Proprie de convivis, *Iuvenal. Sat. 3. Vers 82.*

——— *me prior ille*
Signabit, ſtultus toro meliore recumbet

Et *Sat. 6. Vers. 47.*

Non habeat matrona, tibi quæ juncta recumbit.

Item *Sat. 9. Vers. 106.*

——— *taceant omnes, prope nemo recumbat.*

Poſita enim menſa convivæ duobus aut tribus lectis diſcumbentes epulabantur. Unde non ſolum lectos ipſos, ſed & locum, biclinium, & triclinium appellavere, ubi comedebant, à numero lectorum; κλίνη enim lectum ſignificat. L.

Poculis] Videtur utique in poculis maximus conviviorum ſplendor oſtentari ſolitus, ſic apud *Virgil. Lib. 1. Æneid.*

Crateras magnas ſtatuunt, & vina coronant.

L.

Apparatu] Vocabulum theatrale de apparatu ſcenico, veluti veſtibus & aulæis frequentius uſitatum *l. 15. §. ſi veſtimentorum. ff. de uſufruct.* Sed & de inſtrumento, quod in taberna ſervus habet uſurpatur, in *l. 5. §. ſi præter. ff. de tributor. Act.* L.

Reſonabat domus] Similem nobis apparatum & convivii reſonantis lætitiam deſcribit *Virgil. Lib. 1. Æneid. ſub fin.*

Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria; dependent Lychni laquearibus aureis
Incenſi, & noctem flammis funalia vincunt.

L.

Repente cum duo juvenes ſparſi pulvere,
Sudore multo defluentes corpora,
Humanam ſupra formam, cuidam ſervulo
Mandant, ut ad ſe provocet Simonidem:
Illius intereſſe, ne faciat moram.

Sparſi pulvere, ſudore multo defluentes corpora] Sic de iiſdem geminis Pollucibus victoriam Romanorum à Perſe, Macedonum Rege reportatam nunciantibus cum loquuntur Hiſtorici, & alii auctores, ſudorem & pulverem, vel etiam pulverem cruoremque ipſis tribuunt. Vide *L. Annæi*, ſive *Flori Lib. 2. Tit. de Bell. Maced. 2. Symmach. Lib. 1. Epiſt. 87. Latin. Pacat. Drepan. Paneg. Valer. Max. Lib. 1. Cap. ult. Lactant. Lib. 2. Cap. 8. Rittersh.*

Defluentes corpora] Græciſmus, uti apud Poëtam:

Os humeroſque Deo ſimilis. ———

L.

Provocet] Vocet è convivio. *Plaut. in Pſeud. Herus ſi domi eſt tuus, quin provocas?* Similiter in *Bacch. Act. 3. Sc. 2. Scheffer.*

Ne faciat moram] Differat prodire foras. Nam *Moram facere*, eodem ſignificatu etiam differre ſignificat, *l. 8. §. 1. ff. de condict. furtiv. l. ult. ff. de recept. qui arbitr. recep. l. 47. & l. 108. §. ſi ſervus. ff. de legat. 1. l. 23. §. de illo. ff. de oblig. & act.* Sic *Moram facere in agendo, l. 56. ff. de jur. dot. In judicio accipiendo, l. 26. §. ſi is quem. ff. de noxal. act. Id, in quo creditor accipiendo moram fecit, l. 72. ff. de ſolit. Moram facere in libertate præſtanda,*

l. 22.

l. 22. §. item fi. ff. ad leg. Cornel. de falſ. Si moram fecerit in nomine reddendo poſſeſſor l. 17. ff. de rei vind. Si libertus moram in operis fecerit, l. 44. ff de oper. libert. Si quis rogatus ancillam manumittere, moram fecerit, l. 53. ff. ff. de fidecommiſ. libert. Vides ergo eſſe locutionem ICtis. propriam. L.

Homo perturbatus excitat Simonidem.
Unum promorat vix pedem triclinio,
Ruina camaræ ſubito oppreſſit ceteros,
Nec ulli juvenes ſunt reperti ad januam.

Excitat Simonidem] Id eſt, foras evocat, quod paulo ante dixerat *Provocat.* Sic infra *Lib. 5. Fab. 5. Concitat*, pro convocat, citare, pro vocare etiam *Guntherus* noſter ſæpe utitur, ut, *In jus debere citari*, &c. *Ritterſh. Sueton.* in *Auguſt. Cap. 4. Cum ſpectaculo ludorum gregarium militem in 14. ordinibus ſedentem, excitari per apparitorem juſſiſſet. Rigalt.* Sic *Fabius Lib. 12.* Ubi refert hanc Hiſtoriam: *Nuntio eſt excitatus. Scheffer.* Proprie; quaſi ſecure accumbentem ſubito, & nihil tale cogitantem alloquutus, non abſque perturbatione evocat. Atque ita uſurpatur cum rem jam oblivioni traditam, citra omnem exſpectationem reſuſcitamus, à dormientibus & ſomno, mutuato vocabulo. Sic *Excitare accuſatio* dicitur in *l. 26. ff. ad leg. jul. de adult.* Et *Excitari crimen ſopitum l. 9. §. 5. ff. eod.* L.

Triclinio] A tribus lectis dictum fuit *Triclinium:* quo & vocabulo *Paulus* utitur in *l. 19. ff. de ſervit. præd. urban.* Et *Ulpianus* in *l. 5. §. ſi de me. ff commod.* Eoque locus & conclave ſignificatur, in quo convivio accepti diſcumbebant cœnando. Nam Veteres qui jacendo cœnabant (ut & Turcæ hodie etiamnum facere commemorantur) tres menſas convivio adhibebant, & totidem lectos, quos inter ſe contiguos ſternere ſolebant, *Johan. Coraſ Miſcel. Lib. 6. Cap. 10. n. 4. & 5.* Diſcubitorios ſcilicet, qui à numero in ipſis accubantium etiam *Triclinares* dicuntur; Nam aliis etiam lectis utebantur, quos cubiculatios vocabant, in quibus dormiebant, & cubabant. De utroque genere ita *Lampridius: Hic ſolido argento habuit lectos & Triclinares, & Cubicularios.* In ſingulis porro lectis diſcubitoriis terni videntur accubuiſſe, quod planum facit *Salluſtius*, cum ita ſcribit: *Igitur diſcubuere Sertorius inferior, in medio ſuper eum L. Fabius Hiſpanienſis Senator; ex proſcriptis, in ſumma Antonius, & infra ſcriba Sertorii Verſius, & alter ſcriba, Mecænas in imo, medius inter Tarquinium & Deatium.* Ubi hæ voces *Summus*, vel *Super*, & *Infra*, includunt medium, ut & in Naſiderii cœna, quam *Horat. Lib. 2. Sat. 8.* deſcribit. Ubi itidem novem convivæ commemorantur. Hinc *M. Varro* in *Satyra Menippæa*, quæ incipit: *Neſcis quid ſerus veſper vehat.* De apto convivarum numero diſſerens; dicit convivarum numerum incipere oportere à Gratiarum numero, & progredi ad Muſarum, id eſt, proficiſci à tribus, & conſiſtere in novem: ut cum pauciſſimi convivæ ſunt, non pauciores ſint quam tres: cum plurimi non plures quam novem, vide *Gell. Noct. Attic. Lib. 13. Cap. 11.* A triclinio autem *Veſtimenta triclinaria* denominata ſunt, quorum mentio fit in *l. 20. ff. de opt. leg.* quibus in triclinio utebantur. Sane priſcis temporibus in prima illa Veterum ætate, in qua ſumma erat continentia vitæ, ſumma durities, & ſeveritas, quæ qualibet ſeſſione facile contenta erat ad parce duriterque vivendum, hunc accumbendi morem in uſu non fuiſſe, multis teſtimoniis confirmari poteſt. Nam & Homer. ait *Odyſſ. 10.*

Sedebamus edentes multas carnes, & vinum ſuave.

Et *Athen. Lib. 8. Deipnoſoph.* Scribit: *Neque mos erat antiquorum, ut reclinato corpore recumberent, ſed ut ſedentes comederent.* Et *Servius* ad illum *Virgilii* locum:

——— hic ariete cæſo
Perpetuis ſolitis patres conſidere menſis:
Majores

Majores enim nostri, ait, *Sedentes epulabantur, quem morem habuerunt à Laconibus, & Cretensibus, ut Varro docet Lib. de Pop. Rom.* Postea vero in majore luxuria, propter mollitiem, & ingentes delicias, quæsita est hæc mollis accubatio, post balnea, ad delicatius molliusque epulandum, ut trunco corporis paululum inflexo in cubitum incumberent, & crura jacerent, aut porrecta, aut leviter inflexa. Unde *Horat. Lib. 1. Carm. Ode 27.*

Et cubito remanet presso.

Et alibi:

Languidus in cubitum jam se conviva reponet.

Cujus accubationis typum & formam graphice depinxit & oculis subjecit *Lips. Lib. 1. Saturnal. Serm. Cap. 6.* L.

Camaræ] Camara, ἀψὶς, ὑπόστωον. *Nicet. Chon.* ἦν καμαρᾶ ὑπόστεγος. Vetus Gloss. *Fornex*, Camara; Vetus Interpres *Juvenalis Sat. 14. Mundentur parietes, vel camaræ.* Gloss. *Isid. MS. Camara, testudo. Rigalt.* Ita *Festus: Camara, & camuri boves, à curvatione, ex Græco καμπὴ dicuntur. Scheffer.*

Ut est vulgatus ordo narratæ rei,
Omnes scierunt, Numinum præsentiam
Vati dedisse vitam mercedis loco.

Scierunt] Pro *Sciverunt*, intellexerunt. Num potius est à *Sciscere*, ut innuat; hanc certam, fixamque omnium sententiam fuisse, ita censeo. *Scheffer.*

Numinum præsentiam] Castoris scilicet, & Pollucis, de quibus supra sic dixit:

Atque interposuit gemina Ledæ sidera.

Notum est enim ex ovo Ledæ hos duos velut pullos exclusos esse. Unde *Horatius:*

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo.

Hi ergo gemini laudatori suo gratam hanc vicem rependerunt, ut eum ab interitu, ac ruinæ oppressione eriperent incolumem. Sic alias quoque fructum pietatis retulit Simonides, quantumvis alioquin ob avaritiam male audiat. Cum enim ignotum quendam projectum mortuum vidisset, humavissetque commiseratione, & humanitate ductus, & haberet in animo navem conscendere: per quietem moneri sibi visus est, ne navigaret, ab eo quem sepultura affecerat. Si navigaret, eum periturum naufragio. Itaque mutato consilio rediit Simonides; perierunt ceteri qui tum navigarant: teste *Cicer. 1. de Divinat.* & *Valer. Max. Lib. 1. Cap. 7.* Usque adeo ne falsæ quidem religionis contemptus cuidam impune abit, nec ullum recte factum præmio suo caruit.

Ἔστι δικαιοσύνης τε καὶ εὐσεβίης μέγ' ὄνειαρ.

Ut Musæo suo canit *Orphæus:*

Τοῖς δὲ κακῶς ῥέξασι δίκης τέλος οὐχὶ χρονιστὸν.
Οὐδ' ἀπαραίτητον, οὐδ' εἰ Διὸς ἔγγονοι εἶεν.
Ἀλλ' αὐτῶν κεφαλῆσι καὶ ἐν σφετέροισι τέκεσσιν
Ἐλεῖται. καὶ πῆμα δόμοις ἐπὶ τήμασι βαίνει.

Ut habet Oraculum Sybaritis redditum, apud *Ælianum Lib. 3.* hujus sententiæ:

Improba facta manet sua pœna; nec hanc mora tollit,
Nec patet effugium, quamvis Jovis inclita proles
Sint qui peccarint: sed pœna supra caput astrat,
Persequiturque domum, & noxam excipit altera noxa.

Prioris regulæ exemplum præbet Simonides; posterioris Scopas cum suis. *Rittersh.* Quemadmodum autem hic *Phædrus*, Poëtam in Deorum præsidio, ita & se Musarum tutela securum fore quocunque ierit, dixit *Horat. Lib. 3. Carm. Ode 4.* Ad quod elegantissimum Lyrici Poëtæ carmen lectorem remitto. L.

Numinum] Deorum. *Numen*, ut ait *Festus: Quasi nutus Dei ac potestas* dicitur. Sic *Perquam timidi metu divini numinis usque ad supestitionem, l. 8. §. 1. ff. de condit. institut.*

inſtitut. Reſpectu divini numinis ita jurat, l. 33. *ff. de jurejur.* Numinis autem nomen paſſim Imperatores in ſuis reſcriptis, & conſtitutionibus ſibi adrogant, quo loquendi genere ſæpe eis blanditur *Symmachus*, veluti *Epiſt.* 12. *Lib.* 10. *Olim me, ut res indicat, cogitationes numinis veſtri ſecundo favore reſpiciunt.* Et *Epiſt.* 23. Ejuſdem Libri, *Mihi ſummus eſt fructus felicitatis, ut coram veſtrum Numen adveneror.* Item *Epiſt.* 32. *Oraculo Numinis veſtri.* Et *Epiſt.* 35. & 41. *Sacri Numinis veſtri Oraculum.* Et *Epiſt.* 40. *Veſtri Numinis veneror ſanctiones.* Similia his exempla extant *Epiſt.* 27. 30. 52. 53. 55. 57. & 58. Ejuſdem Libri, quod *Proſper* ridet *Lib. de promiſſ. & prædict. Cap.* 7. L.

Mercedis loco] Id eſt, pro mercede, locutio elegans. Sic *Parentis loco ſum ſoceris pronepti, l.* 39. *ff. de rit. nupt. Aviæ loco eſt, l.* 23. *ff. de adopt. Matris loco ſunt ſocrus & noverca, §. ſocrum quoque. Inſt. de nupt. Nurus loco eſt, l.* 14. *ff. de rit. nupt. Adoptare nepotis loco l.* 37. *ff. de adopt. Loco liberorum haberi, l.* 1. *C. de teſtam.* Sic & *Abſentis loco eſt, l.* 124. *§. ult. ff. de reg. jur. l.* 17. *§. ait prætor. ff. de injur. Domini loco habetur hæreditas, l.* 15. *ff. de Interrog. in jur. fac. Hæc verba non tantum pactionis loco accipiuntur, l.* 7. *§. quod ſere. ff. de pact.* Id eſt, vice, ſeu pro pactione. L.

IDEM

IDEM POETA.

Superſunt mihi quæ ſcribam, ſed parco ſciens,
Primum, eſſe ne tibi videar moleſtior,
Deſtringit quem multarum rerum varietas:
Dein, ſi quis eadem forte conari velit
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui;
Quamvis materiæ tanta abundet copia
Labori faber ut deſit, non fabro labor.

Parco] Scilicet ſcribere. Quomodo *Virgilius Lib. 3. Æneid.*

Parce piæ ſcelerare manus. ——— *Scheffer.* Ita & *Lucan. Lib. 10. Vers. 395.*

——— *tu parce morari.*

Et *Horat. Carm. Lib. 3. Ode 8.*

Parce privatis nimium cavere. ——— L.

Deſtringit] Diſtrahit, ut *Deſtringi in plures ad verſarios, l. 27. §. ult. ff. de pecul.* ex qua delibata eſt *l. 2. ff. de exercit. act.* ut ex utriuſque inſcriptione apparet. Sic & *Deſtringi judicio, l. 20. ff. judic. ſolv. l. 20. ff. de procurator. Deſtringi multitudine rerum*, id eſt, impediri, *l. 25. ff. ex quib. caus. maj. Non eſſe deſtringendum pupillum l. ult. ff. rem pupill. ſalv. for.* Et ita quibuſdam videtur legendum in *l. 3. ff. de aliment. vel cibar. leg. Ne à ſingulis heredibus minutatim alimenta petentes deſtringantur. Deſtringi neceſſario aliis locis, l. 1. ff. de eo quod cert. loc. Deſtricti variis præſidum occupationibus, vel etiam civilium officiorum neceſſitatibus, l. 15. §. qui*

qui post. ff. ad Sc. Turpil. L.

Operis reſidui] Sic *Reſiduum tempus* dicitur in *l.* 28. §. *alumni. ff. de ann. legat. Reſiduæ ſummæ*, in *l.* 7. §. *idem ſolent. ff. de adminiſtr. & per. tut.* Et *Reſidua quantitas*, *l.* 1. *ff. qui pot. in pign. l.* 8. *C. de fidejuſſor. l. ult. ff. in quib caus. pign. vel hyp tac. contrah.* Sic *Reſiduæ portiones*, *l.* 3. *C. de teſtam mil. Reſiduum legatum l.* 24. §. *proinde. ff. de fideic. libert Reſiduum pretium*, *l.* 14. *C. de evict.* Item *Reſidua pars l.* 13. §. 1. *ff. de acceptilat. Reſidua* autem *pecuniæ* quæ dicantur vide *l* 4. § *lege Julia. & l.* 9. *ff. ad leg jul. pecul.* In quibus crimen commiſſum *lege Julia* vindicatur, quæ inde *de Reduis* vocatur. Sic & apud *Liv. Lib.* 3. *Bell Maced.* verbum hoc exaudiendam eſt. *Omnibus*, ait, *reſiduis pecuniis exactis, tributo privatis remiſſo. Cic.* 2. *Orat. de lege Agr. Quid relatum quid reſiduum ſit.* Idem *pro Cluent. Nuper apud C. Orchinium collegam meum locum à judicibus Fauſto Sullæ de pecuniis reſiduis non eſt conſtitutus.* L.

Abundet] Ut in illo *Virgilii Georgic.* 3.

Rurſus abundabat fluidus liquor. —— *Scheffer.*

Brevitatis noſtræ præmium ut reddas, peto,
Quod es pollicitus; Exhibe vocis fidem.
Nam vita morti propior eſt cotidie;
Et hoc minus veniet ad me muneris,
Quo plus conſumet temporis dilatio.
Si cito rem perages, uſus fiet longior:
Fruar diutius ſi celerius cæpero.

Brevitatis noſtræ præmium] Grata enim ſemper eſt breviloquentia, & verborum prolixitas à jure reſpuitur, *l.* 39. §. 1. *C. de appellat.* L.

Exhibe vocis fidem] *Petron. Sat. Quæſo*, inquit, *Eumolpi, fidem memoriæ tuæ appello. Plin. Epiſt.* 14. *Lib.* 3. *Immobilis & extentus fidem peractæ mortis implevit.* Ipſe ſupra:

Ut adjuvaret jurisjurandi fidem.

Rigalt. Præſta, inquit, Noſter, ipſo opere, quod voce ac ſermone promiſiſti. Ita exhibere fidem uſurpavit *Columella Lib.* 11. *Cap.* 1. *Inſpiciendus erit villicus, an etiam domino fidem, ac benevolentiam exhibeat. Scheffer.* Nam & in jure exhibere præſtare ſignificat, veluti; *Exhibere cuſtodiam l.* 19. *C. de pignor. Diligentiam. l.* 2. §. *ult. ff. de peric. & comm. rei vend. Negligentiam, l.* 10. *ff. de compenſat.* Sic *Exhiberi culpa*, id eſt, præſtari, *l.* 3. §. *nunc videndum. ff. commod.* Et in noſtram ſignificationem *Exhibere fidem l.* 47. *ff. de bon. libert. l.* 1. §. *in honorariis. ff. de var. & extraord. cognit. l.* 28. *ff. de tutel. l.* 23. *& 25. C. fam. eriſc. l.* 6. *C. commun. utriuſque judic. l.* 7. *C. de rer. permut. l.* 2. *C. de dot. promiſſ. l.* 1. *C. ad lex. Falcid. Non exhibita fide l.* 1. §. *ult. ff. de præſcript. verb.* L.

Vita morti propior eſt cotidie] Hanc ſententiam eleganti comparatione illuſtravit poëta quidam recentior.

Velut ſecundo vecta navis flumine
Senſim propinquat littori: ſic indies
Vivendo morti appellimur propinquius.

Rittersh. Nam ut eſt apud *Phocylidem*: ὁ βίος τροχός. *Vita rota.* Et *Horatium*, *Fugaces labuntur anni.* Unde *Perſius*:

Vive memor lethi,
—— *fugit hora, hoc quod loquor inde eſt.*

Ita *Sen. Epiſt.* 24. *Quotidie morimur, quotidie enim demitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque cum creſcimus, vita decreſcit Infantiam amiſimus, deinde pueritiam, deinde adoleſcentiam uſque ad heſternum quicquid tranſit temporis perit, hunc ipſum, quem agimus diem cum morte dividimus.*

In

In quam ſententiam plurima in Veterum monumentis reperias. L.

Veniet ad me] *Sueton.* compoſito pervenire uſus eſt, hoc ſenſu *Aug. Cap.* 101. *Nec plus perventurum ad hæredes ſuos profeſſus eſt.* Et ſic edidit *Urſinus* hoc loco, quod nec *Heinſio* diſplicet. *Scheffer.*

Temporis] Reſpicit præcedens *Plus*, dicitorque ut ſupra *Minus muneris. Scheffer.*

Si celerius cœpero] Scilicet frui, an *Cepero* id eſt, accepero, ſcilicet munus promiſſum? *Ritterſh.*

Languentis ævi dum ſunt aliquæ reliquiæ,
Auxilio locus eſt: olim ſenio debilem
Fruſtra adjuvare bonitas nitetur tua,
Cum jam deſierit eſſe beneficium utile,
Et mors vicina flagitabit debitum:
Stultum admovere tibi preces exiſtima,
Proclivis ultro cum ſit miſericordia.

Languentis] Deficientis. Sic *Langueſcere* in *l.* 22. *ff. ad Sc. Silan. Dum languet libertus l.* 34. *ff. de oper. libert.* Unde *Languor animi*, *l.* 44. §. *eum qui. ff. de uſurpat. Languor*, enim, ait, *Non. Marcell. eſt torpor, & deſidia, item diſſolutio & defectio.* Hinc *Languorem ſimulare. l.* 6. §. *exploratores. ff. de re milit.* Et *Languore ſuo, ſuorumque adprehenſus*, *l.* 26. §. *non omnia. ff. mandat.* L.

Deſierit eſſe beneficium utile] Atque ita hoc etiam apud ICtos. effertur; uti: *Deſinere eſſe ager*, *l.* 7. §. *quod ſi toto. ff. de acquir. rer. dom. Deſinere eſſe in rebus humanis l.* 8. *ff. de condict. furtiv. l.* 24. *ff. famil. erciſc. l.* 3. *ff. de condict. tritic. Deſinere eſſe inter homines*, *l.* 57. *ff. de legat.* 2. Sic & *Deſinere eſſe arbiter*, *l.* 19. §. *ult.* & *l.* 21. *ff. de recept. qui arbitr. recep. Civis*, *l.* 5. §. *ult. ff. de captiv. l.* 16. §. *municeps. l.* 23. *ff. ad municip. Civitas*, *l.* 21. *ff. quib. mod. uſufr. amit. Compos mentis*, *l.* 24. §. *ult. ff. de oblig. & act. Decurio. l.* 9. §. *iſtæ. ff. de pan. Dominus*, *l.* 7. §. *Cum in ſuo. ff. de acquir. rer. dom. l.* 66. §. 1. *ff. de legat.* 2. *l.* 24. *ff. de aq. & aquæ pluv. arc. l.* 1. §. *ſive. ff. ſi quadr. pauper. fec. dic. l.* 2. *ff. de noxal. act.* Similiter *Definere pertinere*, *l.* 96. *ff. de condit. & demonſtr. Deſinere poſſidere*, *l.* 1. §. *ſane. & l.* 6. §. *non ſimpliciter. ff. ſi quis omiſſ. cauſ. teſtam. l.* 12. §. *facti. ff. de captiv. l.* 3. *ff. uſufruct. quemadm. cav. l.* 25. §. *ult. ff. de liber. cauſ. l.* 3. §. *Labeo. & l.* 17. § *ult. ff. de acquir. poſſeſ. Deſinere vi poſſidere*, *l.* 5. §. *Julianus. ff. de precar. Dolo deſinere poſſidere*, *l.* 1. *C. depoſ. Deſinere poſſidere ſine dolo*, *l.* 17. *ff. de except. rei jud. l.* 4. §. 1. *ff. de alien. judic. mut.* Et quæ plura ejuſdem locutionis exempla in jure reperiuntur. L.

Utile] Scilicet mihi tale quo poſſim uti propter vitæ brevitatem. *Scheffer.*

Mors vicina flagitabit debitum] *Cic.* 14. *Philip. Debita mors naturæ reddita. Horat.* in *Art.*

Debemur morti nos. ———

Tertull. de carne Chriſti Cap. 6. *Mutuum debitum eſt inter ſe nativitati, cum mortalitate.* Vet. Inſcript. Claromont. quam integram una cum aliis nec paucis Arvernix monumentis publico debet *Jo. Savaro:* DEVETUM. NATURE. QUIDEM. COMPLEVEMUS. OMNIS. ET. CARNEM. FRAGELEUMEDA. TER. :::: A. SUM. T. &c. Vide Epitaphium Juliæ Secundæ filiæ Corneliæ Tychæ uxori, *Lib.* 3. *Epigr. Vet. Pag.* 129. *Rigalt.* Nam ut Hercules alt apud *Euripidem Alceſtide:*

Βεβηκὸς ἅπασι κατθανεῖν ὀφείλεται.

Debitum ergo dicit vitam, quæ data eſt utenda:

——— *data eſt ſine fœnore nobis*
Mutua, nec grato perſolvenda die.

Ut ait, Pedo in Elegia de Morte Druſi. *Artemidorus* quoque in *Oneirocrit. Lib.* 3. *Cap.* 41. Debitum ex mutuo, & vitam facit ἀναλογία. Δάνειον τῷ ζῆν τὸν αὐτὸν ἔχει λόγον, ὀφείλομεν γὰρ καὶ τὸ ζῆν τῇ τῶν ὅλων φύσει, ὡς καὶ τὸ δάνειον τῷ ἐγχειρίσαντι, ὅθεν ὁ δανειστὴς τοῖς νοσοῦσιν ἀφιστάμενος καὶ ἀπαιτῶν, κίνδυνον σημαίνει· λαμβάνειν δέ τι καὶ θάνατον. Dixi, debitum ex mutuo, hoc enim eſt δάνειον: non autem quodvis debitum, ut *Cornarius* vertit. Δανειστὴς, & Latine Daniſta, eſt fœnerator. *Rittersh.* Sic *Plut. ad Apollon.* Μοχθηρὸν χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, ὡς δανεισθησόμενον ἐδανείσαντο ἡμῶν οἱ προπάτορες, dixit φύσιν ἀνάδοχος. *Iſocrates* in *Panegyr.* Τὰ μὲν σώματα ταῖς τῆς φύσεως ἀνάγκαις ἀποδόσθαι *Nevel.* Nam ut ait *Horat. Lib.* 1. *Carm. Ode* 28.

——— *Omnes una manet nox*
Et calcanda ſemel via lethi.

Et *Ovid. Conſolat. ad Liviam:*

Fata manent omneis, omneis exſpectat avarus
Portitor, & turbæ vix ſatis una ratis
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.

Itemque *Sen. Herc. Fur. Act.* 1.

Certo volvunt ordine Parcæ,
Nulli juſſo ceſſare licet,
Nulli ſcriptum profert dies.
Recipit populos urna citatos.

L.

Flagitabit] Inſtantius exiget, ac proprie de exactoribus uſurpatur. *Sueton. in Vitell. Tum fœneratorum, & ſtipulatorum, publicanorumque, qui unquam ſe aut Romæ debitum, aut in via portorium flagitaſſent, vix ulli pepercit.* Sed & *Flagitare ancillam* dixit ICtus. in *l.* 1. §. *item ſi quis. ff. de privat. delict.* Id eſt, appellare de ſtupro, inſtantius ejus pudicitiam inſectari. L.

Stultum] Me, nec ſatis rem, ut in ipſa eſt, conſiderantem. *Scheffer.*

Admovere] Ita ſupra, *Lib.* 3. *Fab.* 16. Quanquam hic potius moleſtiam illam reſpiciat ex continuis precibus. *Scheffer.*

Proclivis] Facilis. Ita *Cæſar. Lib.* 1. *de Bell. Civ. Quibus erat proclive tranare flumen, quod conſuetudo eorum omnium eſt, ut ſine viribus ad exercitum non eant.* L.

Sæpe impetravit veniam confeſſus reus;
Quanto innocenti juſtius debet dari?
Tuæ prius ſunt partes: aliorum dein:
Simili gyro venient aliorum vices.

Impetravit veniam confeſſus reus] Nam erranti medicina confeſſio eſt: atque ut ille ait: *Proximum ad innocentiam tenet locum verecunda peccati confeſſio.* Sed tamen, ut inquit Mimus:

Mala cauſa eſt, quæ requirit miſericordiam.

Rittersh. Atqui hic paſſivo ſenſu is innuitur, qui manifeſte talis eſt; de quo nemo dubitat, quin ſit reus. Quomodo & apud *Ciceronem* ideo confeſſa res, & manifeſta conjunguntur. *Ovid.* 2. *de Ponto.* 2.

Non eſt confeſſi cauſa tuenda rei.

Scheffer. Et Idem *Metamorph. Lib.* 10. *Fab.* 9.

Numen confeſſis aliquod patet. ———

Et *Horat. Lib.* 1. *Sat* 3.

Qui ne tuberibus propriis offendat amicum
Poſtulat: ignoſces vernicis illius: æquum eſt
Peccatis veniam poſcentem reddere rurſus.

Ita *Claudian. in Epigr. Satisfact.*

En adſum, & veniam confeſſus crimina poſco.

Atque optime in hanc Phædri ſententiam ait *Seneca* alicubi: *Ubi eſt confeſſio, ibi remiſſio.* Idemque *Epiſt.* 28. *Initium eſt ſalutis notitia peccati; egregie mihi hoc dixiſſe*

dixiſſe videtur Epicurus. Nam qui peccare ſe neſcit, corrigi non vult. Deprehendas te oportet antequam emendes. Quidam vitiis gloriantur. Tu exiſtimas aliquid de remedio cogitare, qui mala ſua virtutum loco numerant? Ideo quantum potes, te ipſe coarguc, inquire in te: accuſatoris primum partibus fungere, deinde judicis, novißime deprecatoris. L.

Quanto innocenti juſtius debet dari] Hinc Scipio, & Antonius dicebant, malle ſe unum civem ſervare quam mille hoſtes occidere *Capitolin. in Antonin.* Et ICtus. in *l. 3. pr. ff. de pœn. Satius eſſe impunitum reliqui facinus nocentis, quam innocentem damnare.* Exempla vide apud *Ciceronem pro Roſc. Amerin.* Et *Tiraquell. de pœn. cauſ. 59.* L.

Partes] Officii hujus, meæ innocentiæ præſtandi: quod ſi feceris, admonebuntur tuo hoc exemplo alii, ut & ipſi, ſuo quiſque tempore, ac loco, præſtent debitum officium, innocentiæque meæ ſuccurrant. Hic opinor ſenſus eſt, nec quicquam in verbis immutandum. *Scheffer.*

Aliorum vices] Nam, ut *Terentius* niſi fallor: *Omnium rerum vicißitudo eſt* L.

Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
Excedit animus quem propoſuit terminum;
Sed difficulter continetur ſpiritus,
Integritatis qui ſinceræ conſcius,
A noxiorum premitur inſolentiis.

Decerne] Poſtquam ſcilicet omnia, & totam rem examinaveris. Namque ita *Decernere* etiam in jure dicitur; cauſa cognita aliquid ſtatuere, Sic *Decernere Prætor* dicitur in *l. 17. ff. de uſur. l. 2. ff. de offic. Prætor. l. 15. §. ſi forte. ff. de damn. infect. l. 1. §. 1. ff. de jur. dot. l. 15. ff. de noxal. act.* Sed & *Decernere* etiam *principes dicebantur, l. 28. ff. de inoffic. teſtam. l. 25. §. quod autem. ff. de hæred. petit. Quod Princeps cognoſcens decrevit, l. 1. ff. de conſtit. princip. §. ſed & quod principi. Inſt. de jur. nat. gent. & civ. Decrevit Imperator, l. 11. §. Imperator. ff. ad leg. Falcid. Severus, l. 1. §. his vero. ff. de his quæ ut indign. auſer. Decretum eſt à Principibus, l. 1. ff. de bon. eor. qui ſub. tut.* Atque hinc *Decretum* dicitur, quod cauſa cognita ſtatuitur, pronunciatur, *l. 1. ff. de offic. adſeſſ.* Decretum enim cauſæ cognitionem deſiderat, ut apparet ex *l. 9. §. ubi decretum. ff. de offic. procon.* à quo credibile eſt avulſam eſſe *l. 71. ff. de reg. jur.* Licet inſcriptio in libri, unde ſumpta dicitur, numero variet. Sane *Theophilus ad Tit. Inſt. de jur. Nat. gent. & civ. Decretum* interpretatur: Ἀπόφασιν βασιλέως μεταξὺ δύο μερῶν περὶ αὐτῆς δικαζομένων ἐκφερομένην. Et *Paulus* tres Decretorum libros inſcripſerat, ſeu Imperialium ſententiarum in cognitionibus prolatarum. Unde fit ut *Decretum* pro Tribunali tantum, non etiam de plano interponi poſſit, *l. 7. in fin. ff. de confirm. tut. l. 3. §. ſi cauſa. ff. de bonor. poſſeſſ.* Hinc & *Decreta* à Prætoribus Latine interponi debere, ait, *l. 42. ff. de re judicat.* L.

Judicio] Omiſſa præpoſitione *De*; fac me gaudere, ac gratulari mihi ipſi ob tam favorabilem tuam in cauſa mea ſententiam. Sic *gratulari affinitate alicujus*, & *celebritate diei* dixit *Cicero.* Et Declamator vetus in *Salluſt. Populus Romanus frequens adventu meo gratulatus eſt. Scheffer.*

Spiritus] Elegantèr, in reſpectu ad illam vehementiam commotionis ob injuriam acceptam. Vult autem id ipſum, quod ait apud *Curtium* Philotas *Lib. 6. Cap. 10. Verba innocenti reperire facile eſt, modum verborum miſero tenere difficile. Scheffer.*

Integritatis qui ſinceræ conſcius] Alludit ad ſententiam verſus *Sophoclei*:

Ξὺν τῷ δικαίῳ γὰρ μέγ' ἔξεστι φρονεῖν.

Id est:

Nam justa causa spiritum attolli jubet.

Eodemque sensu *Plautina* Alcumene ad Amphitruonem suum ait: *Quæ non deliquit, decet audacem esse, & confidenter pro se, & proterve loqui.* Et Pseudolus: *Decet innocentem qui sit, atque innoxius, servum superbum esse apud herum potissimum. Rittersh.* Hinc *Curt. Lib.* 6. ait: *Verba innocenti reperire facile est.* Et ICtus in *l.* 14. §. 6. *ff. de bon. libert. Ignoscendum esse ei qui voluit se ulcisci provocatus.* L.

A noxiorum premitur insolentiis] Seiani scilicet, quem sibi accusatorem, testem ac judicem simul fuisse conquerebatur & supra *Lib.* 3. *prol. ad Eutych.* Quanta autem hujus Sejani potentia fuerit aliquamdiu in aula Tiberii Imperatoris, ut & dominationem captaverit, ac regnum sibi parare cogitarit tandem; notum est ex *Josepho Lib.* 18. *Antiquit. Judaic.* & ex *Tacito Lib.* 1. & 4. *Annal.* Ubi ejus *προσωπογραφία. Rittersh.* Noxios enim hic intelligit eos, qui nocere possunt, sic supra posuit innoxium. *Scheffer.* Vel etiam qui iam nocuerunt, quemadmodum *Noxius servus* dicitur, qui noxam commisit aut nocuit, *l.* 7. *ff. ff. de noxal. act. Ut noxium servum agnoscat, l.* 3. §. *si quis noxali. ff. ad exhib. Si noxios servos habuit, l.* 27. §. *Proculus. ff. ad leg. Aquil. Si quis quem eorum servum servamve qui ejus facinoris noxius erit, l.* 3. § *si quisquam. ff. ad Sc. Silanian.* L.

Premitur] Opprimitur, Gravatur, oneratur, Sic: *Ut premeret, atque oneraret libertinas personas, l.* 2 *ff. de oper. libert. Priusquam accusati se criminis quo premuntur exuerint, l.* 19. *C. de his qui accus.* L.

Qui sint requiris? Apparebunt tempore.
Ego quondam legi quam puer sententiam,
Palam mutire plebejo periculum est,
*Dum sanitas constabit, pulchre * memini.*

Requiris.] Rogas, scire desideras, sic *Requirere debet*, id est, inquirere *l.* 36. *ff. de rei vind.* Et *Requirere Prætor* dicitur, in *l.* 5. §. 1. *ff. quib. ex caus. in possess. Requiri veritas, l.* 10. §. *ult. ff. de quæst. Ad requirendam veritatem; l.* 8. *ff. eod.* Item *Requiri custodia demissa l. ult. ff. de custod. & exhib. reor.* L.

Apparebunt tempore] *Rutil. Lupus Lib.* 1. *de fig. sent. Quod beneficium tempore, & cupienti datur gratum est*, &c. *Rigalt.* Ita Græci dicunt *χρόνῳ*, item *χρόνιοι*, idest, tandem. Exempla multa apud *Euripidem*, aliosque occurrunt. Alludit autem ad sententiam veteris versus:

Ἄγει δὲ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Id est:

A tempore in lucem profertur veritas. Rittersh. Et ponitur illud *tempore*, pro, *in tempore. Cic. Offic.* 2. *Ad cænam tempore venit*, & *Lib.* 7. *Epist.* 10. *ad Treb. Renovabo commendationem, sed tempore.* Adde *Voss. de constr. Cap.* 66. *N. Heins. ad Ovid. Heroid. Epist.* 4. *Vers.* 102. *Scheffer.* Quid ni *Tempore*, idest, *Lapsu temporis*, quod & *Rittershusius* non obscure innuit, idemque est quod Belgæ diceremus **metter tijdt.** Ita *Ovidius* in *Metamorphosi*, de Piramo, & Thisbe.

Tempore crevit amor. ———

L.

Legi puer sententiam] Ideo enim pueri ediscimus poëtarum gnomas, ut olim viri facti in gravibus deliberationibus atque ad omnes vitæ partes illis utamur: ut verissime ait *Æschines* in Ctesiphontem *Rittersh.* Vides ergo quam senibus usui sint, quæ pueri didicerunt, & discendum in adolescentia quod in senectute etiam poterit prodesse, unde *Petronius Arbiter* dixit: *Et ideo ego adolescentulos existimo in scholis stultissimos fieri, quia nihil ex iis quæ in usu habemus, aut audiunt, aut vident.* L.

Palam

Palam mutire] Istuc ipsum est, quod alicubi facere dixit *Juvenalis*:

——— *plurima sunt quæ*
Non audent homines periusa dicere lana.

Fab. Ostendunt ergo quam infelix sit ubique pauper. Et *Palam* dicit noster quasi publice, & coram pluribus *l.* 33. *ff. de Verb. Signif. Donat. ad Terent. Adelph. Act.* 3. *Sc.* 2. *Coram*, ait, *ad veritas personas referturs palam ad omnes.* Hinc *Palam*, & *aperte* conjunguntur, *l.* 9. *ff. de his quæ ut indign. auf. l.* 54. *ff. de adquirend. & perdit. Asconius* tamen in *Divinat.* hanc inter hæc verba differentiam statuit. *Aperte ad verba pertinet non obscura. Palam ad præsentium multitudinem & qualitatem frequentis loci.* L.

Sanitas] Absolute pro ratione. *Cic. Epist. fam. ad Coss. Quibus ad sanitatem redeundi potestas facta est*: pro ad bonam mentem. Sensus igitur dum sanitas constabit, scilicet mihi, dum ero sana mente prædivus, caute ac prudenter revocabo in memoriam hanc sententiam. *Scheffer.* Quasi dixerit quoad vivam:

——— *Dum spiritus hos regit artus.*

L.

POETA ad PARTICULONEM.

*CUm deſtinaſſem terminum operis * habere*
In hoc, ut aliis eſſet materiæ ſatis,
*Conſilium tacito corde damnavi, **
*Nam ſi quis talis etiam eſt tituli **
Quo pacto damnabit quidnam omiſerim,
Ut illum ipſum cupiam famæ tradere:
Sua cuique cum ſit animi cogitatio
Colorque propior. ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.

Deſtinaſſem] Vocabulum elegans, & eo ſenſu ICtis. etiam uſitatum. Ut: *Deſtinare æternæ ſedi l. 40. ff. de religios. Deſtinare ſcribere l. 9. ff. de hered. inſtit. Deſtinare quæſtionem habere de ſervo, l. 23. §. & ſi ſervus. ff. ad leg. Aquil. Deſtinare transferre dominium, l. 8. §. cauſæ. ff. de tranſact.* Similiter, & affini plane ſignificatione: *Deſtinare agro inſtrumentum, l. 12. §. ſi quis eodem. ff. de inſtruct. vel inſtrum. leg. Deſtinati agro ſervi, l. 35. §. iterum. ff. de hered. inſtit. ad cuſtodiam templi, l. 35. ff. de liber. cauſ. Deſtinatus muneribus, l. 34. ff. ad municip. Deſtinati in Provinciam judicandi cauſa, l. 21. §. legatis. ff. de judic.* Sic *Deſtinatus ſepulturæ locus, l. 2. §. Celſus. ff. de religios. Deſtinatus uſui, l. 20. §. ult. ff. ne quid in loc. publ.*

publ. Destinatum publicis usibus locus, l. 8 §. *si in locum. ff. de religios.* Et *Destinata publicis usibus, l.* 17. *ff. de Verb. Sign.* Atque ita *Destinare tutorem testamento* dicitur pater, quos declarat velle tutelam gerere *l.* 3. § 1. *ff. de administ. tut. Destinare tutorem futuro postumo Quint. Curt. Lib.* 10. Aliter *Destinare nuptiis* dicitur in *l.* 68. *ff. de jur. dot.* Quod *Destinare matrimonio* dixit *Sueton. in Othon. Cap.* 10. Et *Plin. Lib.* 6. *Epist.* 26. *Fusco Salinatori filiam tuam destinasti*, simpliciter. Sic *Destinare sibi aliam uxorem*, in *l. ult.* § *ult. ff. de divort.* Et *Destinata uxor*, *l.* 7. §. 1. *ff. de jur. dot. l.* 36. & *l.* 66. *ff. de rit. nupt. l.* 2. *ff. ad leg. Jul. de adult. Horat. Lib.* 2. *Serm. Sat.* 3.

——— *Fortique marito*
Destinet uxorem. ———

Sueton. in *Jul. Cæs. Cap.* 27. *Octaviam sororis suæ neptem quæ C. Marcello nupta erat, conditione ei delulit, sibique filiam ejus id matrimonium petiit, Fausto Syllæ destinatam. Quintilian. Declamat.* 343. *Ille rapuisset puellam alii destinatam, alii pactam nisi fiducia tui? Apulej. Lib.* 4. *de Asin. Aur. Pacto jugali pridem destinatus consensu parentum, tabulis etiam maritus ad nuptias nuncupatus. Capitolin.* in *Marc. Antonin. Usus est etiam magistro Commodo, cujus ei affinitas erat destinata.* L.

In hoc] Nota locutio juris auctoribus. *Rigalt.* Atque idem est quod ad hoc, hoc fine. *Columel. Lib.* 7. *Cap.* 8. *Cratibus in hoc factis, ita ordinantur, ne alter alterum contingat. Vellej. Paterc. Lib.* 2. *Cap.* 14. *Jam in hoc solum importatum instrumentum balnei*, &c. *Scheffer.*

Damnari] Improbari. Ut in *l.* 19. *ff. de inoffic. test. Licet quasi furiosa judicium ejus damnaretur.* L.

Titulis] Titulum intelligit Poëtæ, qui fabulas scribit, quasi diceret, nam, etiamsi fortassis est poëta quispiam, qui & ipse scribere fabulas volet, quomodo divinare poterit eas, quas ego omisi, ut non alias scribat potius, quas ipse fingit, diversas longe ab his quas omitto? *Scheffer.* Et fabulæ cujuscunque caput, rubricam, vel inscriptionem significat, Sic *Titulis edictis*, *l.* 195. *ff. de Verb. Signif.* Ut & pro rubrica *Titulus* usurpatur in *l.* 1. §. *in principio.* & §. *uti initio. ff. de postuland. l.* 1. *ff. de reb. cred.* Aft *Titulus* etiam pro inscriptione quæ supplicii quod de re sumebatur causam indicabat, usurpatur à *Sueton.* in *Domitian Cap.* 24. Eodemque sensu in *Evangelio Iohan. Cap.* 19. Ἔγραψε δὲ καὶ τίτλον. Nam quod ille titulum, hos *Marcus Cap.* 15. Ἐπιγραφὴν τῆς αἰτίας, *Lucas Cap.* 23. Ἐπιγραφήν, & *Matth. Cap.* 20. Τὴν αἰτίαν αὐτῆ γεγραμμένην, vocarunt. L.

Sua cuique cum sit animi cogitatio] Nam: *Quot homines tot sententiæ.* Et:

——— *trahit sua quemque voluptas.*

L.

Levitas] Resiliendi à proposito, & mutandi consilium, de quo ab initio. *Scheffer.*

Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
Quas Æsopias, non Æsopi nomine,
Quasi paucas ostenderit, ego plures differo,
Usus vetusto genere; sed rebus novis,
Quartum libellum dum vacive perleges,
Hunc obtrectare si volet malignitas,
Imitari dum non possit, obtrectet licet.

Quare] cohæret cum sequenti; *Ego plures differo.* Propterea, inquit, quia intelligo frustra me aliis reliniquere, quas excogitavi fabulas, & te sentio hoc genere delectati, idcirco plures tales fabulas nunc scribo, quas voco Æsopias, non Æsopi, quandoquidem is scripsit paucas. *Scheffer.*

Particulo] Particulones alias dicti ſunt coheredes, quod partes patrimonii ſumant, inquit, *Nonius*; at hic proprium nomen eſt. *Rittersh.*

Caperis fabulis] Quid mirum? *Sunt enim homines natura curioſi*, inquit *Plin. Lib. 1. Epiſt. 8. & quamlibet nuda rerum cognitione capiuntur, ut qui ſermunculis etiam fabelliſque ducantur.* Nam *Capi*, etiam hic delectari ſignificat, uti ſupra in *Prol. Lib. 2.*

Dum capiat aurem. ———

L.

Vetuſto genere] Μυθόω, via, ratione. Hoc ſuperius explicatum fuit. *Fab.* Refert de Tuberone ICto. *Pomponius* in *l. 2. §. 46. §. ff. de orig. jur.* Eum *Sermone antiquo uſum affectaſſe ſcribere; & ideo parum libros ejus gratos haberi.* L.

Vacive] Διὰ χολῆς. Vacivus, pro vacuus, *Plautinum* verbum. *Rittersh.* Aures vacivas dixit *Plaut. Prol. Caſin.* & *Trinum. Nevel.* Vacive, eſt otioſe, animo vacuo à curis, &c. *Plautus*, & *Terentius* utuntur hoc vacivus, exemplis proferendis in re clara ſupersedeo. *Fab.*

Imitari dum non poſſit, obtrectet licet] Semper enim hoc, quam illud facilius fuit. Ῥᾷον μωμᾶσθαι, ἢ μιμεῖσθαι: & μωμήσεται τις ἢ ζηλώσει ἢ μιμήσεται. Id eſt.

Non tam æmulari quam reprendere eſt facul.

Unde & *Theognis* ſapientiſſimus apud Græcos Gnomologus ait:

Μωμεῦνται δ' ἐμὲ πολλοὶ ὁμῶς κακοὶ ἠδὲ καὶ ἐσθλοί,
Μιμεῖσθαι δ' ἔτι τῶν ἀσόφων δύναται.

Id eſt:

Carpunt me multi, pariter prævique bonique
At noſtrum ex rudibus nemo imitetur opus.

Rittersh. Nam ut eſt apud *Homer. Iliad. v.*

Εὖ γάρ ἐμ' ῥέα φωτὶ ἐῢ εἰδότι μυθήσασθαι.
Πολλὰ μαλ' ἄ δ' ἂν αὖθι ἰὼν ἐπιτὸν ζυγὸν ἄχθος ἄείρῃ.

Id eſt:

Probrorum ſupereſt ambobus copia ſumma.
Quorum onus haud portet centum ratis incita remis.

Et eleganter apud *Plautum* in *Captiv.*

Quaſi mures ſemper edimus alienum cibum
Ubi res prolatæ ſunt: cum ſuis hominis eunt
Simul prolatæ res ſunt noſtris dentibus.

In quales obtrectatores hic à *Phædro* deſcriptos etiam ludit *Terent.* in *Prol. Andriæ*:

Id iſti vituperant factum. Atque in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt ne intelligendo ut nihil intelligant,
Deinde ut quieſcant; porro mones, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.

L.

Mihi parta lauſ eſt, quod tu, quod ſimiles tui
Veſtras in chartas verba transfertis mea,
Dignumque longa judicatis memoria.
In literarum plauſum ire deſidero.

Parta] Id eſt, quæſita, acquiſita. Sic: *Partam liberationem non poteſt revocare, l. 92. ff. de ſolut. Ex ſtipulatione parta actione l. 7. C. de ſentent. & interloc.* Diuturnitate poſſeſſionis *Partam ſecuritatem maleficium alterius facere non poteſt, l. 7. C. de præſcr. long. temp.* Et *Parta ex conjunctione filia*, id eſt, quæſita, *l. 77. §. ult. ff. ad Sc. Trebel. Parta obligatio, l. 2. C. de contrab. & commit. ſtip.* L.

Transfertis] Eleganter & proprie. Sic, *Transfert in ſe obligationem, l. 1. & l. 4 C. ad Sc. Vellej.* Et *Transferre dominium fundi ad aliquem, l. 6. §. ſi quis. ff. de aq. & aq.*

& aq. pluv. arcend. Unde *Translatio dominii, l.* 33. §. 1. *ff. de donat.* Hoc modo *Transferre proprietatem* dicimus *l.* 9. §. *item. ff. de acquir. rer. dom. Transferre poſſeſſionem, l.* 6. §. *ult. ff. de Carbon. edict. Transferre tutelam, l.* 2. *C. de ſuſpect. tutor. Transferri* quoque venditio dicitur in *l.* 4. §. *ſed & Marcellus. ff. de in diem addict.* Et *In alios uſus tranſlata ſumma, l.* 96. *ff. de legat* 1. L.

In literarum plauſum] F. *Literatum*, id eſt, approbationem literatorum hominum promereri cupio. Quaſi dicat, quid de me vulgus, illiteratum, profanum, & malignum judicet, ὃ φαυλος ἱπποκλείδη. *Odi profanum vulgus, & arceo*, ut ait, *Horatius*, & ex eo *Petronius Arbiter.* De volgo ab eruditis hominibus contemnendo nonnulla notavit ævi noſtri gloria *Joſephus Scaliger* in notis ad *Catullum*, quibus addas licet *Propertianum:*

——— *populi confuſa valeto*
Fabula: nam domina judice tutus ero.
Rittersh.

Ire, deſidero] Ire, abire, faceſſere, valere jubeo, *Martial. Lib.* 1. *Epigr.* 41.

I nunc & ferrum turba moleſta nega.

Et *Lib.* 2. *Epigr* 6.

I nunc edere me jube libellos:

Plena hujuſmodi exemplorum omnia. *Rigalt.* Et ita *Juvenal. Sat.* 6. *Verſ.* 305.

I nunc & dubita, qua ſorbeat aera Sanna.

Et *Martialis* eodem modo:

I nunc, & dubita, vates an diligat ipſos.

Itemque *Juvenal. Sat.* 10. *Verſ* 166.

——— *I demens, & ſævas curre per Alpeis,*
Ut pueris placeas, & declamatio fias.

Ac ibidem *Verſ.* 310.

I nunc & juvenis ſpecie lætare tui, quem
Majora exſpectant diſcrimina. ———

Et *Sat.* 12. *Verſ.* 57.

I nunc & ventis animam committe. —

Eleganter etiam *Ovidius:*

I nunc, & cupidis nomen amantis habe.

Uti & *Horat. Lib.* 1. *Epiſt.* 6.

I nunc: argentum, & marmor vetus, æraque, & artes.
Suſpice. ———

Et ibidem *Epiſt.* 7.

——— *nunc i: rem ſtrenuus auge.*

Et *Lib.* 2. *Epiſt.* 2.

I nunc, & verſus tecum meditare canoros.

Sed quia iſtiuſmodi modi loquendi paſſim ſunt obvii, quod & *Rigaltius* monuit, plura huic *Phædri* Epilogo non addam. L.

PHÆDRI,

AUGUSTI CÆSARIS LIBERTI,

FABULARUM ÆSOPIARUM,

LIBER QUINTUS.

PROŒMIUM.

Æsopi nomen ſicubi interpoſuero,
Cui reddidi jam pridem quicquid debui,
Auctoritatis eſſe ſcito gratia:
Ut quidam artifices noſtro faciunt ſeculo
Qui pretium operibus majus inveniunt, novo

Interpoſuero] Interſerero, interjecero: vel etiam Æſopi nominis auctoritatem huic meo operi accommodavero. Nam iſta ſignificatione frequentius hoc vocabulum uſurpatur. Sic *Magis eſt, ut utrimque judex ſe interponat, l. 5. §. 1. ff. de agnoſcend. & alend. liber. Interponere ſe in his judex non debet, l. 41. §. 1. ff. famil. erciſc.*

ercisc. Prætor interponere se non debet, *l.* 34. §. 1. *ff. de minor. Contractus in quibus Prætor se non interponit*, *l.* 6. §. *apud. ff. quæ in fraud. credit. Ut Prætor se non imponat*, *l.* 32. §. *summa. ff. de recept. arb. Cum nec in privatorum contractibus fiscus se interponere debeat*, *l.* 5. *C. si mancip. Non interponente se magistratu*, *l.* 4. §. *si tam. ff. de damn. infect. Præses Provinciæ auctoritatem suam interponat*, *l.* 2. §. *ult. ff. de oper. publ. Cœpit senatus se interponere*, *l.* 2. §. *deinde quæ. ff. de orig. jur.* Atque hoc modo *Interponere se suam benevolentiam Divus Pius rescripsit*, in *l.* 52. *ff. de acquir. vel omitt. her.* Et *Interponere officium suum arbiter*, in *l.* 30 *ff. fam. ercisc. Interponi officium judicis*, *l.* 22. §. *nec non. ff. de solut. matrimon.* Accitidem: *Prætoriæ partes interponendæ sunt*, *l.* 5. *ff. de liber. caus.* L.

Quicquid debui] Fabulas ab Æsopo acceptas intelligit, eas ait reddidisse, quia sub ipsius nomine in præcedentibus proposuit. *Scheffer.*

Inveniunt] Eleganter, ad notandam callidam excogitationem doli, ac commenti. Quomodo apud *Terent.* Geta in *Phorm. Act.* 4. *Sc.* 3. *Inveni, opinor, remedium huic rei. Scheffer.* Et *Horat. Lib.* 1. *Epist.* 2.

Invidia Siculi non invenere Tyranni
Majus tormentum. ———

Idemque *Serm. Lib.* 1. *Sat.* 3.

Donec verba, quibus voces, sensusque notarent;
Nominaque invenere. ———

Unde *Inventum* de re aliqua, vel opere primum ab aliquo excogitato, denominatum est. *Juvenal. Sat.* 8. *Vers.* 30.

Exclamare libet populus quod clamat Osiri
Invento. ———

Ubi de Api bove loquitur, quem Ægyptii colunt veluti Osiridem. Nam tradiderunt animam Osiridis in bovem transmigrasse. Non est fas eum certos (ut scribit *Plinius*), vitæ annos excedere. Mersum igitur in sacerdotum fonte enecant, quæsituri luctu alium, quem substituant, donec inveniant mœrent derasis etiam capitibus, & invento populus luctum finit. De Api bove ita scribit *Strabo Lib.* 17. *Memphis Ægyptiorum est regia, ea Apidis templum habet, qui idem est quod Osiris.* Hic autem est ille Osiris, quem alii Saturni ex Rhea filium fuisse tradunt, alii Jovis ex Niobe, virum magni ingenii, gloriæ cupidum, qui relictis Argis, patria sua, ad Ægyptios trajecit, quos ditioni suæ subegit, Isidem, Inachi filiam (quæ Jo ante vocabatur, duxit uxorem, quorum uterque ob varias virtutes divinos honores meruit. Ius enim leges statuisse fertur, unde Thesmophora à Græcis, hoc est, legifera, vel legislatrix dicta est, eamque etam frugium inventricem dicunt. Osirim vero varia primum inveniisse, & multas artes Ægyptios docuisse, de quibus ita cecinit *Tibullus*:

Primus aratra manu sollerti fecit Osiris,
Et teneram ferro sollicitavit humum:
Primus inexpertæ commisit semina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Hic viridem dura cadere falce comam.

L.

Si marmori adscripserunt Praxitelem, suo
Detrito, Myronem argento. Fabulæ exaudiant
Adeo fugatæ. Plus vetustis nam favet
Invidia mordax, quam bonis præsentibus.
Sed jam ad fabellam talis exempli feror.

Praxitelem] Miri ingenii artificem, quem memoriæ proditum est Venerem marmoream arte tam mira elaborasse, ut spectantes subinde libidinis titillarentur incentivis. Ferunt (ait *Plin. Lib.* 36. *Cap.* 5.) amore captum quendam, cum delituisset noctu, simulachro cohæsisse, ejusque cupiditatis esse indicem maculam. Unde Gnidiam

Gnidiam illam Venerem vesano amore cujusdam juvenis insignem alibi appellat, *Lib.7. Cap.38.* L.

Myronem] Hic quoque inter præstantissimos istius sæculi artifices numeratur. Notaque est ejus Bucula, quæ ex ære ita erat ad vivum expressa, ut non gregem tantum, sed & pastorem ipsum posset fallere. De qua *Auson. Epigr.57.*

Bucula sum, cœlo genitoris facta Myronis
Ærea: nec factam, me puto, sed genitam.
Sic me taurus init, sic proxima bucula mugit,
Sic vitulus sitiens ubera nostra petit
Miraris quod fallo gregem? gregis ipse magister
Inter pascentes me numerare solet.

Hunc tamen *Myronem*, licet artificio nobilissimum, inopia extinxit. De eo namque ita scribit *Petron. Arbiter* in *Satyr. Myron, qui pene hominum animas, ferarumque ære comprehenderat, non invenit heredem.* Quod *Francisc. Suretus* in *Not. ad Symmach. Lib.1. Epist.23.* retulit. L.

Plus vetustis] Eadem & *Horatii (Lib.2. Epist. 1.)* querela est, de iniquitate judiciorum, qua plerique præsentia, & quæ ante pedes sunt fastidiunt; longinqua sola, aut vetusta admirantur, inque pretio habent. De eadem perversitate & *Pindarus* conqueritur *Pythionic. 3.* & distichon tale fecit *M. Bergius* meus:

Ἀεὶ τὰν ποσὶν ὄντα παρατρεχόμεσθα μάταιοι
Κεῖνο ποθοῦντες ὅπερ μακρὰν ἄπωθεν ἔφυ.

Quod ita vertebam:

Longinquis inhiant, spernuntque domestica vani,
Pro nihiloque putant quod jacet ante pedes.

Sic nutrix ad Phædram in *Hippolyto Euripidea*: Οὐδέ σ' ἀρέσκει τὸ παρὸν· τὸ δ' ἀπὸν φίλτερον ἡγῇ. Sic Democritus apud *Stobæum* περὶ σωφροσύνης: ἀνοήμονες τῶν ἀπεόντων ὀρέγονται· τὰ δὲ παρεόντα καὶ παρῳχημένων κερδελεώτερα ἐόντα ἀμαλδύνουσιν. Et *Joachimus Camerarius* gravissime, ut omnia, in eandem sententiam scribit in Appendice Jamborum *Phylæ*:

Ὧδε δ' ἀμαθὲς καὶ σκαῖον ἐστὶν ἄρα βροτῶν
Μωρόν τε φῦλον, κἀνόητον, ὥστε δὴ
Τὰ πόντα μαστεύειν ἀπρήκτοις ἐλπίσι
Παπταῖνον ἀλλότριά τε πόῤῥω καὶ ξένα,
Ἀγαθῶν τ' ἀεὶ καταφρονῆσ' ἐπιχωρίων.

Hoc est, interprete *Georgio Bersmanno*:

Sic læva mens est, & rudis mortalibus
Fatuaque carensque intelligentia, irrita
Ut persequatur spe petens absentia
Proculque vestigans remota, raraque
Populariumque copiam fastidiat.

Ausonius Idyll.15.

Spernimus in commune omnes præsentia. ———

Et *Profess.6.*

Dum spem remotam semper arcessis tibi,
Fastidiosus obviæ. ———

Usque adeo sunt homines plerique δοῦλοι ἀτόπων, καὶ ὑπερόπται τῶν εἰωθότων; ut ait severissimus scriptos *Thucydides*. Memini etiam apud *Plinium* similia legisse sed jam satis est. *Rittersh.* Sic & *Plaut. Casin.* initio:

Qui utuntur vino vetere sapientiores puto,
Et qui libenter veteres spectant fabulas.

Martial. Lib.8. Epigr.69.

Miraris veteres, Vacerra, solos,

&c. *Plin. Lib. 6. Epist. 21. Miror antiquos, non tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia despicio.* Vide *Sidon. Apollin. Lib. 2. Epist. 8.* & *Lib. 8. Epist.2. Terent. Prol. Phorm. Rigalt.* Et *Plin. Lib.1. Epist.16. An si inter eos quos nunquam vidimus floruisset, non solum libros, sed etiam imagines conquireremus? Nevel.*

Favet] Abusive pro minus nocet. *Scheffer.*

Quam bonis præsentibus] In hæc verba passim obviæ sunt Veterum Scriptorum sententiæ, de iis quæ ante nos acciderunt, & admiramur, vel etiam de iis quæ longinquæ

ginquæ nobis regiones, non patria, vel propinqua aliqua & finitima tellus suppeditant. Quibus etiam insana hominum libido magis quam propriis delectatur, quemadmodum Invidia mordax plus favet vetustis, quam bonis præsentibus. *Petron. Arb.* in *Satyr.*

Ales Phasiacis petita Colchis,
Atque Afra volucres placent palato,
Quod non sunt faciles: at albus anser,
Et pictis anas enovata pennis
Plebejum sapit. Ultimis ab oris
Attractus Scarus, atque arata Syrtis
Si quid naufragio dedit probatur.
Mullus jam gravis est; amica vincit
Uxorem: rosa cinnamum veretur.
Quicquid quæritur optimum videtur.

Nam, ut est in vulgatissimo proverbio: *Quod rarum, carum.* Unde *Plato* in *Euthydemo*: Τὸ γὰρ σπάνιον, ὦ Εὐθύδημε, τίμιον, τὸ δὲ ὕδωρ ἐνωνότατον, ἄριστον ὄν, ὡς ἔφη Πίνδαρος. Id est: *Quod rarum est, Euthydeme, idem etiam magni fit. At aqua, tametsi res sit longe optima, quod Pindarus ait, nihil vilius.* Sic *Martialis* quoque *Lib.* 1. *Epigrammat.*

Rara juvant: primis sic major gratia pomis,
Hybernæ pretium sic meruere rosæ.

Facit namque fastidium copia, ut inquit *Livius*, & frigidius amamus semper ea, quibus, ubi libeat, potiri fas est. Huc spectat quod *Libro ad Heren.* 3. *Cornificius* ait: Usitatæ res facile è memoria elabuntur, insignes, & novæ manent diutius. L.

Talis exempli] Quod probare possit sententiam de invidia dictam. *Scheffer.*

Feror] Agitor, impellor. Horat. de Arte *Poët.*

Quid deceat, quid non, quo virtus, quo ferat error.

L.

FABULA

FABULA PRIMA.

Demetrius Rex & Menander Poëta.

DEmetrius, qui dictus eſt Phalereus,
Athenas occupavit imperio improbo,
Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruunt,
FELICITER *ſubclamant ipſi principes:*
Illam oſculantur qua ſunt oppreſſi manum,
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem.

Improbo] Injuſto, contra leges, hoc eſt factus eſt tyrannus. *Scheffer.* Occupatione ſcilicet, & titulo; quia per tyrannidem imperium occupaverat, quem tamen diſtinguunt Politici ab eo qui revera tyrannidem in imperio & contra ſubditos exercet, ac Tyrannus exercitio dicitur. L.

Ruunt] Eleganter, ad exprimendum cœcum, & immoderatum ſtudium. Plane ſicut apud *Tacit. Lib. Annal. Cap.* 7. *At Romæ ruere in ſervitutem, conſules, Patres, Equites.* Ceterum ſic abſolute poſuit & *Virgil. 4. Æneid.*

Idem omnes ſimul ardor habet, rapiuntque ruuntque.

Scheffer. Sic apud *Ovidium* Penelope in *Epiſt. ad Ulyſſ.*

Turba ruunt in me luxuriosa proci.

Et *Horat. Carm. Lib.* 3. *Ode* 4.

Contra ſonantem Palladis ægida.
Poſſent ruentes? ———

L.

FELICITER ſubclamant] Scilicet vulgus.

vulgus. *Rittersh.* Tralatitia acclamatio. *Juvenal.*

——— *Dictum FELICITER ingens.*
Cœna sedet. &c.

Quod & centies apud alios reperias. *Fab.* Quod olim annotavit & *Brissonius.* Consule *Ferrar. de Acclamat. Veter. Scheffer.* Loquitur autem *Juvenalis* citato loco de nuptiarum solemnitate, nam in earum celebratione hæc etiam acclamatio frequentari solet. Unde *Sueton.* in *Domit. In reducenda post divortium uxore, acclamari audiit libenter domino, & domina FELICITER* L.

Principes] Intelligit præcipuos cives, quomodo *Principes Atheniensium*, dixit *Corn. Nep. vita Cicer Cap. 3. Scheffer* Quos & *Primores* dicimus. *Horat. Lib. 1. Epist. 17.*

Principibus placuisse viris non ultima laus est.

Et *Serm. Lib. 2. Sat. 1.*

Primores populi arripuit, populumque tributim.

Sic & *Juvenal. Sat. 4. Vers. 32.*

Iam princeps equitum magna cum voce solebat
Vendere municeps facta de merce siluras.

Et *Sat 8. Vers. 198.*

Res haud mira tamen Citharædo principe, mimus
Nobilis. ———

Qui etiam *Sat. 15. Vers. 40* Primores dixit, quos hic *Phædrus* principes appellat:

Visa immicorum primoribus, ac ducibus: ———

Namque & qui in re aliqua primus, vel primarius excellit, Princeps dicitur *Horat. Lib. 1. Epist. 19.*

Libera per vacuum posui vestigia princeps.

L.

Ipsi principes illam osculantur qua sunt oppressi manum] Sic distinguendus est hic locus, qui antea fœde corruptus erat. Porro illud FELICITER solennem fuisse acclamationis formulam, qua maxime quidem ad Duces & Imperatores sed tamen nonnunquam etiam ad alios quosvis, quibus bene vellent, uterentur constat: & annotavit quoque Ampliss. *Brissonius. Lib. 8. de Formul.* Cujus exemplis & hoc adde, & aliud è *Gunthero* nostro *Lib. 4. Ligurini:*

Omnibus egregie lætis, totaque caterva
Adclamante viro faustum, FELICITER, omen.

Loquitur de Romanis, Fridericum Aenobarbum excipientibus. De antiquissimo illo more osculandi manum in honore alicui habendo, vide *Muret. Lib. 10. Var. lect. Cap. 1.* & *Lips. Lib. 2. Elector. Cap. 9.* Cujus exempla magis quam *Mureti* ad hunc locum faciunt. *Gephanius* quoque adeundus in Scholiis ad *Odyss. π.* Docet autem *Plinius Lib. 11. Cap. 45. Dextram aversam osculis appeti solere*, id est partem ejus exteriorem: quod tantum de osculo manus alienæ verum est: nam propriæ pars adversa, sive interior adoratur, hoc est; ori admovetur. De pedum vero osculo sciendum, id nimis servile, atque abjectum fuisse habitum, & non nisi tyrannis exhiberi solitum; Vide *Dionem in Cajo Calig.* & *Capitolin. in Maximino.* Porro Demetrius iste Phalereus (ut de ejus vita, ac fortuna quædam annotemus) Orator fuit, & Philosophus excellens, unus ex Theophrasti discipulis: ut *Cicero* quoque indicat *Lib. 1. de Offic.* Et extat hodieque ejus liber περὶ ἑρμηνείας, seu de Elocutione. Est autem memorabile in eodem exemplum levitatis & inconstantiæ fortunæ, auræque popularis. Primum enim in tantum honorem fuit Demetrius apud populum Atheniensem, ut ei trecentas ipsas statuas virtutis, & meritorum ergo posuerit. Tandem vero usque adeo flagravit invidia, ut & solum vertere coactus sit, fugiens in Ægyptum, & trecentæ illæ statuæ omnes uno die per tumultum eversæ, atque conflatæ fuerint. Vide *Plutarch.* Πολιτικ. παραγγέλμασι. & περὶ φυγῆς: Ubi ait, principe ipsum loco Alexandriæ fuisse inter amicos regis Ptolomæi, tantaque omnium rerum copia abundasse, ut non modo ipse sibi sufficere, & patria facile carere, sed etiam Atheniensibus munera mittere potuerit. Ita nimirum τὸ τέχνιον πᾶσα γῆ τρέφει, Et:

Ἅπας μὲν ἀὴρ ἀνετῷ περάσιμος,

Ἅπα-

Ἅπασα δὲ χθὼν ἀνδρὶ γενναίῳ πατρὶς.

Id est:

Vt omnis aër pervius aliti est Jovis
Sic omne forti patria est solum viro.

Edoctus igitur propriis eventis quanta esset fortunæ instabilitas, scite correxit quosdam de ea versus *Euripidis*, ut annotarunt *Plutarchus* παραμυθητικῷ πρὸς Ἀπολλώνιον, & *Joan. Stobaus Serm.* ργ. Cum enim ita fecisset Philosophus ille Scenicus:

Ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος ἀλλ' ἐφήμερος.

Καὶ.

Ὡς μικρὰ τὰ σφάλλοντα, καὶ μὴ ἡμέρα
Τὰ μὲν καθεῖλεν ὑψόθεν, τὰ δ' ἦρ' ἄνω.

Cetera quidem omnia, inquit, verissime dicta sunt ab *Euripide*: rectius tamen fecisset, si non unum diem, sed punctum temporis omnia invertere dixisset: εἰ μὴ μίαν ἡμέραν, ἀλλὰ στιγμὴν εἶπε χρόνου. Est etiam memorabile hujus Demetrii consilium, quod is regi Ptolomæo dedit, teste eodem *Plutarcho in Apophthegmatis Regum & Principum.* Παρήνει γὰρ αὐτῷ τὰ περὶ βασιλείας, καὶ ἡγεμονίας βιβλία κτᾶσθαι καὶ ἀναγινώσκειν. ἃ γὰρ οἱ φίλοι τοῖς βασιλεῦσιν οὐ θαρροῦσι παραινεῖν, ταῦτα ἐν τοῖς βιβλίοις γέγραπται. Monebat Ptolomæum, ut de regno, & principatu recte administrando scriptos libros, & commentarios sibi compararet, atque evolveret: in his enim eum reperturum salutaria præcepta, ac monita, quæ sæpe amici regii non auderent præferre. Consiliarii enim sæpe vel metu, vel assentatione à vero transversi aguntur. (*obsequium* enim *amicos, veritas odium parit*, inquit, Comicus) At vero ut leges, ita libri cum omnibus eadem, & communi voce loquuntur, nec erubescunt, nec adulantur vel regibus ipsis. Apud eundem regem Ptolomæum audivit Demetrius laudatissimum illud institutum transferendi Biblia Sacra ex Hebræa in Græcam linguam, quæ vulgo *Septuaginta Interpretum Versio* appellatur. Didici hoc ex *Clemente Alexandrino Lib. 1. Stromat.* Cujus hæc sunt verba: ἑρμηνευθῆναι δὲ τὰς γραφὰς, τάς τε τοῦ νόμου, καὶ τὰς προφητικὰς, ἐκ τῆς τῶν Ἑβραίων διαλέκτου εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶτταν φασὶν ἐπὶ βασιλέως Πτολεμαίου τοῦ Λάγου, ἢ ὥς τινες ἐπὶ τοῦ Φιλαδέλφου ἐπικληθέντος, τὴν μεγίστην φιλοτιμίαν εἰς τοῦτο προσενεγκαμένου Δημητρίου τοῦ Φαληρέως, καὶ τὰ περὶ τὴν ἑρμηνείαν ἀκριβῶς πραγματευσαμένου. *Rittersh.*

Illam osculantur] Notat antiquum reges & Principes præcipue vero Tyrannos adorandi morem, quo manus exosculabantur subditi. Eum enim honorem solis potentioribus, tanquam demissionis notam, & proprie fere dominis à servis delatum constat. Nec falluntur, qui à candidatis magistratum ambientibus, istud natum autumant, quos etiam manus potentiorum, & eorum quorum gratiam in ambiendis muneribus captabant, frequentius prensasse constat, unde *Prensatio* (quæ & pro ambitu usurpatur) denominata est. Formam vero osculandi manum describit *Plin. Lib. 11. Cap. 25.* his verbis: *Dextera osculis aversa appetitur, in fide porrigitur.* Et *Suetonius* scribit C. Caligulam Chæreæ, agenti gratias osculandam manum obtulisse, sed formatam commotamque in obscœnum modum, in *Calig. Cap. 56.* Idemque prodidit Domitianum Cœnidi patris concubinæ, osculum (ut assueverat) offerenti, manum (aversam scilicet) præbuisse in *Domitian. Cap. 12.* Neque vero hisce terminis quasi conclusa stetit principes, & tyrannos, adorationis ritu, osculandi ratio, sed potentiorum insolentia, etiam ad genua, imo ad ipsos usque pedes fuit protensa, vilissimo mehercule, & plus quam servili more. De genibus ita *Ammian. Marcellin.* Docet *Lib. 28. Ex his quidam, cum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda, & manus.* De pedibus luculenter attestatur *Dio*, cum ita scribit: *Pomponius secundus tunc consul, pedes Caligulæ adsidens, identidem se inclinans, eos osculabatur.*

Et

Et *Seneca* quoque C. Cæſarem, ait, Pompejo abſoluto, & gratias agenti porrexiſſe oſculandum ſiniſtrum pedem, *Lib. 2. de Benefic. Cap. 12.* Id imitati forſan Pontifices Romani, veteriſſimo more quaſi per manus tradito, receptum habent, ut pro genuina exercendæ ſuperbiæ, & inſolentiſſimæ Tyrannidis libidine, ad exemplum Tyrannorum, & Potentiorum alterius ſæculi, pedes ſalutantibus oſculandos præbeant. Perpetuo enim Reges & Imperatores ſæculares in omnibus imitari conati ſunt, qua de re cum plurima exempla poſſent proferri, tum evidentiſſimum nobis ſpecimen dant, Stylus Gregorianus à Gregorio Papa, ad exemplum Juliani, à Julio Cæſare, & Corpus Juris Canonici Pontificii, ad exemplum Juris Cæſarei Juſtinianei compoſitum. L.

Qua ſunt oppreſſi manum] Sic *Dio Lib.* 59. De C. Caligula: Ἐφίλει τε ἐλιγίσως. πῖς γὰρ πλείσῖς καὶ τῶν συμβαλλοντῶν ἢ τὴν χεῖρα, ἢ ὃν πόδα ἀσπάζεσθαι ἔφερε. *Fab. Declamat. 218.* de patrono: *Cadentis manus oſcularis, & ferrum portas, fame periturus, ſi ille nihil mali fecerit. Tacit. Annal. 3. Ceterum tempora illa adeo infecta, & adulatione ſordida, fuere, ut non modo primores civitatis, quibus claritudo ſua obſequiis protegenda erat; ſed omnes Conſulares, magna pars eorum qui Prætura functi; multique etiam Pedarii Senatores certatim exſurgerent, fœdaque & nimia cenſerent. Memoriæ proditur, Tiberium, quoties curia egrederetur, Græcis verbis in hunc modum eloqui ſolitum: O HOMINES AD SERVITUTEM PARATOS. Rigalt.* Et *Sen. Lib. 2. de Ira:* Notiſſima vox eſt ejus, qui in cultu regum conſenuerat; cum illum quidam interrogaret, quomodo rariſſimam rem in aula conſecutus eſt, ſcilicet ſenectutem, *Injurias, inquit, ferendo, & gratias agendo. Nevel.* Ita quippe vulgus magis orientem, quam occidentem ſolem adorat, & ſemper novo principi, etiam tyranno adulatur. Unde in hos aſſentatores luſit *Alciatus Emblem. 53.*

Semper hiat; ſemper tenuem qua veſcitur auram
Reciprocat Chamæleon:
Et mutat faciem, varios ſumitque colores
Præter rubrum, vel candidum.
Sic & adulator populari veſcitur aura,
Hianſque cuncta devorat:
Et ſolum mores imitatur principis atros,
Albi, & pudici neſcius.

L.

Tacite gementes] *Pacat. Paneg. Theod. A. Serenos ergo nubilis mentibus vultus induebamus; & ad illorum vicem, qui deguſtato Sardorum graminum ſucco feruntur in mortem videre, imitabamur læta mærentes. Rigalt.* Sic *Virgilius:*

Spem vultu ſimulat, premit altum corde dolorem.

L.

Triſtem] Omiſſa præpoſitione, pro *Gementes ob triſtem* &c. Sic *Cicero* ſæpius. *Stheffer.*

Fortunæ vicem] Status ſcilicet ſui regiminis, quod jam ex libera, & Populari Republica in Monarchiam mutabatur. Iſta videlicet ſunt fata Imperiorum, Regnorum, Populorum, & quicquid regiminis inter genus humanum obtinet; *Perpetua* enim, inquit, *Seneca, illa in omnibus rebus lex eſt, ut ad ſummum perducta, rurſus ad infimum velocius quidem quam aſcenderunt, relabantur.* Et idem: *Nihil publice ſtabile eſt: tam hominum quam urbium fata volvuntur.* L.

Quin etiam reſides, & ſequentes otium,
Ne defuiſſe noceat, repetunt ultimi;
In queis Menander nobilis Comœdiis,
Quas, ipſum ignorans, legerat Demetrius.

Reſides] Deſides, nihil publice agentes *Virgil. 6. Æneid.*

Otia qui rumpet patriæ, reſideſque movebit.

Puto autem intelligere Philoſophos, qui paſſim nominantur *Otioſi*, opponunturque iis, qui in Republica munus aliquod gerunt. Ita *Cic. Lib. 1. de Offic. Facilior, & tutior, & minus aliis gravis aut moleſta eſt vita otioſorum.* Adde cætera, itemque quæ nos ibi annotabimus. *Scheffer.* Ita & *Livius Lib. 2.* Segnes, & otioſos, uti hic *Phædrus* reſides vocant: *Timuere Patres reſidem in Urbe plebem.* Et *Virgil. Lib. 2. Æneid.*

—— & vivo tentat prævertere amore
Jampridem reſides, animos, deſuetaque corda.

Unde elegegantiſſime *Reſes aqua* dicitur apud *Varronem Lib. 3. de Re Ruſt. Cap. 17.* Stagnum, & aqua quæ non fluit. L.

Sequentes otium] Affectantes, Otio dediti, ita *Cic. Lib. 1. de Offic. Neque enim attinet repugnare naturæ, nec quicquam ſegni, quod aſſequi non queas.* L.

Ne defuiſſe noceat] Scilicet officio; ſicut ea res Ageſilão Oppiani Patri Senatori Anazarbeo nequiter expetivit, quod Sept. Severo Imp. Anazarbum adventanti non occurrerat gratatum, cum aliis ejus urbis optimatibus. Sed de hoc in Vita *Oppiani* noſtri. *Rittersh. Pacat. Paneg. Theod. Quin & illud me impulit ad dicendum, quod ut dicerem nullus adigebat; non enim jam coacta laudatio, & expreſſæ metu voces periculum ſilentii rediniunt, fuerit, abieritque triſtis illa facundiæ ancillantis neceſſitas, quum trucem dominum auras omnes plauſuum publicorum ventoſa popularitate captantem, mendax aſſentatio titillabat, quum gratias agebant dolentes, & tyrannum non prædicaſſe, tyrannidis accuſatio vocabatur. Rigalt.*

Defuiſſe noceat] Nempe ſibi, hoc eſt periculum adferat, tanquam contemnerent novum regem. *Rittershuſius* ſupplet per *Officio*, mihi poni pro *Obfuiſſe* videtur; *Cic. 2. ad Quint. Fratr. Huic convivio puer optimus, quod perleviter commotus fuerat, deſuit. Scheffer.* Atque ita *Deeſſe* in *l. 55. ff. de evict. l. 21.* & *l. 27. §. ſi quis litigatorum. ff. de recept. qui arbitr. recep. l. 2. §. ſed quod diximus. ff. ad Sc. Tertyll. l. 6. C. de accuſat.* ſignificat *Ad judicium non adeſſe*, ut etiam loquuntur noſtri in *l. 52. §. ult. ff. pro ſoc.* & in *d. l. 55. ff. de evict.* Item *Sueton. in Calig.* Inde *Per contumaciam deeſſe*, in *l. 13. §. unde tractari. ff. de minorib. l. 73. in fin. ff. de judic. l. 5. ff. de pæn. l. 4. C. quem. & quand. jud.* Et *Cognitioni deeſſe l. 27. §. 1. ff. de liber. cauſ. l. 7. in fin. ff. de incend. ruin. naufr.* Item *Deeſſe defenſioni, l. 21. §. ult. ff. ex quib. cauſ. maj.* Sic *Defuiſſe* ſimpliciter in *l. 7. ff. de in int. reſt.* & *l. ult. ff. de lege commiſſor.* eſt, non adfuiſſe, ſeu non comparuiſſe. *Deeſt uſui fructus, l. 14. ff. de uſu & habitat. Deeſt animus in furioſo, l. 2. ff. de procuratorib.* L.

Repetunt ultimi] Quid ergo? an τὸ FELICITER repetunt atque ingeminant? an *Reptant* legendum? quod comprobari poſſe videtur ſequentibus verbis:

Veniebat greſſu delicato, & languido.

Nam ſic qui incedunt, eos reptare dicimus, quaſi teſtudineo gradu. *Horat. Epiſt. 4. Lib. 1.*

An tacitum ſilvas inter reptare ſalubres.

Sen. de Vita Beata Cap. 18.

Ex ingenti intervallo reptabundus ſequar.

Rittersh.

Ipſum ignorans] Ignorare aliquem, idem eſt, quod nullius coloris noviſſe, de facie non noviſſe. Tralatione deinde eleganti, mores, animumque alicujus nondum ſatis cognoviſſe. Sic Chremes *Terent.* Et *me ignorat Clinia.* Et ſtatim apud hunc:

Ut poſſit alios ignorantes fallere.

Quod explicatur *Horatii* loco *Lib. 1. Sat. 3.*

—— Heus tu
Quidam ait, ignoras te? an ut ignotum dare nobis
Verba putas? ——

Schop. Sic & *Cornel. Nep. Vita Ariſtid. Cap. 1. Reſpondet ſe ignorare Ariſtidem, ſed ſibi non placere, quod cupide elaboraſſet, ut præter cæteros juſtus appellaretur.* Sic *Terentius* & alii. *Scheffer.* Hac etiam ſignificatione *Juvenal. Sat. 10. Verſ. 103.*

Ergo quid optandum foret, ignoraſſe fateris
Sejanum. ——

L.

Et

Et admiratus fuerat ingenium viri,
Unguento delibutus, vestitu adfluens,
Veniebat gressu delicato, & languido.

Viri] Cum dignitate ponitur. *Scheffer.* Quemadmodum apud *Juvenal. Sat.* 13. *Vers.* 64.

Egregium, sanctumque virum si cerno. ———

L.

Delibutus] Proprie; vide *Rigalt. ad Artemidor. p.* 35. Quem locum commode hic *Phrascius* adnotat. *Scheffer.*

Vestitu adfluens] Talis erat olim delicatorum, & beatulorum vestitus. *Horatius* adversus Menam:

Cum bis sex ulnarum toga.

Contra autem tenuiorum arcta toga fuit:

Arcta decet sanum comitem toga. ——— *Epist.* 18. *Lib.* 1. *Plato* vero *in Alcibiade* 1. Cum vitam luxuriosam describit, ei quoque attribuit ἱματίων ἕλξεις: Locus est adscribi dignus: Εἰ δ' ἂν ἐθέλεις εἰς πλούτους ἀποβλέψαι, καὶ τρυφὰς καὶ ἐσθαιῆτας, καὶ ἱματίων ἕλξεις, καὶ μύρων ἀλοιφὰς, καὶ θεραπόντων πλήθους ἀκολουσίας, τὴν τε ἄλλην ἁβρότητα τῶν περσῶν, αἰσχυνθείης ἂν ἐπὶ σαυτῷ. De veste actoris tragœdi, qui talem vestem in theatro gerebat, dixit etiam *Horatius*:

——— *traxitque vagus per pulpita vestem.*

Inde natum σύρμα (id est tractus) in re vestiaria, quod etiam de serpente posteriorem corporis partem trahente dicitur, apud *Dionem Chrysostomum Orat.* 5. Quod scio neminem monuisse, ne *Henricum* quidem *Stephanum. Fab.* Vide & ad hunc locum quæ habet maximus *Salmasius ad Tertull. pall. p.* 339. *Scheffer.* Ad illum nempe locum, ubi *Tertullianus* ait: *Prorsus si quis Menandrico fluxu vestem delicatam humi protrahat.* Sed quamvis molles, & fluentes vestes gerere solitum Menandrum, hinc patet, idem tamen in aliqua comœdia cinœdum ac delicatum quendam qui simili veste humum verrebat, hoc versu tetigit:

Οἵαν ἀνόητος ὁδὲ χλαμύδα διολλύει;

Id est:

Qualem demens iste Chlamydem disperdit?

L.

Adfluens] Hinc Fluxus pro mollitie sumitur, unde apud *Tertull. de Pall. De viro fluere.* Et in *Libro de Spectaculis*: Et *est plane in artibus quoque scenicis Liberi & Cereris patrocinium, quæ privata & propria sunt scenæ de gestu, & corporis fluxu.* Item *de Habitu Muliebri*: *Discutiendæ enim deliciæ, quarum mollitia & fluxu fidei virtus effeminari potest.* Et qui *Tertulliano fluxus, Arnobio, Liquor* dicitur, his verbis: *Liquoris fœminei dissolutus laxitate.* Sic Græcis ὑγρὸς, & ὑγρότης. Idem Græci molliciem, & delicias σπατάλην vocant, quæ vox τὴν διάῤῥοιαν, hoc est fluxum ventris significat apud *Hippocratem.* Vide *Salmas. ad Tertull. de Pall. Pag.* 304. L.

Gressu delicato, & languido] Κεκλασμένως βαδίζων. *Rigalt.* Molli, & effeminato. *Scheffer.*

Hunc ubi Tyrannus vidit extremo agmine,
Quinam Cinœdus ille in conspectu meo
Audet venire? responderunt proximi:
Hic est Menander scriptor. Mutatus statim.

* * * * * *
* * * * * *
* * * * * *

Extremo agmine] Inter ultimos, quos supra dixit. Quam in significationem *Extremus annus matrimonii* dicitur in *l.* 31. *ff. de pact. dotal. Extremus dies anni, l.* 132. *ff. de Verb. Signif. Extremus mensis, l.* 98. § *ult. ff. eod. Extremo judicii die, l.* 3. §. *unde illud. ff. de minor.* At *Extremum spiritum effundere*, dixit *Quintilian. Declamat.* 296. Et *Extremo spiritu, Cic. Philip.* 9. Item *Quintilian. Declamat.* 314. *Sunt illa vera, quæ extremo miseri spiritu dicebantur.* L.

Quinam Cinædus] F. & hic legendum, *quia nam*, an *quinam*, id est, quomodo, quo ore, qua fronte *Rittersh.*

Cinædus] A mollitie mutuatum vocabulum; proprie enim *Cinædi* dicuntur, qui muliebria patiuntur, Quos ob id supra Noster vocat, *Molles mares.* Hinc *Gellius Lib.* 3 *Cap.* 5. *Nihil interest, quibus membris cinædi sitis posterioribus, an prioribus.* L.

Ille in conspectu meo Audet venire?] Plane ad istam faciem dixit *Symmachus Lib.* 7. *Epist.* 67. *In conspectu amicorum se esse venturum.* In conspectu venire, pro in conspectum. Similiter & *Nazarius Panegyr. Quamvis cœlestia sub oculis hominum venire non soleant*, pro, sub oculos venire. Sic alii contra, *In mentem esse*, pro, in mente: *In honorem*, pro, in honore. Vide *G. Schoppii* mei *Suspect. Lect. Lib.* 1. *Epist.* 17. De his talibus dixi etiam in *Exercitationibus Epistolicis ad Ausonium. Rittersh.* Dixit & *Cicero: Veni in Senatu.* Notat *Scaliger ad Manilii Lib.* 5. Ubi Poeta:

Quum venit in regione tuæ, Capricornæ, figuræ.

Lactant. Lib. 1. *Cap.* 2. *Aureos nummos largiter in sinu ejus infudit.* Ita enim legitur in optimo MS. Cæsaraugustano, non *in sinum. Curt. Lib.* 4. *Cap.* 9. *Satropalem directa in gutture hasta transfixit.* Sic omnes veteres, nec muto, cũ viro eruditissimo. Adde *Voss. de construct. Cap.* 65. & quos ibi laudat. *Scheffer.*

Proximi] Qui ex amicis, vel ministris circa Demetrium erant. *Scheffer.*

Hic est Menander]

At pulchrum est digito monstrari, & dicier hic est.

Notum est illud de *Demosthene*: Οὗτος ἐκεῖνος ὁ Δημοσθένης. *Rittersh.* Sic *Martial. Lib.* 5. *Epist.* 13.

Sed toto legor orbe frequens, & dicitur HIC EST.

Ita Græcis οὗτος ἐστὶ. *Plin. Epist.* 23. *Lib.* 9. *An si Demosthenes jure lætatus est, quod illum anus Attica ita demonstravit*, οὗτος ἐστὶ Δημοσθένης, *ego celebritate nominis mei gaudere non debeo?* Sic *Lucian.* ἐνυπνίῳ τῶν ὁρώντων. ἕκαστος, τὸν πλησίον κινήσας δείξαι σε τῷ δακτύλῳ, οὗτος ἐκεῖνος λέγων. *Nevel.*

Scriptor] Scriptores κατ' ἐξοχὴν apud bonos auctores dicuntur κωμοδιδάσκαλοι. *Rittersh.* Ego puto dictum apud veteres Scriptorem, quisquis scripto publicasset opus. *Donat. Prol. Adelph. Indifferenter omnis qui aliquid scripsisset, scriptor à veteribus dicebatur.* Ita *Belli Trojani Scriptor*, apud *Horatium* legitur de Homero *Cicero, Lysiam* Oratorem *Vetustissimum Scriptorem* nominat. Similia de Historicis leguntur. *Scheffer.* Quales plenius *Iuvenalis* dixit Historiarum scriptores, ut *Sat.* 7. *Vers.* 99.

Vester porro labor fecundior Historiarum
Scriptores. ———

Sic *Horat. Lib.* 2. *Epist.* 2.

Scriptorum chorus omnis amat nemus, & fugit urbes.

Itemque *Lib.* 1. *Epist.* 19.

Non ego nobilium scriptorum auditor & ultor.

Et alibi. L.

FABULA

FABULA SECUNDA.

ET vindicavit ſeſe forti dextera.
Latrone occiſo, timidus accurrit comes,
Stringitque gladium: dein rejecta penula:

ET vindicavit ſeſe] Hunc elegantem, ſed ἐκίβαλον Apologum in gratiam adoleſcentum ſupplebimus, ut quibinus, fingamus itaque talia quædam præc. ſiſſe:

Iter duobus unum erat ſociis viæ,
Qui lata verum, & nubia ex aqua omnia
Communia ambobus fore promiſerant.
Dum pregrediuntur, tranſeundum eis nemus
Obicitur opacum denſis arborum comis.
Hic obvium cum latro eos invaderet,
Alter, cuti ſuæ timens, periculo
Seliberavit, adhibito auxilio pedum
Remanſit alter, & latroni reſtitit,
Cui conſerenti manum, obtulit inſtans necem,

Et vindicavit ſeſe &c.

Titulus Fabulæ eſſe poteſt talis: *VI ATORES DUO IN LATRONEM INCIDENTES. Rittersh.*

Vindicavit] In libertatem ab imminente morte, quod fortaſſe præceſſit. Quanquam & hoc modo *Vellej. Lib. 1. Cap. 1. Se etiam à Pyrrho, Achillis filio, vindicavit virtute.* Ceterum hiſtoria quam tangit, non multum eſt diſſimilis illi apud *Ælianum Lib. 3. Var. Cap. 44.* Quem nuper ſecunda vice Argentorati publicatum, Typographus tam male habuit, amiſſis pleriſque ſchedis meis, in quibus quid addi, quid demi, imminutarive vellem annotaveram, ut editionem aliam primo quoque tempore publicare feſtinem; id quod ſignificandum in tempore fuit, ne culpa aliena mihi tribuatur. *Scheffer.*

Timidus] Bene; vult enim eum qui haſtenus fuit timidus, & fecit è longinquo, nunc accurriſſe, ſimulque illo *Accurrit* pulchre notat ſimulationem ſtudii & ardoris. *Scheffer.*

Rejecta] Abjecta, ſic *Rejecta terra* dicitur in *l. 14. ff. quib. mod. uſufr.* At vero alia ſignificatione *Rejicere* ſolemne verbum erat Juris, quod ſignificabat recuſare, ſeu repudiare judices, quod verbum frequentiſſimum eſt in *Oratienib. Cicer. in Verr. 3. 4. & 5. Plin. in Panegyr. Traj. Sors & nova fiſco judicem adſignat: licet rejicere, licet exclamare hunc nolo.* Et poſt: *Commodiorem inimico ſuo contentionem rejectionis dari noluiſſe.* In Lexico, B. *Germani. Rejectio, ἀποβολὴ, ἀπόλειξις κεῖται.* Sic etiam miles *Rejici militia* dicitur *l. 6. §. quia. ff. de re milit.* Et *Rejici caſtris. l. 29. ff. de liber. caus.* Item *Rejecti tutores, l. 2. §. Divus. ff. qui pet. tutor.* L.

Rejecta penula] Veſte peculiari eorum, qui faciebant iter, ex corio, vel coacta lana, pluviis arcendis, cum pileo à tergo forma cuculli. Vide *Ferrar. de re Veſt. Lib. 2. Cap. 7.* Rejecta, eſt remota ad tergum, ne libertatem brachii manuſve impediret, *Sueton. Auguſt. Cap. 26. Princeps legationis rejecto ſagulo, oſtendit gladii capulum. Scheffer.* Uſi autem ſunt Veteres *Penula*, cum in itinere, tum etiam pluvio tempore. Unde *Martialis:*

Ingrediare viam cœlo licet uſque ſereno.
Ad ſubitas nunquam ſcortea deſit aquas.

Penulam autem eam recte appellat *Scorteam*, quaſi ex corio, & pellibus factam. *Pellem* enim Antiqui *Scortum* dicebant. Inde in aliquot Sacris, ac Sacellis ſcripũ haberi *Varro* teſtatur *Lib. 6. de Ling. Latin.* NE QUID SCORTEUM ADHIBEATUR NE MORTICINUM QUID ADSIT. Quo reſpiciens *Ovidius* ita canit:

Scortea non illi fas eſt inferre Sacellis,
Ne violent puras exanimata Deas.

A ſcorteis iſtis pellibus meretrices quoque Scorta fuerunt appellatæ, & pelles. Nam & in Atellanis licet advertere, ruſticos dicere, ſe abduxiſſe pro ſcorto pelliculam, teſte *Varrone dicto loco.* Et illud *Levit. Cap. 15. Veſtem & pellem quam habuerit, lavabit aqua; Heſychius* Hieroſolymetanus de meretricibus interpretatur; vel, quod pellibus ſcorteis pro lecto utebantur, *Pier. Lib. 34. Hieroglyph. De pellib:* vel quod ut pellicula ſubigantur, ut eſt apud *Feſtum.* Unde *Scortum ſcorteum Apuleji Lib. 1. Miles.* pro meretrice annoſa, & inſtar pelliculæ, ac corii rugoſa, uſurpatur. L.

Cedo, inquit, illum; jam curabo ſentiat
Quos adtentarit. Tunc qui depugnaverat;
Vellem iſtis verbis ſaltem adjuviſſes modo,
Conſtantior fuiſſem vera exiſtimans.
Nunc conde ferrum, & linguam pariter futilem,
Ut poſſis alios ignorantes faliere.

Cedo]

Cedo] Terent. *Andr. Act.* 4. *Sc.* 4. *Cedo, cujum puerum hic appoſuiſti. Donatus: Cedo idem ſignificat, quod dic, & da mihi, & eſt dictum cum quadam fiducia, & contemptu ejus cum quo ſermo eſt.* Oſtendunt hæc quam appoſite hic uſurpetur. *Scheffer.*

Curabo ſentiat] Ita *Sen.* 1. *Controverſ. Vis illum veras pœnas dare? Sentiat quam injuriam fecerit bono patri*, &c. Tyrannica vox: *Sentiat ſe mori. Rigalt.* Illudit hic mortuo, imitatione credo *Virgilii* 12. *Æneid.*

En agros, & quam bello, Trojane, petiſti
Heſperiam metire jacens. Hæc præmia qui me
Ferro auſi tentare, ferunt: ſic mœnia condunt.

Schop.

Quos] Quales, quantos, ſic plane *Tacit. Agr.* 31. *Nos integri, & indomiti, & in libertatem non in præſentia mala duri, primo ſtatim congreſſu unde oſtentamus, quos ſibi Caledonia viros ſepoſuerit?* Sic hic locus vexatiſſimus alias eſt legendus: id quod amplius demonſtro, in opuſculi illius *Commentariis.* Præivit omnibus *Terentius* qui ſic in *Eunuch. Act* 2 *Sc.* 3. *Nunc Parmeno, te oſtendes, qui vir ſies. Scheffer.*

Adtentarit] Manu invaſerit, aggreſſus ſit. Ita *Cic. pro Seſt. Capuam propter plurimas belli importunitates, ab illa impia & ſcelerata manu attentari ſuſpicabatur.* At vero ICtis. *Attentari pudicitia* dicitur in *l.* 1. §. 1. & *l.* 15. §. *appellare ff. de injur.* Cum id agitur ut ex pudico, pudicave impudicus, impudicave fiat *l.* 10. *ff. eod. tit. Sen. Lib.* 2. *de Ira. Servi pudicitiam attentari non vult, qui non pepercit ſuæ?* Sic *Attentare honorem, ornamentaque l.* 15. §. *adjicitur. ff. de injur.* Unde eleganter deſumpta tranſlatione, vexare & *Attentare annonam* dardanarii dicuntur in *l.* 6. *ff. de extraord. crimin.* Et *Attentari ſententia*, in *l.* 23. §. 1. *ff. de condict. indeb.* Cum ſcilicet per appellationem, an juſta fuerit, diſcutitur. L.

Depugnaverat] De eo qui operas ſuas ut cum beſtiis *Depugnaret*, locaverat, loquitur ICtus. in *l.* 1. §. 6. *ff. de poſtul.* Verum hic & magis propria vocabuli ſignificatione *Qui depugnaverat*, eſt, qui pugnando jam certamen proſtrato ſcilicet hoſte finierat, & magis eſt ac ſi dixiſſet, pugnaverat. *Horat. Lib.* 2. *Epiſt.* 1.

Indocti, ſtolidique & depugnare paratis,

Ubi ſimpliciter eſt pugnare, & ſcribendo manum conſerere. L.

Iſtis verbis] Eleganter, *Verbis*, nam cum manibus pugnandum eſſet, pedibus ſibi conſuluerat atque hos Germani vocant **Smoulſeghters**. De quibus extat apud *Suidam* Proverbium, in eos ſcilicet qui verbis cœlum territant, cæterum ubi ad rem ipſam accedendum, imbelles & ignavi reperiuntur: ὁ λόγων ἀγαθὸς δεῖται Ἑλλάδος, ἀλλ' ἔργων; quanquam *Livius Decad.* 1. *Lib.* 8. Græcos magis lingua quam factis ſtrenuos eſſe ferebat. L.

Conſtantior] Animoſior, ſi dixiſſes modo, cum mihi negotium fuit cum latrone illo. Sic *Cicer.* 1. *de Offic. Fortis, & conſtantis animi eſt*, &c. *Scheffer.*

Futilem] Refertur & ad ferrum; *Ferrum futile*, quod ad ſpeciem inanem geſtatur, neque uſum habet. *Scheffer.*

Ego qui ſum expertus quantis fugias viribus,
Scio quod virtuti non ſit credendum tuæ.
Illi adſignari debet hæc narratio
Qui re ſecunda fortis eſt, dubia fugax.

Quantis fugias viribus] Demiſſis ſcilicet manibus, ut *Plautus* ait, & noſter ſupra *Lib.* 1. *Fab.* 29. *Demiſſis pedibus. Rittersh.* Ad hunc modum dixit *Plaut. Amphitr. Cum illi pugnabant maxime, ego tum fugiebam maxime. Rigalt.* Longe feſtiviorem huic loco interpretationem fore puto illis *Plauti* verbis *Trinum. Sc. Sta iſtic: ubi* ſervus de hero ſuo ignavo loquitur, cum præ inopia aliquo protugiturum latroci-

trocinatum vel in militiam:

Credo ad summos bellatores acrem fugitorem fore,
Et capturum spolia ibi illum, qui meo hero adversus venerit.

Dicit itaque viator joco quodam se jam opere expertum, quam soleat comes suus vires suas non in defendendo, & arcendo hoste, sed vero in fugiendo exercere, eumque acrem, & fortem esse fugitorem. *Schop.*

Scio quod] Sunt quibus hoc minus Latinum esse videatur, *Scio quod strenuus es*; *Scio quod venturus es* &c. At ego reperiri apud *Ciceronem* ipsum asseverare possum. Nam apud *Justinum* quidem & *Quintum Symmachum*, florentissimum scriptorem sæpe reperias. *Fab.* Et *Plaut. Asin. Act.* 1. Sc. 1. Dixit, *Equidem scio jam filius quod amet meus.* Adde *Voss. de Construct. Cap.* 20. & 62. *Scheffer.*

Virtuti] Quippe quæ in fugiendo est, non in pugnando, tota: respicit præcedens; *Quantis fugias viribus. Scheffer.*

Qui re secunda fortis est] Qui est:

Extra bella Leo, lepus in discrimine pugnæ.

Ut aliquando faciebam ex hoc *Nonii* versu in *Dionysiacis*, quo θρασύδειλος denotatur:

Νόσφι μέθοιο λέοντες, ἐνὶ πτολέμοισι λαγῳοὶ.

Rittersh. Scilicet ut secundis rebus attollimur, ita adversis affligimur. *Quippe*, inquit, *Sallust.* in *Bell. Jugurth. Cap.* 53. *Res humanæ ita sese habent; in victoria vel ignavis gloriari licet: adversæ res etiam bonos detrectant.* Et talis depingitur apud *Tacit. Lib.* 4. *Histor. Cap.* 20. *Paganorum, lixarumque ignava, sed ante periculum procax manus.* L.

FABULA

FABULA TERTIA.

Calvus, & Muſca.

CAlvi momordit Muſca nudatum caput:
Quam opprimere captans, alapam ſibi dixit gravem.
Tunc illa iridens: punctum volucris parvulæ
Voluiſti morte ulciſci, quid facies tibi.
Injuriæ eam qui dederis contumeliam?

Calvus, & Muſca] Vide *Camerar. Pag.* 185. *Rigalt.*

Nudatum caput] Proprie, ſed tranſlata ſignificatione, *Nudata res propter jacta*, dicuntur in *l.* 4 §. *ult. ff. ad leg. Rhod. de jact.* Et elegantiſſima metaphora *Poſt nudata utriuſque intima*, in *l.* 3. §. 1. *ff. de recept. qui arbitr. recep.* L.

Alapam ſibi duxit] Sic pugnum ducere eleganter dixit *Paulus* ICtus, in *l.* 4. *ff. de Injur. Si cum ſervo meo pugnum ducere vellem, in proximum te ſtantem invitus percuſſerim, injuriarum non tenor. Rittersh.* Vetus aliquis apud *Fabium Lib.* 7. *Caſ.* 3. *Colaphum tibi ducam, & formulam ſcribam, quod caput durum habeas.* Patet autem hinc, non in faciem ſolam alapam dari. *Scheffer.* Hoc etiam modo *Ducere colaphum* dixit *Quintilian. Lib.* 6. *Cap.* 4. L.

Punctum] Id eſt, punctionem. *Rittersh.* Sic *Pſyche Miles.* 5. *Depromit unam de pharetra ſagittam, & puncto pollicis extremam acrem periclitabunda trementis etiam nunc articuli nixu fortiore pupugit altius.* Item: *Miratur de brevi punctulo tantum incrementulum locupletis uteri. Rigalt.* Atque ita *Plin. Lib.* 7. *Caſ.* 50. *Oculis ſuffuſos*

capra junci puncto, sanguine exonerat, caper rubi. Scheffer.

Volucris parvulæ] Minus proprie: nam musca insecti genus est. L.

Contumeliam] Vide supra *Lib. 1. Fab. 3. Scheffer.* Est autem hæc ὑστερολογία, dicere enim debuisset contumeliæ eam qui dederis injuriam; nam alapam sibi infligendo injuriam faciebat, & calvities ipsi erat probro, & contumeliæ: ita enim *Suetonius* de Tito Flavio Domitianio in Vita ejus *Cap. 18. Calvitio*, inquit, *ita offendebatur, ut in contumeliam suam traheret, si cui alii joco, vel jurgio objectaretur.* Et eleganter in calvitiem, ejusque exprobrationem *Petronius* ludit:

Quod solum formæ decus est, cecidere capilli,
Vernantesque comas tristis adedit hyems,
Nunc umbra nudata sua jam tempora mærent
Areaque attritu ridet adusta pilis.
O fallax natura Deum: quæ prima dedisti
Ætati nostræ gaudia prima rapis,
Infelix modo crinibus nitebas,
Phæbo pulchrior, & sorore Phæbi:
At nunc lævior ære vel rotundo
Horti tubere quod creavit unda,
Ridentes fugis, & times puellas,
Ut mortem citius venire credas,
Scito jam capitis perisse partem.

L.

Respondit: mecum facile redeo in gratiam,
Quia non fuisse mentem lædendi scio:
Sed te, contempti generis animal improbum,
Quæ delectaris bibere humanum sanguinem,
Optem necare, vel majore incommodo.

Mecum facile redeo in gratiam] Non ut ille apud *Horatium*:

—— *Egomet mî ignosco, Mævius inquit.*

Schop.

Non fuisse mentem lædendi] Injuria autem æstimatur ex animo cujusque, nec absque affectu & captu contumeliæ fit, non magis quam furtum absque affectu furandi committitur. Accedit etiam hoc loco illud, quod nemo sibi ipsi proprie loquendo injuriam facere potest: de quo *Aristotelis* disputatio in medio est *Lib. 5. Ethic.* Videtur autem hic distinguere injuriam à contumelia: quæ ut differant, alicubi docet ex *Pacuviano* versu:

Facile patior injuriam, quæ est vacua à contumelia.

Item ex *Sen. Lib. 2. In sapientem non cadere injuriam. Rittersh.*

Animal improbum] Muscæ improbitas, & impudentia etiam in Proverbium abiit. *Rittersh.* Hinc Ægyptios impudentiam significantes muscam pinxisse tradit Orus. Illa enim intrepide homines, & cibum alienum aggreditur, & ægre abigi potest. Vide *Homer. Iliad. ρ.* Sed dictum jam supra. L.

Delectaris bibere humanum sanguinem] *Meleager Anthol. 7.*

Ὀξυβόαι κώνωπες ἀιαίδεις, αἵματος ἀνδρῶν
Σίφωνες, ἀνδρῶν κνώδαλα διπτέρυγα.

Rigalt. Notandum autem hic *Delectaris*, absolute poni. *Scheffer.*

Vel majore incommodo] Scilicet:

—— *vindicta bonum vita jucundus ipsa.*

Ut est apud *Juvenalem*, & *Ovid. 1. Amor. 7.*

—— *minuet vindicta dolorem.*

At optimum contra hanc animi infirmitatem; (nam

—— —— *minuti*
Semper & infirmi est animi, exiguique voluptas
Ultio. ——

Ut habet *Juvenalis*) est *Phocylidis* consilium:

Μὴ μιμοῦ κακότητα, δίκῃ δ' ἀπάλειψον ἀμύνας
Πειθὼ μὲν γὰρ ὄνειαρ, ἔρις δ' ἔριν ἀντιφυτεύει.

Id est:

Noli imitari malum virorum, sed justitiæ relinque vindictam,
Conciliatio enim utilitatem: sed contentio contentionem gignit.

L.

Hoc argumentum, veniam mage dari docet,
Qui casu peccat, quam qui consilio est nocens.
Illum esse quavis pœna dignum judico.

Qui casu peccat] Ad *Aristotelicam* disputationem hæc pertinent, quæ est *Lib.* 3. *Ethic. Nicom.* Veniam tribuimus ei, qui non sponte, & deliberato animo, sed vel casu, vel per ignorantiã peccat. Pœna autem afficimus eum, qui consulto consilio, & ἐκ προαιρέσεως peccat. Exemplo tamen est Oedipus nonnunquam etiam eos puniri, qui κατ' ἄγνοιαν delinquunt. Quanquam enim & patrem Laium inscius inscius interemit, & cum matre Jocasta incestas contraxit nuptias, ignorans matrem suam esse: tamen horrendis pœnis, & ipse & tota ejus domus involuta, ac mulctata est. Sic & *Papiniano* auctore, vel *Demosthene* potius, Lex delicta non tantum sponte sed etiam ignorantia contracta interdum coërcet: ἔστιν ἐπανόρθωμα τῶν ἑκουσίων καὶ ἀκουσίων ἁμαρτημάτων. Quid? quod etiam cogitatio ac meditatio sceleris & affectus nonnunquam pro effectu punitur. Exemplum præbet Glaucus apud *Herodot. Lib.* 6. & *Iuvenal. Sat.* 13. *Rittersh.* Hinc *Casu*, & *Voluntate* opponuntur in *Rubr. Nov. Theod. de Homicid. Casu vel vol.* Unde etiam *Fortuito facere homicidium* quis dicitur in *l.* 5. *C. ad leg. Cornel. de sicar.* Atque hoc est quod dixit ICtus. in *l.* 11. §. *delinquitur. ff. de pæn. Casu delinquitur, cum in venando, telum in feram missum hominem interfecit.* In quale peccatum, per casum, vel imprudentiam admissum, Legislatores pœna, saltem ordinaria, non animadvertunt. Nam ut est apud *Liv. Lib.* 1. *Mens peccat, non corpus, & unde consilium abfuerit, culpa abest.* Et, *Non exitus rerum, sed hominum consilia vindicantur, Cic. pro Mil.* Quam sententiam expressurus Hadrianus Imperator in *l.* 14. *ff. ad leg. Cornel: de sicar. In maleficiis voluntatem non exitum* spectari rescripsit. Et Comicus, cum furti crimen ab adversario sibi objectum purgat, fatetur personas quasdam ex Græca fabula in Eunuchum à se translatas; sed sine crimine, non enim imprudentiam crimen esse:

Si id est peccatum, inquit, *peccatum imprudentia est*
Poëtæ: non qui furtum facere studuerit.

Eodemque argumento *Ovidius* errorem à crimine vindicans, fortunæ, non sceleri adscribit *Lib.* 3. *Metamorphos.*

At bene si quæras fortunæ crimen in illo
Non scelus invinies, quod eum scelus error habebat?

Ex quibus aliisque similibus, quæ in hanc sententiam observari possent, satis liquet culpam extra crimen esse, modo non adfuerit animus, & consilium delinquendi. Atque ita casus etiam fato potius, quam noxæ imputatur, si modo culpa non præcesserit, & omnino fortuitus fuerit: ut enim *Plato* scripsit 9. *de Legib. Fortunæ imperare nullus legislator potest.* Et ut idem 12. *de Legib: Mali ignavique semper puniendi sunt, ut meliores, fortioresque evadant, infortunati vero minime.* Quod si culpa præcesserit, & quasi causam casui dederit, non est extra pœnam, & ita accipienda est *l.* 5. §. *ult.* & *l.* 11. §. *casu. ff. de pæn.* L.

Consilio] Opponitur præcedenti *Casu*, id est, animo deliberato *Cic. Epist.* 5. *Quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quam consilio fortem fuisse. Scheffer.*

Illum]

Illum] Non ad ſuperius, ſed proxime antecedens referendum, quanquam dubitem, utrum non poſt *Peccat* ſcribendum ſit punctum, & mox, *Nam qui* &c. *Scheffer.*

FABULA

FABULA QUARTA.

Aſini & Porcelli.

QUidam immolaſſet Verrem cum Sancto Herculi,
Cui pro ſalute votum debebat ſua,
Aſello juſſit reliquias poni hordei.

Immolaſſet verrem] more ſcilicet, quo cæſo porco ſacrificabant, uti eſt apud *Juvenal. Sat. 2. Verſ.* 87.

Atque bonam tenera placant abdomine porcæ
Et magno cratere Deam. ——

Loquitur de ſacris Bonæ Deæ fieri ſolitis, quæ ad ejus cultum pertinebant. Nam, ut ſcribit *Macrobius*, *Sus pragnans ei mactabatur, quæ hoſtia propria eſt terræ.* Idem etiam *Juvenal. Sat.* 10. *Vers.* 355.

—— *voveasque facello*
Exta, & candiduli divina tomacula porci.

Et *Sat.* 13. *Vers.* 117.

Ponimus, & ſeſtum vituli jecur albaque porci
Omenta? ——

Sic & *Horat. Lib.* 3. *Carm. Ode* 23.

Si thure placaris, & horna
Fruge Lares, & avidaque porca.

L.

Sancto Herculi] In Vet. Marm.

HERCULI. SANCTO. SAC.
P. POMPONIUS. NOETUS.
VOTUM. SOL.

Arnob. Lib. 5. *At ille Hercules Sanctus Deus natas quinquaginta de Theſio nocte una perdocuit.* &c. Nihil ergo mutandum. *Rigalt.* Nec temere addidit *Sancto.* Nam Hercules olim proprie *Sanctus Pater*, ut ex Varrone probare poſſum; *Propertius* quoque ſcripſit Herculem alloquens,

Sancte

Sancte Pater salve, cui jam favet aspera Juno
Sancte velis libro dexter adesse meo.

Fab. Scio quæ *Scaliger ad Varr.* de *Ling. Lat. Lib.* 4. De hoc vocabulo ex Sanqualis portæ nomine differat, sed mihi non persuadet, Certe & *Ovidio*, *Propertioque* ita scribitur. Nec aliter *Plutarchus* aut *Inscriptiones veteres*. Vide *Gyraldum. Scheffer.* Idem epitheton Dianæ tribuit in *Epist. Acontii Cydippe*, circa finem *Ovidius*:

Quod quia sit lectum Sancta præsinte Diana,
Esse tuam vinctam, numine teste fidem.

L.

Votum debebat] Quod scilicet pro salute sua nuncupaverat: nam ea proprie locutione utebantur. *Valer. Max. Lib.* 1 *Cap.* 1. 8. *Cum Marcellus templum honori, & virtute, Clastidio prius, deinde Syracusis potitus, nuncupatis votis consecrare vellet.* Etiamsi autem *Nuncupare vota*, generaliter usurpetur, idemque sit, quod concipere, vel suscipere vota, vel facere vota, tamen ex *Festo* disces Romanos scriptores speciatim nuncupata vota appellasse ea, quæ magistratus ituri in Provinciam faciebant, quomodo dicto loco usurpavit & *Valerius Maximus*, Deinde & ea vota, quæ pro salute Principis suscipiebantur, ita appellabantur teste *Torrent. ad Odem* 2. *Lib.* 4. *Horat. p.* 285. Veteres quoque *Concipere vota*, pro *Nuncupare*, solemniter dixerunt. *Flor. Lib.* 4. *Cap. ult. Illi*, inquit, (scilicet Mysii) *ante aciem immolato equo, concepere votum, ut cæsorum extis ducum, & litarent, & vescerentur.* Quod idem alibi per *Nuncupare* expressit. Nam *Lib.* 1. *Cap.* 2. ait: *Festivæ Prænestæ deliciæ nuncupatis in Capitalio votis petebantur.* Quales & similes locutiones apud Christianos haud aliud denotarent, quã ardentissimas preces ad Deum pro incolumitate, vel Principis, vel expeditionis prospero successu effundere. L.

Poni] Apponi, in cibum videlicet, ut *Martialis Lib.* 8.

——— *ponis mihi, Gallice, porcum.*

Vide supra *Lib.* 1. *Fab.* 26. *Scheffer.*

Hordei] Quo saginaverat Verrem illum; nescio an versu aliquo id significarit noster, qui nunc abest: nam quia facile intelligitur ex sequentibus, etiam hic brevitate sua usus esse potuit. *Scheffer.*

Quas aspernatus ille, sic locutus est:
Tuum libenter prorsus adpeterem cibum,
Nisi qui nutritus eo est, jugulatus foret.
Hujus respectu fabulæ deterritus
Periculosum semper reputavi lucrum.

Aspernatus ille] Recusans. Nam *Aspernari*, recusare etiam in jure significat *l.* 1. *ff. quod quisque jur. in alt. stat.* Sic, *Non aspernatur Prætor consilium*, *l.* 8. *ff. de collat.* L.

Jugulatus foret] Proprie; quia cultro porci immolandi jugulum præcidebatur. *Cic.* 5. *Tusc. Nec grunnitum audiunt cum jugulatur sus.* Ita *Virgil. Lib.* 10. *Æneid.*

Hæc loquitur jugulo que haud inscius accipit ensem.

Et *Ovid.* 1. *Metamorph.*

Obsidis unius jugulum mucrone resolvit.

L.

Hujus respectu fabulæ] Miror religiosulos istos, qui respectus voce uti dubitant; quam tamen *Livius* frequentat *Lib.* 35. *Romanorum maxime respectu civitates movit, & virtutem nuper in bello, & in victoria justitiam benignitatemque expertas.* Et *Lib.* 39. *Sin aliquis respectus est mei, ut socii atque amici regis, deprecor ne me tanta injuria dignum judicetis. Schop.* Estque idem hic quod intuitu, consideratione, sic *Ovid.* 1. *Trist. Eleg.* 3.

Et voluisse mori ———
Respectuque tamen non potuisse mei.

Scheffer. Eodemque modo apud ICtos. usurpatur, ut, *Respectu dignitatis agis*, id est,

id est, contemplatione, & intuitu, *l.* 38. §. *omne. ff. de pæn.* Sic *Respectu mariti*, id est; ejus contemplatione, *l.* 19. §. *potest esse. ff. de pecul.* Et *Respectu proprietatis*, *l.* 28. *ff. de acquir. posses. Respectu aliarum personarum*, *l.* 31. *ff. depos.* L.

Periculosum semper reputavi lucrum] Intellige de turpibus, & injustis lucris, de quibus *Hesiodium* illud notum est:

Μὴ κακὰ κερδαίνειν. κακὰ κέρδεα ἴσ' ἄτῃσι.

Id est:

Ne male lucreris: mala lucra æqualia damnis.

Ἐκ τῶν γὰρ αἰσχρῶν λημμάτων τοὺς πλείοναι

Ἀτωμένους ἴδοις ἂν ἢ σεσωσμένους.

Hoc est:

Ex turpibus lucris periisse videris
Plures, quam ab ipsis qui salutem invenerint.

Ut ait *Sophocles Antigona.* Et mox ibidem:

Τὰ δεινὰ κέρδη πημονὰς ἐργάζεται.

Id est:

Lucrum improbe partum merum infortunium est.

Sic *P. Syrus*:

Damnum appellandum est cum mala fama lucrum.

Multos tamen reperias, qui cum illo sentiant, nescio quo, quem sic loquentem facit *Pomponius Prostibulo*: *Ego rumorem parvi facio, dum sit rumen qui impleam. Rittersh.* At in hanc *Phædri* sententiam est Poëtæ, nescio cujus consilium:

Sperne lucrum; vexat mentes vesana libido.

Et Græci Comici:

Καλῶς ἀκούειν μᾶλλον ἢ πλουτεῖν θέλει.

Id est:

Famam libenter opibus anteponito.

L.

Lucrum] Congestas opes lucro, tanquam rem, quæ possessores suos in pericula varia inducat. *Scheffer.*

Sed dicis; qui rapuere divitias, habent.
Numeremus, agendum, qui deprehensi perierint:
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

Rapuere] Notandum τὸ *Rapuere. Meurs.*

Habent] Ita *Juvenal. Sat.* 14. *Vers.* 207.

Unde habeas quærit nemo, sed oportet habere.

L.

Deprehensi] Qui ob opes variis accusationibus circumventi, & suppliciis affecti fuerint: respicit calamitatem temporum suorum, quibus præsentissimum periculum ex magnis divitiis. Docet *Tacitus*, & *Suetonius*, *Vita Tiberii*, quos vide. *Scheffer.*

Paucis temeritas est bono; multis malo] Videtur exprimere veterem versum:

Προπέτεια πολλοῖς ἐστὶν αἰτία κακῶν.

Id est:

Multis malorum est causa præcipitantia.

Contra τὴν εὐλάβειαν χρησιμωτάτην θεῶν, vocat *Euripides Phœnissis*:

Dea utilissima cauta circumspectio est. Rittersh.

Est bono] Commodo, utilitati. Ita *Cic. pro Roscio*: *Accusant ii, quibus occidi patrem Roscii bono fuit. Scheffer.*

Multis malo] Ita etiam est apud *Polyb. Lib.* 4. *Ego*, inquit, *id verum esse existimo, quod dici solet, temeritatem sæpenumero homines ad insaniam, & nihilum adducere* L.

FABULA

FABULA QUINTA.

Scurra, Rusticus.

PArvo favore labi mortales solent,
Et pro judicio dum stant erroris sui,
Ad pœnitendum rebus manifestis agi.

Parvo favore] Elegans in hanc sententiam *Aristophanis* judicium apud *Vitruvium Præfat. Lib.* 9. *Rigalt.* Vide quæ dixi in opusculo *de Stylo. Cap.* 10. *Scheffer.* Optime in hanc *Phædri* sententiam dixit *Gregor. Lib.* 3. *Moral. Qui pro virtute quam egit, humanos favores desiderat rem magni meriti vilipretio portat venalem:* Et elegantissime *Sen. Epist.* 28. *Nunquam*, inquit, *volui placere populo; nam quæ ego scio, non probat populus; quod probat populus, ego nescio. Quis enim placere potest cui non placet virtus. Malis artibus popularis favor acquiritur. Similem te illis facias oportet, alioquin non probabunt, nisi agnoverint.* Cui convenit illud apud *Machiavellum* dictum:

Qui populari auræ innititur domum in luto extruit.

L.

Pro judicio dum stant] Locutio ex re bellica translata. *Liv. Lib.* 38. *Pro Iuba atque Afris stetisse*, id est, partes eorum propugnasse. *Scheffer.* Ita *Cic. de Clar. Orat. Nemo à Senatu & à bonorum causa stetit constantius.* Et *Terent.* in *Phorm. Ni hæc ita essent, cum illo haud stares Phædria*, id est, pro illo. Simili plane significatione eleganter apud *Cicer.* 2, *de Invent.* dicitur: *Stare à mendacio contra verum*, pro eo quod est tueri falsum, & verum oppugnare. L.

Erroris sui] Nam ut ait, *Cic.* 4. *Acad. Plerique errare malunt, eamque sententiam quam*

quam adamaverunt, pugnacissime defendere, quam sine pertinacia, quod constantissime dicatur, exquirere. L.

Rebus manifestis] Tò S. hic quoque elidi videtur. *Rittersh.*

Agi] Impelli, eleganter, in respectu ad vim veritatis. *Scheffer.* Metaphorica scilicet significatione. Nam proprie *Agere* etiam significat ante se pellere, & ut *Paulus* apud *Festum* exponit, *Minare:* quod verbum non tantum eo loci usurpavit, verum & in Agasonum definitione, quæ apud eum extat hujusmodi: *Agasones equos agentes, id est, minantes.* Cui verbo barbariei notam inuri non patiuntur *Ausonius*, & *Apulejus*, quorum uterque eodem verbo usus est. Atque ut id antiquitus receptum credam, moveor *Nævii*, veteris Comici Poëtæ auctoritate, ex quo idem *Festus Lib.* 13. hæc verba citat: *Sequimini, præminate*, nisi aliquod mendum subest. Sic *Agere jumentum, vel vehiculum, l.* 1. *ff. de servit. præd. rust.* Et ita verbum *Agere* accipiendum in *l.* 9. *ff. de servit. l.* 2. §. *item si in facto. l.* 4. §. 1. *ff. de verb. oblig. l. pen. ff. de aq. cottid.* & alias sæpe. *Agi dicuntur quæ animalia sunt, l.* 235. *ff. de verb. signif. Agendum eundum, l.* 1. *ff. ne quid in loc. publ.* Hinc *Actus*, quem Jurisconsulti definiunt, *Jus eundi, agendi jumentum vel vehiculum l.* 1. *ff. de servit. præd. rust. pr. Inst. de servit. l.* 1. *ff. de adim. legat. l.* 81. §. *qui fundum. ff. de legat.* 1. *l.* 13. §. 1. *ff de acceptil. l* 58. *ff. de verb. oblig. l.* 5. *ff. de servit. l.* 17. *ff. de stipulat. servor.* L.

Facturus ludos quidam dives nobilis,
Proposito cunctos invitavit præmio,
Quam quisque posset, ut novitatem ostenderet.

Facturus ludos] Expende hæc *Laërtii* verba in *Vita Socratis:* ἐποίησε δὲ καὶ μῦθον Αἰσώπειον, οὐ πάνυ ἐπιτετευγμένως, οὗ ἡ ἀρχή.

Αἴσωπος ποτ' ἔλεγξε Κορίνθιον ἄστυ νέμουσι
Μὴ κρίνειν ἀρετὴν λαοδίκῳ σοφίῃ

Rigalt. Proprie autem hoc dicitur de iis qui spectacula edunt. *Cic. de Harusp. Hos ludos servi fecerunt.* Et sic *Sueton August.* 10. *Ludos victoriæ Cæsaris non audentibus facere* &c. Sic infra *Fab.* 7. *Erat facturus ludos*, &c. *Scheffer* Quod etiam *Edere ludos* Veteribus dicebatur, *l.* 5. §. *interdum. ff. commod. l.* 17. *ff. de usu & usufr. leg.* Item *Edere spectaculum l.* 16. *ff. eod.* Et *Spectacula, l.* 4. *ff. de administr. rer. ad civit. pert. l.* 3. *C. qui manumitt. non poss.* Hinc *Editores munerum, seu ludorum, l.* 18. & 31. de *Prætor. & Quæstor.* in *Cod. Theodos.* Et apud *Symmach. Lib.* 1. *Epist.* 20. Atque hinc in *l.* 27. *ff. de oper. libert.* Julianus ait, *Ludos facere*, id est edere. Et ita *Ludos facere Ædilem* ait *Cic. Lib.* 1. *de Orat.* L.

Ludos] Hic, nisi fallor, ludos scenicos intelligit, nam Ludorum varia in jure genera, reperiuntur, eorumque variæ in libris nostris extant differentiæ, ut *Ludi Circenses, l.* 122. *ff. de legat.* 1. *l.* 2. *l.* 4. & *l. ult. de Prætorib. & Quæstorib.* in *Cod. Theodos.* Id est, *Equorum Circensium spectacula*, ut in *l.* 1. *ff. de muner. & honor.* Seu *Curulis certaminis*, ut *l.* 1. *de Eq. curulib.* in *Cod. Theodos.* Unde *Curules equi, l.* 5. *C. de spectac. Lib.* 11. *l.* 7. *C. de numerar. actuar.* Lib. 11. *l.* 4 *C. de Muner. Patrimon.* Lib 10. *Rubr. de Eq. curul.* in *Cod. Theodos.* Et apud *Symmach.* non semel. Item *Ludi scenici, l.* 122. *ff. de legat.* 1. *l.* 2. & *l.* 4. *de Prætor. & Quæstor.* in *Cod. Theodos.* Et apud *Cicer. Lib.* 3. *de Orat.* non procul ab initio. Qui *Theatrales, l.* 2. *C. de spectac. eod. Cod. Theodos. Si quis Ludos edens Prætor scenicis commodavit, l.* 5. §. *interdum. ff. commod. Ludorum, quibus moris est festivitati, intersint judices l. ult. de expens. ludor. in Cod. Theodos.* His autem *ludis operam præbere *Pantomimus* dicebatur *l.* 27. *ff. de oper. libert.* Erat etiam *Ludus gladiatorius, l.* 1. *ad leg. Fab. in Cod. Theodos. l. ult. de gladiatorib.* Unde *B. Cyprian. Lib.* 2. *Epist.* 2. *Paratur ludus gladiatorius, ut libidinem crudelium luminum sanguis oblectet.* Et *Isidor. Lib.* 18. *Etymolog.*

Cap. 52. Ludus gladiatorius inde dictus, quod in eo juvenes usum armorum condiscant, & modo inter se, aut gladiis, aut pugnis certantes, modo contra bestias incedentes, subeant ferale certamen. Ad hujusmodi ludum pertinent quæ dixit *Quintilian. Declam. 302. Non sumus magnæ legis interpretes, non ludum, nec harenam, nec armorum scientiam complexa est.* Et *Tertullian. Lib. de Patientia. Cum denique ludo, & castris se locant.* Item *Lactant. Firmian. Lib. 6. Divin. Instit. Cap. 20. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus sanguis effunditur.* Fuit quoque *Ludus venatorius*, uti legimus in *l. 8. §. ult. ff. pæn.* Et *Ludus bestiarius* apud *Sen Epist. 70.* Item *Ludus*, pœnæ mediocris genus statuitur à *Paulo Lib. 5. Sentent. Tit. 17.* Unde *Ad ludum damnari, vel in ludum*, in Lege Dei *Tit. 1.* & *l. 2. de pæn.* in *Cod. Theodos. Ludo adjudicari, l. 8. de pæn. eod. Cod. Theodos. Servos in ludum venatorium dari solere, l. 8. §. ult. ff. de pæn.* Et ita *Plin. Lib. 10. Epist. 40. Quidam vel in opus damnati, vel in ludum, & similia his genera pœnarum. Tertullian. Lib. de Spectac. Etiam qui damnantur in ludum, quale est, ut leviore delicti in homicidas emendatione proficiant. Clemens Alexandrin. de Constitut. Apostol. Cap. 1.* Εἰ τὶς Χριστιανὸς κατακρίθη ὑπὸ ἀσεβῶν, εἰς λοῦδον, ἢ θήρια, ἢ μετάλλον. Et ad hujus pœnæ genus spectant hæc *Senecæ Lib. 2. de Clement. Cap. 6.* verba: *Catenas solvi jubebit, & ludo eximet.* Porro *Ludo adjudicari* Christianos vetant Impp. Valentin. & Valens *l. 8. de pæn.* in *Cod. Theodos.* Atque ea causa est cur in constitutione quadam Constantini, in qua scriptum erat: *Si quis in ludum fuerit, vel in metallum damnatus*, Tribonianus metalli tantum mentionem fecerit, *l. 17. C. de pæn.* ut apparet ex *l. 2. eod. tit.* in *Cod. Theodos.* L.

Novitatem] Sic appellat nova inventa, *Horat. de Arte:*

Illecebris erat & grata novitate morandus
Spectator, functusque sacris, & potus, & ex lex.

Scheffer. Idemque *Lib. 1. Epist. 1.*

Quod si tam Græcis novitas invisa fuisset,
Quam nobis. ———

L.

Venere artifices laudis ad certamina
Quos inter Scurra notus urbano sale
Habere dixit se genus spectaculi
Quod in theatro nunquam prolatum foret.

Scurra] Proprie ita dicebatur turpiter facetus, & qui risum audientibus turpibus dictis commovere solet. *Horat. Lib. 1. Epist. 15.*

Scurra vagus, non qui certum præsepe teneret.

Verum hic in meliorem partem usurpatur pro homine faceto, & festivis jocis urbano, uti etiam apud *Plaut. Mostel. Act. 1. Sc. 1.* licet minus serio:

Tu urbanus vero scurra deliciæ populi
Rus mihi tu objectas?

Et in *Trinum.*

——— *neque perjurius*
Quam urbani assidui cives, quos scurras vocant.

L.

Urbano sale] Salem usurpat pro eo, quod jocosum est, & *Sentitur latente judicio, excitatque & à tædio defendit orationem*, veluti à *Fabio* exponitur *Lib. 6. Cap. 3.* Urbanus vero sal, cui inest elegantia, & eruditio quædam ex conversatione politorum doctorumque. *Scheffer.* Dixi supra. De jocis etenim hic urbanioribus, & sale, hoc est, acrimonia aliqua, & sapientia commixtis loquitur. Hinc *Plutarch. Cap. ult. Lib. 1.* Συμπεσιακῶν salsam, & acrem pulchritudinem ἁλμυρὸν κάλλος vocat. Et *Cic. de Clar. Orat. P. Scipio omnes sale, & facetiis superabat.* Itemque *Lucan. Lib. 2. Vers. 368.* De festivitate, & jocis in nuptiis adhiberi solitis loquens.

Non

Non ſoliti luſere ſales; nec more Sabino
Excepit triſtis convicia feſta maritus.

Unde *Quintilian. dicto* Lib. 6. à *Scheffero* allegato: *Salſum*, inquit, *in conſuetudine pro ridiculo tantum accipimus: natura non utique hoc eſt, quanquam & ridicula oporteat eſſe ſalſa.* Nam ſicut ſal ſuavitatem quandam cum mordacitate habet; ita etiam urbanorum joca. Sales enim, *Ciceronis* ſententia, ſunt ipſa ridicula, quæ neceſſario ſalſa oporteat eſſe. Nam ſaſum erit quod non eſt inſulſum, velut quoddam oris condimentum, quod ſentitur latente judicio, & veluti palatum excitat. L.

Habere] Sic loquitur de re inventa. *Terent. Heautontim. Act. 4. Sc. 2. Euge, habeo optimam.* Et *Virgil. in Mær.*

Incipe, ſi quid habes. ——— *Scheffer.*

Theatre] Hic videtur poſitum pro loco ubi ſpectacula eduntur, uti apud *Martial. Lib. 1.*

Quicquid in Orpheo Rhodope ſpectaſſe theatro
Dicitur, exhibuit, Cæſar, arena tibi.

Alias eſt ædificium in hemicycli ſpeciem factum, ad videnda ſpectacula idoneum, ἀπὸ τῦ θεᾶσθαι, hoc eſt, ſpectando dictum. *Virgil. Lib. 1. Æneid.*

——— *hic alta theatri*
Fundamenta locant alii. ———

Ovid. Lib. 2. Amor. Eleg. 7.

Sive ego marmorei reſpexi ſumma theatri.

Et Idem *Lib. 2. Triſt. Eleg. 1.*

——— *Ludi quoque ſemina præbent.*
Nequitiæ, tolli tota theatra jubę.

Diverſum eſt ab *Amphitheatro*, uti appareret ex *l. 7. ff. de rer. diviſ. l. 3. ff. de oper. publ.* Quid autem alterum ab altero differet, exponit *Caſſiodor. Lib. 4. Var. Epiſt. ult.* Et *Lib. 5. Epiſt. ad Maxim.* Ubi *Theatrum viſorium* interpretatur. Unde & *In theatro, ſpectare* dicuntur in *l. 2. §. ſi quid. ff. ne quid in loc. publ.* L.

Prolatum] *Proferri*, ait, *Heinſius* ad me in ſuis literis, *in theatro elegans loquendi modus. Qui & Statio reddendus Sylvarum 2 Luc. Oenethl. Ingratas Nero dulcibus theatris. Et noſter tibi profertur. Orpheus. Orphem, & Neronis laudes, duo poëmatia ex ſcriptis Lucani laudantur ab antiquis, &c. Proferetur legitur in Parmenſi quam poſſideo, editione Anni MCCCCLXXI. & recte, &c. Scheffer.*

Diſperſus rumor civitatem concitat:
Paulo ante vacua turbam deſiciunt loca.
In ſcena vero poſtquam ſolus conſtitit,
Sine apparatu, nullis adjutoribus,
Silentium ipſa fecit expectatio.

Rumor] F. *Favor*, & de ſpectatoribus applaudentibus in theatro, vel ſcena dicitur, ut infra *Fab. 7.*

——— *gratulari fautores putat.*

Plautus:

Virtute niti oportet, non favitoribus.

Idem alibi:

Sat habet fautorum ſemper, cui virtus favet.

Rittersh.

Civitatem concitat] Id eſt, convocat. Sic ſupra excitandi verbo utitur, *Lib. 4. Fab. 24.* pro eo quod eſt evocare *Rittersh.* Alia, ſed magis propria tamen ſignificatione *Concitare hoſtem* dicitur in *l. 4 ff. ad leg. Jul. majeſt.* Et *Concitare milites l. 1. ff. eod.* Unde *Concitatores populi* in *l. 19. §. actores. ff. de pan.* Et apud *Paul. Lib. 5. Sentent. Tit. 23.* Item *Concitatores ſeditionum in l. 16. ff. de appellationib.* L.

Paulo ante vacua turbam &c.] Sic *Ennius Alexandro: Jam dudum ab ludis animus atque aures avent, avide exſpectantes nuntium; propter hanc aurium aviditatem theatra replentur. Rigalt.*

Deſiciunt] Deſunt eis loca. *Cic. 4. Verr. Dies, latera, & vox me deſiciunt. Scheffer.*

Sine apparatu] Veluti *Scenicæ vestis*, vel *Aulæi*, *l.* 15. §. *si vestimentorum. ff. de usufruct.* Sed & *Apparatus* de instrumento quod in taberna servus habet, usurpatur in *l.* 5. §. *si prater. ff. de tributor. act.* L.

Nullis adjutoribus] Hinc planissime apparet τὸ *Adjutor* esse vocabulum operæ Scenicæ; quod & *Suetonii* auctoritate firmari potest in *lib. de Claris Grammat. Hic* (de Crassitio loquitur) *initio circa Scenam versatus est, dum mimographos adjuvat.* Hinc illustris quæstionis, quæ mihi ante biennium à Viro elegantissimi ingenii, & exquisitæ humanitatis *D. Chotardo Andegavensi* proposita est, solutio pendet. Et quia res est cognitione doctorum hominum dignissima, hic à me exponetur. Ζήτημα igitur propositum fuit; *Quid sit apud Eunapium Sardianum* ἀζυτρίων; sed antequam pedem promoveo, locum *Eunapii* adferam; is est in *Vita Proæresii* illius, qui *Rex Eloquentiæ* dictus olim fuit, *pag.* 117. editionis postremæ ex officina *Pauli Stephani*, neque enim meliorem potui nancisci. Κατὰ δὲ τοῦτον τὸν χρόνον ἐνέσχεν ὁ βασιλικὸς τῆς αὐλῆς ὁμιλῶ ἄνδρα καὶ δόξης ἐρασὴν καὶ λόγων, ὃν μὲν γὰρ ἐκ Βηρυτοῦ πόλεως καὶ Ἀνατολίου ἐκάλειτο, οἱ δὲ βασιλικοὶ τις αὐτῶν καὶ ΑΖΟΥΤΡΙΩΝΑ ἐπικλησιν ἔθεντο Id est, *fuit ea tempestate in aula principis quidam nomine Anatolius, ex Beryto, vir & gloriæ studiosus, & eloquentiæ, quem invidi* AZUTRIONEM *cognominarunt.* Dixerit quispiam esse corruptum locum, aut appellationem aliquam Phœniciæ, aut Syriacæ, aut Ægyptiæ originis videri, cujus prototypum fuerit αζυτ aut αζυτες, aut quid tale βαρβαρικὸν κόμμα; atque ita nil aliud ultra quærendum videri; nisi si quis illarum linguarum arcana penitissime noverit. At ego vocem Latinam esse ajo, in sonum Græcum deflexam. Eugepæ, inquies, unde isthæc monstra in Latium advehis? Audi modo, tacitus citius disces. Hoc itaque primum dico (idque à nemine negatum iri confido) Græcos scilicet non habere, quo syllabam *ju*, (per j consonum scilicet) exprimere possint; itaque pro, *adju*, debent scribere αζυ, si υ Latini vocabuli longum sit, & αζυ si breve. Quid istuc, inquies, metuo certe ut sis vitalis, lector, ita impatiens mihi videris, quisquis es. Nunc autem terminatio Græcorum να, (de accusativo loquor) apud Latinos exit in E M, ut Πλάτωνα, Platonem, &c? Nonne itaque mecum fatebris Αζυτρίωνα esse *Adjutorionem* (id est *Adjutorem*) licentia Græcis familiari, quoties ex aliis linguis aliquid in suam transferunt: inde itaque est, quod *Eunapius* addit, innuens scilicet illud vocabulum ad operam Theatricam pertinere (id quod ex *Suetonio*, & *Phædro* nostro constat) addit, inquam, καὶ ὅπ μὲν τὸ ὄνομα σημαίνειν βούλεται, ὁ κακοδαίμων τῶν θυμελῶν χορὸς. *Quæ vox quid tandem significet, facile histriones expedierint.* Quæ verba sententiam nostram plane confirmant. Quare verbum non amplius addam, satis confisus, eleganti lectori & harum rerum non rudi, ingrata non fore, quæ de azutrione à me dicta sunt. *Fab.* Atque in hanc significationem *Adjutores actoris servi* dicuntur apud JCtum. in *l.* 40. §. *servus. ff. de statuliber.* Verum *Adjutores* olim officiis, laboris levandi gratia dabantur, qui his vel valetudine impeditis, vel multitudine negotiorum obrutis opem ferrent *l.* 10. *C. de numer. liber.* Lib 12. *l.* 13. *C. de diverf. offic.* Lib. 12. Sic *Adjutor Præsidis*, *l.* 6. *C. quem. & quand. jud.* Vetus Glossarium *Adjutor* Συλλήπτωρ, Συνεργός. *Adjutor tutelæ*, quem solet Prætor permittere tutoribus constituere, qui non possunt sufficere administrationi, ita tamen ut eum periculo suo constituant *l.* 13. §. *ult. ff. de tutel. Adjutores Commentariensium l.* 4. *C. de custod. reor. Adjutores corniculariorum l. ult. ff. de jur. immunit. Magistri officiorum l.* 5. *C. de princip. agent.* Lib. 10. *Quæstoriæ*, *l. ult. C. de proxim. sacr. scrin. Sacræ memoriæ l.* 13. & *l.* 14. *C. eod. tit. Adjutores urbani officii* apud *Symmach.* Lib. 1. *Epist.* 22. Et hi Græco vocabulo *Boëthi* vocantur *l. ult. C. de tabular. scrib.* Lib. 10. Ita & *Adjutrices primæ legionis* meminerunt Impp. in *l. ult. C. de apparitor. præf. prætor.* & *l. ult. C. de castr. peculi.* Lib. 12. In qua latens mendum primus

mus detexit *Brissonius* : illic enim perperam *Adjutrice nostræ Reipublicæ*, pro, *Adjutrice nostra* legebatur. L.

Ille in sinum repente demisit caput,
Et sic porcelli vocem est imitatus sua,
Verum ut subesse pallio contenderent,
Et excuti juberent: quo facto, simul
Nihil est repertum, multis onerant laudibus,
Hominemque plausu prosequuntur maximo.

In sinum demisit caput] Quasi occulens illud, & occultans. Hinc *In sinu meo habeo*, in *l.* 27. *ff. de probat.* significat in occulto. *l.* 16. §. *Aristo. ff. qui & à quib. manum. Plane*, inquit, *ea quæ in fraudem fisci in sinus ejus collata sunt, revocanda*, id est, quæ in occulto habuit. *Lamprid.* in *Commodo* : *Prædam omnem in sinum contulit.* Alio loco : *Qui etiam condemnationes in sinum vertisse dicuntur*, id est, in privatas rationes. *Tertull.* in *Lib. de Fuga in Persecut. Paciscens cum delatore, vel milite, vel ministro aliquo præsidis sub tunica, & sinu quod ajunt.* Et *Ex sinu suo calumniatores opponere* dixit *Cicero in Verr. Lib. ubi de Venere Ericina.* L.

Et sic porcelli vocem] Talis Parmenon de quo *Plut. de Aud. Poët.* Ὥσπερ γὰρ ἡὸς βοὴν, καὶ ψόγον τροχιλίας, καὶ πνευμάτων ῥοίζον, καὶ θαλάσσης κτύπον ἀκούοντες ἐνοχλούμεθα, καὶ θυσχεραίνομεν. ἂν δὲ τις πιθανῶς ταῦτα μιμῆται, καθάπερ Παρμένων ὗν, καὶ Θεόδωρος τὰς τροχιλίας ἡδόμεθα. *Nevel.*

Excuti] Pallium videlicet, aut sinum, sic loquuntur Latini. *Cic. pro Roscio. Nihil est, Glaucia quod metuas, non excutio te. Plaut. Aulul. Act.* 4. *Sc.* 3. *Agedum, excutedum pallium. Plin. Lib.* 7. *Cap.* 36. *A janitore semper excussa, ne quid inferret cibi. Schesser.* Vocabulum juris : nam disquirere dispicere, & examinare significat. Sic *Excutere Præses* dicitur in *l. ult.* §. 1. *ff. ad municip.* Et *Excutere Prætor*, *l.* 5. §. *non passim. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. Excutere causam negligentiæ l.* 14. *ff. de offic. Præs. Excutere causas eorum qui delati fuerant*, Trajanus apud *Plin. Lib.* 10. *Epist.* 98. *Excutere crimen l.* 1. *C. de appellat. Excutere verba Senatus consulti l.* 2. §. 1. *ff. ad Sc. Vellej.* Sic *Excutere verum* dixit *Sen. Lib.* 1. *de Clement. Cap.* 20. Id quod *Excuti veritas* dicitur apud ICtum. in *l.* 13. *ff. de probat.* Id est, exquiri, ut in *l.* 6. *ff. de transact.* seu explorari. In excutienda veritate, *l.* 10. §. *tormenta. ff. de quæstionib. De excutienda fide testium l.* 3. §. *ejusdem. ff. de testib.* Sic *Excutiamus*, id est, dispiciamus, *l.* 17. *ff. de hered. instit. Excutiatur*, id est, disquiratur *l.* 5. §. *Divus. ff. de jure immunit. Excutiendum*, id est, examinandum, *l.* 13. §. 1. *ff. de offic. Præs. l.* 17. §. *& primum. ff. de adoption. Utrum jus fisci ante excutiendum sit*, *l.* 35. *ff. de jure fisci. Excussis probationibus Plin. Lib.* 6. *Epist.* 30. Ita *Jus excutere, & rationem*, item, *Excussa parte utraque* apud *Quintil. Declam.* 264. Et *Excuti numerus populi*, apud eundem *Declam.* 263. Eodem modo *Excutere*, id est, scrutari dicitur, in Edicto de Inspiciendo Ventre ; *Custodes qui ante conclave positi erunt, si volunt, omnes qui domum, aut conclave introierint excutiant*, *l.* 1. *ff. de inspic. ventre*, & alibi sæpius. L.

Hoc vidit fieri Rusticus : Non mehercule
Me vincet, inquit ; & statim professus est,
Idem facturum melius se postridie.

Fit turba major: jam favor mentes tenet,
Et deriſuri, non ſpectaturi ſedent.

Vincet] Ita *Virgil. Eclog.* 8.

Hæc memini & victum frustra contendere Thyrſin.

Et *Horat. Lib.* 1. *Epiſt.* 4.

Scribere quod Caſſi Parmenſis opuſcula vincat.

L.

Tenet] Eleganter, favor erga ſcurram ita occupatas habuit multitudinis mentes, ut adempta eſſet eis omnis libertas judicandi. Ergo perperam *Urſinus* illud *Jam* immutat in *Nam*. Non enim verba hæc ad membrum antecedens referuntur. *Scheffer.* Ita *Pictura Artificum oculos tenere*, dicitur apud *Plinium* in *Epiſtolis*, id eſt, occupatos habere, & in contemplationem, ac admirationem ſui adducere. *Horat. Serm. Lib.* 1. *Sat.* 4.

——— *vitiis teneor.* ———

Et *Lib.* 1. *Epiſt.* 7.

Tam teneor dono, quã ſi dimittar onuſtus.

Atque ita *Tenere*, pro adſtringere, obligare, obnoxium habere uſurpatur; quemadmodum decretum tenere dicitur in *l.* 23. *ff. de excuſat.* Sic *Tenet omnes nuptiatio*, *l.* 18. *ff. de op. nov. nunciat.* Lex quoque tenere aliquem dicitur. Vide *Tiſ. de Adulter.* Et *Sen. Controv.* 11. *Pag.* 595. Et conſtitutiones, *l.* 25. §. *ſi quis. ff de injur.* Eodemque ſenſu dicitur quæſtio tenere unum ex hæredibus, *l.* 29. *ff. de except. rei judic.* L.

Uterque prodit. Scurra digrunnit prior,
Movetque plauſus, & clamores ſuſcitat.
Tunc ſimulat ſeſe veſtimentis Ruſticus
Porcellum obtegere, quod faciebat ſcilicet,
Sed in priore quia nil compererant, latens
* * * * *
Pervellit aurem vero quem celaverat,
Et cum dolore vocem naturæ exprimit.

Digrunnit] Porcorum eſt grunnire; hinc ille Marcus Grunnius Corocotta Porcellus, cujus teſtamentum in *B. Briſſonii Formulis* legitur. *Rigalt.*

Movetque plauſus] Commovet multitudinem ad edendos plauſus manibus: ſic enim ſolent, cum quid approbarent. Vide *Ferrar. de Acclamat. Scheffer.*

Scilicet] Eſt confirmantis; *Donatus* alicubi explicat per *ſcire licet. Scheffer.*

Compererant] Spectatores: Iſtuc enim hæc ſunt referenda. *Urſinus* verſum hunc omittit, credo, quod non intelligeret, ac locum mutilum putaret, ut fecerunt alii. *Scheffer.*

Latens] Scilicet ruſticus. Vult ſpectatores non habuiſſe eum ſuſpectum, ac propterea nec ſinum excutere juſſiſſe. Et ſic *Latere* uſurpant, pro non obſervari, non intelligi. *Scheffer.* Atque ita *Incrementum latens* dicitur in §. 20. *Inſt. de rer. divis.* Quod per alluvionem accreſcit, lucrum ſcilicet minutatim, obſcure, καὶ ἀνεπαισθήτως increſcens, quod obſervari, nec animadverti poteſt. Et *Latens fugitivi vitium* in *l.* 55. *ff. de adilit. edict.* L.

Exprimit] Eleganter, & proprie, quaſi premendo elicit, ita exprimere, oleum, vel liquorem dicimus. *Plin. Lib.* 14. *Expreſſo vino infunditur aqua vinacea.* Sic *Area ad frumenta, ceteraque legumina exprimenda l.* 14. §. *ult. ff. de aliment. vel cibar. legat.* Atque hinc ICtis etiam idem quod extorquere ſignificat, ut *Exprimi veritas tormentis* dicitur in *l.* 1. §. *quæſtioni. ff.*

ni. ff. de quæſtionib. ideſt erui. *Favor libertatis exprimit ſententias benigniores l.* 32. §. *ult. ff. ad leg. Faleid.* Et apud *Sueton. in Tiber. Cap.* 19. *Tormentis expreſſa confeſſio.* L.

Adclamat populus: Scurram multo ſimilius
Imitatum, & cogit Ruſticum trudi foras,
At ille profert ipſum porcellum è ſinu,
Turpemque aperto pignore errorem probans;
En hic declarat, quales ſitis judices.

Adclamat] An ſcribendum eſt: *At clamat?* iſto ſenſu: licet verum porcellum ruſticus compulerit vocem edere, nihilominus clamat populus, &c. *Scheffer.* Verum vocabula hæc *Adclamare*, & *Adclamatio*, proprie de turba & multitudine uſurpantur, & præſertim cum applauſu & vociferatione alicui gratulantur. *Cic. pro Cecin. Populus cum riſu Adclamavit ita eſſe.* L.

Aperto pignore] Ideſt, claro, ac manifeſto. *Pignus* notat argumentum certiſſimum. *Curtius: Nullum erga me benevolentiæ pignus atque indicium omiſiſtis. Scheffer.* Manifeſtiſſimi ſcilicet, & craſſiſſimi erroris ruſticus ſpectatores convincebat, & hinc eleganter vocabulum *Aperto* uſurpatur, quemadmodum *Aperta fraus* dixit Imp. in *l.* 3. *C. de jure fiſci l.* 10. *C. de admin. tut.* Et *Apertæ fruſtrationes l.* 7. *C. de execut. rei judicat.* Atque ita *Aperte agi* dicitur in *l.* 22. § *ſi in. ff. rat. rem hab. l. ult. ff. de donat. caus. mort. Aperte apparebit l.* 10. *ff. de inoffic. teſtam. Aperte approbatum, l.* 39. *ff. de acquir. poſſeſſ. Aperte cavetur lege, l.* 5. *ff. ad leg. Iul. ff. de adulter. Aperte convicti, l. ult. C. quor. appellation. Aperte iniquum eſt l.* 63. §. *ſi ſub conditione. ff. ad Sc. Trebell.* id eſt, palam, & manifeſte. L.

POETA AD PARTICULONEM.



ADhuc superſunt multa quæ poſſim loqui,
Et copioſa abundat rerum varietas:
Sed temperatæ ſuaves ſunt argutiæ,
Immodica offendunt. Quare, vir ſanctiſſime,

TEmperatæ] Ideſt, moderatæ: Nam *Temperare* etiam in jure pro moderare ponitur. Sic *Temperari decreto* res dicitur, *l.6. ff. de legat. præſtand. Temperanda res decretis, l.85. §. ult. ff de reg. jur. Temperanda res eſt, l.17. ff. de uſur.* Sic quoque *Temperari ſententiam* dicit *Paul. Lib.5. Sentent. Tit. 3.* Et *Temperare conditionem ſole: Prætor, l.4. ff. de condit. & demonſtr.* Ut & *Temperandum eſt arbitrio Prætoris, l. 16. ff. ex quib. caus. major.* Et *Temperanda juriſdictio l. 1. C. de pign.* Item *Temperare dolorem l. 38. §. Imperator. ff. ad leg. Iul. de adult.* Hinc *Temperamentum* in *l. 28. ff. de ædilit. edict.* Et *Temperamentum benignitatis, l.11. ff. de pæn.* Item *Cum aliquo temperamento temporis, l. 105. ff. de ſolut.* Sic *Temperamentum admittere* in *l. 5. §. ult. ff. de pæn.* Et ſimilia. L.

Immodica offendunt] Πᾶν γὰρ τὸ πολὺ πολέμιον τῇ φύσει. inquit, *Hippocrates.* πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, ut alius fecit:

Καὶ γὰρ καὶ μέλιτος τὸ πλέον ἐστὶ χολή.

Id eſt:

Mel quoque fel fiet, ſi nimium fuerit.

Rittersh. Et jocum ideo inventum ait *Ariſtoteles, Lib. 8. Politic. Cap.3.* Ut qui laborat, habeat recreationem. Hinc *Sen. Lib. de conſtant. Sap. Cap.17. Iocis temperatis delectamur imodicis iraſcimur.* L.

Offen-

Offendunt] Abſolute, moleſta ſunt, ac tædioſa. Sic *Cic. pro Cluent Bis apud judices offendit.* Et *Tacit in Vita Agric. Cap. 22. Honeſtius putabat offendere, quam odiſſe. Scheffer.* Et ita etiam apud ICtos. *Offendere* eſt aliquem dicto, factove lædere, & eo modo, ejus iracundiam provocare. *Servus miſſus in villam, quia dominum offenderat l. 35. §. rerum. ff. de hered. inſtit. Si nemo ſervorum offenderit, l. 51. ff. de manumiſſ. teſt.* Hinc *Offenſus*, iratus, exacerbatus, ſive, *ad odium incitatus*, ut loquitur *l. 19. ff. de inoffic. teſtam. Si manumittere nolit dominus ſervum propter fugam offenſus, l. 5. §. plane. ff. de condict. caus. dat. Offenſum atque iratum patrem ad exhere dationis notam prolapſum eſſe, l. 18. C. de inoffic. teſt. Mater jure contra filiam offenſa, l. 31. §. 1. ff. de donat.* Hinc *Offenſa* dicitur animo hærens indignatio, & ira ex alicujus malo merito concepta. Sic *Levis offenſa* graviſſimis inimicitiis opponitur, *l. 3. §. ult. ff. de adim. leg. Offenſa* domini irati in ſervos, *l. 5. C. famil. erciſc. Quibuſdam ſervis per offenſam excluſis, l. 51. ff. de manumiſſ. teſtam. Filius cum offenſam patris vereretur, l. 46. ff. de hered. inſtit. Offenſam ægræ mulieris maritali ſermone placaverat, l. ult. ff. ſi quis al. teſt. prohib.* Et *Iuſtam offenſam matri præſtitiſſe* dicuntur filii, *qui teſtamenti factionem per teſtationem matri interdixerunt, l. 23. C. de inoffic. teſt.* Hinc tranſlata ſignificatione dicitus *Servitus ne proſpectui offendatur, l. 15. ff. de ſervit. prædior. urban.* id eſt, *Officiatur*, ut *l. 3. ff. eod. tit.* Sed & *Offendere* etiam *Edictum, Legem, Senatus conſultum* dicitur, qui adversus ea quid facit, committit. Sic, *Non offendit Edictum, l. 5. §. 1. ff. ſi quis omiſſ. caus. teſtam. Iudex ſi quid adverſus legis præceptum in judicando, dolo malo prætermiſerit, legem offendit, l. 40. § ult. ff. de judic. Ita tamen ut legi non offendat, l. 1. ff. de uſur. Is Senatus conſultum offendit, qui &c. l 3. §. 1. ff. ad Sc. Maced. Ne manifeſtam Senatusconſulti ſententiam offendat, l. 17. C. de excuſat. tutor.* Hinc *Sine offenſa edicti* in *l. 6. ff. de poſtul.* Id eſt, ſine violatione, & ut vulgo loquimur, ſine contraventione. L.

Particulo, nomen chartis victurum meis,
Latinis dum manebit pretium literis,
Si non ingenium, certe brevitatem adproba,
Quæ commendari tanto debet juſtius,
Quanto Poëtæ ſunt moleſti validius.

Chartis] Quia in iis Fabulas ſuas, & Poëmata conſcripſerat. Hinc *Chartea ſupellex Vatum* apud *Auſonium* dicitur. *Chartæ* autem à *Membranis* ſeparantur, *l. 9. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. §. Literæ. Inſt. de rer. diviſ.* Ac plane *Chartas*, ſupprimente Ptolomæo, Membranas Pergami repertas, *Plinius* ex *Varrone* tradit *Lib. 13. Cap. 11.* Ideoque inſcite faciunt, qui Chartis Membranas cedere confundunt, & Chartarum appellatione, Membranas comprehenſas ſcriptis ſuis prodiderunt. Nam longe alia Chartarum, longe alia membranarum materia fuit. Membranæ enim ex pellibus, coriove animalium, Pergami primum paratæ, hodieque originis ſuæ nomen tenent. At Chartas quarum uſu maxime humanitas vitæ conſtabat, & memoria, ex Papyro, fruticis id in Ægypto genus (de quo plura ſcripſi ad *Prol. Lib. 3.*) confectas fuiſſe docet *Ulpianus* in *l. 52. §. Chartis. ff. de legat. 3.* Apertius vero hoc ipſum declarat *Plinius* capite citato, his verbis: *Præparantur ex eo* (de Papyro loquitur) *Chartæ diviſæ acu, in prætenues, ſed quam latiſſimas Philyras; principatu medio, atque inde ſciſſuræ ordine.* Sic enim ille *Plinii* locus miſere divulſus & diſcerptus, in unum jungendus eſt. Confecturam porro Chartarum, ejuſque rationem idem *Plinius* ejuſdem Libri *Cap. 12.* exponit his verbis: *Texuntur omnes*

nes tabulæ madentes Nili aqua: turbidus liquor vim glutini præbet: cum primo supina tabula scheda ad linitur, longitudine Papyri, quæ potuit esse segminibus utrimque amputatis, transversa postea crates peragitur. Premuntur deinde prælis, & siccantur Sole: Atque *inter se plagulæ junguntur: à proximarum semper bonitatis diminutione ad deterrimas: nunquam plures, scopo, quam vicinæ. Vopiscus* in *Firmo. Tantum habuisse de Chartis, ut publice sæpe diceret, exercitum se alere posse papyro, & glutino.* Chartam etiam *Cassiodor. Lib. 2. Var. Epist. 38.* hoc verborum ambitu describit. *Junctura sine rimis; continuitas de minutiis; viscera nivea viventium herbarum, Scripturabilis facies, quæ nigredinem suscipit ad decorem: ubi apicibus elevatis, fecundissima verborum planatrix seges, fructum mentibus toties suavissimam reddit, quoties desiderium lectoris invenerit.* Auctor Etymologici, χάρτης χωρητικὸς, τῶν ἐγγραφομένων. *Chartæ* porro, vel *Puræ* erant, *d. l. 52. §. quod autem. ff. de legat. 3.* Vel *Scriptæ, l. 67. ff. eod.* Chartæ autem appellatio ad *Novam Chartam* referebatur, & ad *Deleticiam, l. 1. ff. de bonor. posses. sec. tab.* Varias autem *Chartarum*, seu species, seu differentias exequitur *Plinius* dicto *Cap. 12.* & post eum *Isidor. Lib. 6. Orig. Cap. 10.* Varium quoque *Chartarum* usum ex libris nostris notare licet. *Chartas* enim *Epistulares*, & *Chartas ad ratiunculam, vel logarium paratas* memorat *l. 3. §. ult. ff. de pen. legat.* Et *Chartas in quibus rationes conscriptæ sunt, l. ult. §. 1. ff. de liber. leg. Chartulæ confiscatæ, l. 5. C. de conven. fisc. deb. Lib. 10.* De Chartis Epistularibus extat *Martialis* Distichon *Lib. 14. Epigr. 11.*

Seu leviter noto, seu caro missa sodali,
Omnes ista solet Charta vocare SUOS.

Hinc *Chartacei Codices* dicuntur in *l. 42. ff. de legat. 2.* Et *Chartopatræ* in *Rubr. de collegiat. & Chartopatr. Lib. 11. Cod.* id est, Chartarum venditores. Item *Chartularii*, qui Chartas tractant, *Rubr. de Numerar. Actuar. & Chartular. Lib. 12. Cod.* Quorum variæ species in Impp. constitutionibus recensentur, prout ea officia erant, quibus adjungebantur, ac deserviebant. Quidam enim de Cohortalibus officiis Largitionales titulos retractabant, *l. 3. C. de Cano. Largit. Lib. 10.* Quidam numerariis operam præbebant, *l. 10. C. de Numerar. Auctuar. Lib. 12. Chartularii* etiam *Magistri equitum, & peditum* memorantur in *l. 5. de divers. offic. & appar. in Cod. Theod.* Justinianus quoque *Novella 8.* Chartularios tres τοῦ θείου κουβικλείου τοῖς συμβόλοις ὑπερετουμένους ponit. Atque hujusmodi munus *Chartularum ministerium* dicitur in *l. 8. de fil. milit. app. & veter.* in *Cod. Theodos.* Hinc etiam *Chartiaticum* dicitur in *l. 6. ff. de bon. damnat.* & apud *Zonar. Tom. 3. Annal.* Quod officialibus pro Chartis erogabatur. Ministris enim magistratuum Chartas præbitas fuisse ex *Frontino Lib. 2. de Aquæductib.* intelligimus. L.

Nomen] Eleganter respectu famæ. Ita *Sen. Epist. 21. Possum mecum duratura nomina educere. Schesser.* Et *Ovid.* in *Epil. Metamorphos.*

—— *Nomenque erit indelebile nostrum.*

Item *Juvenal. Sat. 8. Vers. 31.*

—— *quis enim generosum dixerit, hunc qui,*
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Insignis? ——

L.

Latinis dum manebit pretium literis] De hac Poëtarum fiduca dixi superius ad *Fab. 5. Lib. 4. in princip.* L.

Quanto Poëtæ] Vetus dictum est: *Magnus liber, magnum malum.* Vult ergo si Fabulæ meæ minus gratæ sint, propter brevitatem saltem erunt minus malæ quam si prolixiores forent. L.

Poëtæ sunt molesti] Scilicet rationibus suis: quibus frequentissimis fere emicabant homines. Nam ut *Horatius* ait:

Indoctum doctumque fugat recitator acerbus.

Tales *Martialis* describit tum alios Poetastros, tum *Ligurinum, Lib. 3.* quem uno & altero *Epigrammate* perstringit, hoc nomine. Talem *Petronius Arbiter* introducit in *Satyrico Eumolpum*, qui in triviis, in balineis, in conviviis sua hominibus

nibus quibuslibet carmina recitarit. Quantum tamen utilitatis habuerint recitationes vel poëmatum, vel orationum inter amicos intelligentes recte, & in loco usurpatæ à veteribus, ex *Plinii Epistolis* dicimus. *Scheffer.*

FABULA

FABULA SEXTA.

Calvus, & Quidam Pilis Defectus.

INvenit Calvus forte in trivio pectinem;
Acceſsit alter æque defectus pilis;
HEIA, inquit, COMMUNE QUODCUNQUE
EST LUCRI.

Calvus, & quidam pilis defectus] Id eſt, duo Calvi, eleganti periphraſi. Non poſſum autem quin hic notem, quſ incidit, Biontis apud *Senecam* jocum *Lib. de Tranquill. an. Cap. 8. Non minus moleſtum eſſe calvis, quam comatis pilos velli.* Eſtque hæc ὑστερολογία, hoc vult: Non minus moleſtum comatis, id eſt, divitibus, quam calvis, id eſt, pauperibus pilos opeſque evelli. Exempla hujus inverſæ locutionis plura notarunt *Petr. Fab. 1. Semeſtr Cap. 23.* Et *Furner. ad l. 8. ff. de Verb. Signif.* L.

Pectinem] Nihil calvorum ubibus inutilius, quam pecten. Sic olim calvæ mulieres Veneri pectines dedicaverunt tanquam inutiles. *Georgius Codinus Conſtantinop.* Τῇ Ἀφροδίτῃ τὰ ἄγαλμα πλάττουσι κτένια φέρον. ἐπειδὴ συνέβη ποτὲ ταῖς τῶν Ῥωμαίων γυναιξὶ κνήφην λοιμώδη γενέσθαι καὶ ξυρωμένων πασῶν γεγονέναι αὐτὰς οἱ κτένες ἀχρεῖοι &c. Videndus *Suidas* Ἀφροδίτη. *Rigalt.* Atque hinc de Pectine, Calvum alloquente ita luſit *Martial. Lib. 14. Epigr. 25.*

Quid faciet nullos hic inventura capillos:
Multifido buxus qui tibi dente datur.

Uteban-

Utebantur videlicet plerumque pectinibus buxeis. L.

Defectus pilis] Sic supra: *Defectus annis. Defecti ætate Ulpian. l. si quis ingravi. §. ignoscitur. ff. ad Sc. Silan. Rigalt.* Hic dicitur, quasi quem defecerant pili qui amiserat, sic *Ovid.* 10. *Metam. Vers.* 194. de cervice:

——— *defecta vigore*
Ipsa sibi est oneri. ———

Plin. Lib. 8. *Cap.* 16. *Plerique dentibus defecti reperiuntur.* Vide *Schop. Scheffer.*

HEIA COMMVNE QVODCVNQVE EST LVCRI] *Theophrast. Charact.* 14. Καὶ τῶν εὑρισκομένων χαλκῶν ἐν ταῖς ὁδοῖς ὑπὸ τῶν οἰκετῶν δεινὸν ἀπαιτῆσαι τὸ μέρος, κοινὸν εἶναι φήσας τῷ Ἑρμῇ. *Phurmitus in Mercurio:* Διὰ δὲ τὸν κοινὸν αὐτὸν εἶναι ἐν τε ἀνθρώποις πᾶσι καὶ πᾶσι τοῖς θεοῖς ὁπόταν τίς εὕρῃ τι προάγων ἐν ὁδῷ σύνηθες ἐπιφθέγγεσθαι κοινὸν εἶναι τῷ Ἑρμῇ. ὃς δὴ συνίστωρ ἐστὶ τῆς εὑρέσεως ἐν ὁδίῳ ὤν, ἐμφαίνοντες ἀξιοῦσιν εἶναι τῶν εὑρημένων, ἐντεῦθεν καὶ τῶν εὑρημάτων ἑρμαίνων λεγομένων Vide apud *Æsopum Fab.* Ὁδοιπόρος. Et *Camerar. p.* 110. & 118. *Rigalt.* Indicio est locus præsens, hac formula exclamandi jam olim uti solitos, si quid σύν τε δύ' ἐρχομένων forte in via reperisset alter, ut ad ambos illud pertineret. Inter nostrates quoque adhuc manet ista contestatio, cum dicunt: **Dein fundt mein halb.** Possunt hæc servire ad declarandum Græcorum Proverbium, quod haud scio, an non satis expositum sit ab *Erasmo:* Κοινὸς Ἑρμῆς. Mercurius & lucri præses, & viarum habebatur. Jure autem civili res inventa non fit inventoris propria *l.* 43. *falsus. §. qui alienum.* & §. *proinde. ff. de Furt. l.* 3. *ff. de Incend. ruin. Naufr.* Unde recte *B. Augustinus: Si*, inquit, *invenisti, & non reddidisti, rapuisti.* De quo distincte, & pluribus suo loco. *Rittersh.* Vide *Sen. Epist.* 120. *Scheffer.* Et propterea hodie plerisque in locis thesauros, ut & alia pleraque ἀδέσποτα Principes sibi vindicant, & quidem in solidum, quocunque in loco reperti fuerint: estque id nunc jus commune, & quasi gentium. Nam & in Germania, & Gallia, & Anglia, & Hispania, & Dania id observatur teste *Grot. de jur. Bell. & Pac. Lib.* 2. *Cap.* 8. *n.* 7. Adde *Peregrin. Lib.* 4. *de jure fisci Cap.* 2. *Covarruv. in Cap. peccatum. de reg. jur. in* 6. *part.* 3. §. 2. *Lebret. Lib.* 3. *de la Souverainité Cap.* 6. *Christin. vol.* 5. *decis.* 16. Theodoricus quoque Rex thesauros quocunque loco repertos publico vindicari jussit. *Sine damno*; enim, inquit, *inventa perdit, qui propria non amittit. Cassiodor. Lib.* 4. *Var.* 38. & *Lib.* 6. 8. Vide *D D. ad* §. 39. *Inst. de rer. divis.* L.

Ostendit ille prædam, & adjecit simul;
Superum voluntas favit, sed fato invido,
Carbonem, ut ajunt, pro thesauro invenimus.
Quem spes delusit, huic querella convenit.

Prædam] De re inventa usurpari notandum. Adde supra *Lib.* 2. *Fab.* 8. *in fin. Scheffer.*

Superum voluntas] Etiam hoc solenne fuit. A Diis talia dicebant dari. *Hieron. ad Levit. Multi sine peccato putant esse, si alienum, quod invenerint, teneant, & dicunt: Deus mihi dedit. Scheffer.*

Carbonem pro thesauro] Carbones scilicet propter limites defodiebant. Qua de re *Siculus Flaccus de Condition. p.* 6. *Rigalt* Ἄνθρακες ὁ θησαυρός. Proverbium de re nihili, oblata ei, qui pretiosam exspectabat, & inhiabat, cujus spe potiundæ frustratus est. Vide *Erasm. Chil.* 1. *Cent.* 9. *Adag.* 31. *Rittersh.* Vide *Suidam*, in Ἄνθρακες θησαυρὸς ἦσαν. *Nevel.* Natum hoc ex superstitione vulgi videtur, cui persuasum, nisi observentur omnia in thesauris effodiendis, quæ observanda præcipiunt, qui peritiam hujus artis habent, argentum omne dispargere, illiusque loco

loco meros relinqui carbones ; à Dracone credo , cujus antea meminimus. *Scheffer.*

Delusit] Eleganter *Petron.* in *Satyr.*

Ast ubi fugerunt elusam gaudia mentem,
Veraque formaredit , animus quod perdidit optat,
Atque in præterita se totus imagine versat.

Horat. Serm. Lib. 2. Sat. 5.

——— plerumque recoctus
Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem.

L.

FABULA

FABULA SEPTIMA.

Procax Tibicen.

UBi vanus animus aura captus frivola
Abripuit insolentem sibi fiduciam,
Facile ad derisum stulta levitas ducitur.

UBi vanus animus &c.] Sub Principis nomine & persona ludit in Sejanum, qui Romæ Principatum affectabat; & tota in hanc rem est *Juven. Sat.* 10. Vet. Interpr. *Sejanus fuit Tiberio usque adeo carus amicus, ut nihil esset, quod ei à Tiberio petenti negaretur; usque adeo etiam de eo cogitaverit necem, ut dispositis conjurationum sociis, occiso Tiberio ipse regnaret.* Videndus *Tranquillus*, & *Tacitus. Rigalt.*

Aura captus frivola] Per *Auram*, vulgi gratiam, & favorem innuit, *Virgilii* exemplo. *Frivola*, est fragilis, quæ cito perit. *Scheffer.* Hinc *Aura popularis* id est, *Favor populi. Ovid. Lib.* 3. *Trist. Eleg.* 4.

Jam quoque nunc nimium gaudens popularibus auris.

At *Horatius* hoc vocabulo pro illecebris & blandimentis mulierum usurpavit, quibus quasi philtro amantium animos demulcent, & ad se alliciunt, ita enim ait *Lib.* 2. *Carm: Ode* 8.

Te suis matres metuunt juvencis,
Te sines parci, miseræque nuper
Virgines nuptæ, tua ne retardet
Aura maritos.

L.

Sibi] Eleganter abundat. Sic, *Ocium mihi fumo*, *Cicero.* Sic alii. *Scheffer.*

Ad derisum] Ad derisionem, ut derideant. Sic *Duci ad fidē* dixit *Fabius. Scheffer.*

Levitas]

Levitas] Hic pro temeritate ſumitur, ſicut in *l.* 42. §. *Scævola. ff. de minorib.* quemadmodum *Levitas juvenilis* dici- L.

Princeps Tibicen notior paulo fuit,
Operam Bathyllo ſolitus in ſcena dare,
Is forte ludis, non ſatis memini quibus,
Dum Pecma rapitur, concidit caſu gravi
Nec opinans, & ſiniſtram fregit tibiam,
Duas cum dexteras maluiſſet pendere,

Princeps] Cognominis fuit Grammaticus quidam de quo *Sueton. Lib. de Illuſtr. Grammat. Cap.* 4. *Rigalt.* Sed hæc quoque non fabula eſt, ſed hiſtoria illius temporis. Tibicinem vero iſtum habuiſſe nomen proprium Principis, & hinc apparet, & ex verſu ſeq.

Lætare incolumis Roma, ſalvo Principe.

Quanquam is jocum elegantem continet ex ambiguo: cum & de Imperatore illa acclamatio intelligi poſſet, & rectius quidem quam de aliquo aulædo. *Rittersh.* Ut hic Princeps, ita nomina propria ſunt Rex, Regulus, Tyrannio, Tyrannus, Creon, Creuſa, (Græce regem & reginam ſignificant) & alia id genus. *Fab.*

Operam Bathyllo] *Perſius Sat.* 5.

Tres tantum ad numeros Satyri movea-
re Bathylli.

Veteres Gloſſæ: *Bathyllus pantomimus fuit, Mæcenatis libertus. Rigalt.* Hic eſt quaſi dicat, inflare tibias ſolebat, ad quos Bathyllus mimus ſaltaret: conſueverant enim eo tempore mimi, ſeu pantomini extra dramata ſeorſum in ſcena totius corporis mirifico geſtu exprimere quicquid vellent inter ſaltandum. Vide *Voſſ. Inſtit. Poët. Scheffer.* De hoc Bathyllo, nobili videlicet. Pantomimo etiam meminit *Sen. Nat. Quæſt. Lib.* 7. *Cap.* 32. *At quanta*, inquit, *cura laboratur, ne cujus pantomimi nomen intercidat: ſtat per ſucceſſores Pyladis & Bathylli domus, harum artium multi diſcipuli ſunt, multique doctores.* L.

Solitus] Non nude explicat profeſſionem Principis, ſed vim ſimul habet cauſæ, quare notior fuerit; nempe quia ſolitus hoc erat facere Bathyllo, mimo ea tempeſtate celebri. *Scheffer.*

Pecma] C. pro G. poſitum, ut ſæpiſſime alias. Dicitur enim pegma ἀπὸ τοῦ πήγνυσθαι, id eſt, à figéndo: & eſt machina lignea in qua collocantur quaſi affixæ ſtatuæ, quæ etiam in ſcenam interdum proferebantur, & motabantur, aut alioqui in pompa circumferebantur. Vide *Senec. Epiſt.* 98. *Feſtum*, & *Joſephum Lib.* 7. ἀλωσεως. *Rittersh.* Machina fuit artificioſa, pro diverſitate argumenti adornata, in qua vel in ſublime attollere, vel è ſublimi in præceps dare, ac velut detuſcente terra abſumere ſolebant ſive homines, ſive res, quas eſſet libitū. Vide *Lips. Amphit. Cap.* 22. *Scalig. ad manil. p.* 404. *Philandr. ad Vitruv. Lib.* 9. *Scheffer.* Hujuſmodi *Pegmata* etiam in arena fuiſſe oſtendit *Sueton.* in *Calig. Cap.* 26. *Gladiatorio munere*, inquit, *reductis interdum flagrantiſſimo Sole, velis emitti quenquam vetabat: remotoque apparatu ordinario rabidis feris vilioſſimos, ſenioque confectos gladiatores: Pegmatis quoque patresfamilias notos & inſignes aliqua debilitate corporis.* Idem in *Claudio Cap.* 34. *Beſtiariis meridianisque adeo delectabatur, ut etiam prima luce ad ſpectaculum deſcenderet, & meridie (demiſſo ad prandium populo) perſederet: præterque deſtinatos, etiam levi, ſubitaque de cauſa quoſdam committeret: de fabrorum quaque ac miniſtrorum, atque id genus numero, ſi ἀλτιματον vel pegma, vel quid tale aliud parum ceſſiſſet.* Idem confirmat *Strabo Lib.* 6. Ubi refert quendam Siculum latronem (Ætnæ filium nominatum) in foro per ludos gladiato-

diatotios à pegmate (tanquam ex Ætna) compagibus solutis, in caveas ferarum decidisse, & à feris discerptum. Glossæ veteres πῆγμα interpretantur *Confixum*; quod docte *Apuleius*, *Confixibem machinam* dixit, allusione ad vim ipsam verbi. In his pegmatis varia inventa, & stupendi lusus ingeniorum, de quibus procul dubio *Augustinus* loquitur. *Ad quam stupenda*, inquit, *opera industria humana pervenit: quæ in theatris mirabilia spectantibus, audientibus incredibilia, facienda & exhibenda molita est?* Vide *Casaub.* ad dictum *Cap.* 26. *Sueton.* in *Calig.* L.

Rapitur] Sic loquitur ob celeritatem qua dehiscebat aut surgebat, motum ponderibus latitantibus. *Claudianus:*

Mobile ponderibus descendat pectma reductis.

Scheffer.

Duas cum dextras] Non negligendus elegans jocus in voce *Tibia*; fregit tibiam, sive crus sinistrum, sed maluisset duas dextras tibias (quas scilicet in Comœdiis adhibebat) frangere, quam unicam illam sinistram. Sic in *Eunuchi* inscriptione apud *Terentium* legitur, eam fabulam actam fuisse tibiis duabus dextris. Videndus *Aldus Paulli Manutius*, de Quæsitis per epistulam *Schop.* Adi *Terentii* didascalias, & ibi interpretes. Res enim aliis fuse explicata fuit, & si nondum satis constituta. De iis aliquid à *Julio Cæsare Scaligero* in *Lib. de Poëtica* scriptum memini, aliquid à *Manutio*, & satis multa à *Salmasio*. Sed dixerit quispiam ex *Phædri* duabus tibiis dextris annon elici possit, quid sibi velit locus ille *Senecæ* nunquam à doctis explicatus, in quo de *Utriusque pedibus dextris* mentio fit? Nil quidquam. Nam dextræ tibiæ apud *Phædrum* longe alius notionis sunt, quam *Pedes dextri* apud *Senecam*. Sed quia digna res est, in quam ii omnes, qui literarum humaniorum cognitionem profitentur, suas cogitationes intendant, decrevi hoc loco, quid mihi quoque, quanquam non eruditissimo homini, sed tamen in his literis non plane ἄμοιρον, visum sit, exponere. Locus *Senecæ* est in *Epist.* 53. Vitiorum primulum ortum, eorumque progressum, cum podagra nascente, & mox adulta comparat. Vitia, cum primum sese exerunt, alio, quam quo digna sunt, nomine vocantur; *Ita*, inquit, *cum pedes dolent, articuli punctiunculas sentiunt; adhuc dissimulamus, & aut talum extorsisse nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse. Dubio & incipiente morbo, quæritur nomen, qui talaria cœpit intendere, & utrosque pedes dextros fecit, necesse est podagram fateri.* Ita igitur se habet *Senecæ* locus. Nunc autem si dicere parem, quot doctissimos viros frustra exercuerit, dies me deficiet. Satis igitur habeo exemplar epistolæ huc transcribere, quæ modo ad *Urbanum Chevræum* Laudunensem, V. Cl. tersi, & limatissimi ingenii, literarumque humaniorum amantissimum, cum ex me scisscitatus est, quid de tam intricato negotio, tamque impedito sentirem, à me missa fuit, quæ talis est: Celebrem vero locum, Vir Clarissime, & doctorum conatibus sæpe tentatum, semper desperatum, à nobis quoque examinari postulas. Scio quidem vix effugere me posse arrogantiæ suspicionem, si post *Erasmos*, *Lipsios*, omnes denique literarum summates viros, hiscere audeam; sed amico quidquam denegare mihi mos non est; dein illa à nobis dictum iri spes est, quæ morosis etiam harum rerum judicibus non displiceant. Sed utcunque ea res cadet, *Incipiam*: Super illustri illa quæstione *Salmasium* abhinc sex septem annis Amplissimus Senator *Claudius Satravius*, literis & literatis promovendis natus, consuluerat (uti ex *Epistolis* illius *Pag.* 298. constat) sed siluisse *Salmasium*, *ingeni* illud *Μειζόνων ὁμοῖα*, apparet ex *Pag.* 350. Neque tamen nos ea res à dicenda sententia absterrebit, quæ talis est; Locum hunc *Senecæ*, quo de agitur, corruptum esse; idque si nihil aliud probet, manuscriptorum certe codicum varietatem facile ostendere; atque adeo miror Clarissimum Virum *I. Fredericum Gronovium*, mihi, quod ego semper in honoris maximi loco ponam, amicum, suis in *Senecam* notis hoc prætermisisse. In nonnullis igitur MSS. Codd. abest prorsus τὸ *Dextros*; & ita se habet illa ῥῆσις, *Et utrosque pedes fecit*; quod nihili est; & tamen ad emendationem proderit. In aliis legitur, *Et*

utrosque pedes destros fecit; (quid monstri, inquies, *Destros*? sed videbis quid illo monstro fiat.) In aliis legitur non *Fecit*, sed, *Infecit*. Esto, inquies; sed quid sani inde elici queat? neque enim auribus Latinis unquam placere possit, *Podagra mihi pedes infecit*: fateor id quoque: Sed hoc, Vir Clarissime, ex te scire velim, nunquid ex his corruptis, *PEDES TROS INFECIT*, quæro, inquam, nunquid satis commode erui queat, *PEDES TUMEFECIT*? Nam illa quidem syllaba *DES* in *DESTROS* (cujus vocis ope, ut etiam adjuvante *INFECIT*, ad verum, uti opinor, proventum est) ex vocabulo proxime superiori *PEDES* nata est; quo corruptelæ genere nullum frequentius in omnibus MSS. Codd. occurrit, & hinc, quod obiter moneo, factum est, ut illustrissimus *Lucretii* locus usque adhuc ridicule legatur, quem in Notis nostris ad *Phædrum* propediem videbis. (legitur ad *Lib.* 3. *Fab.* 8. *Vers.* 4.) Totus itaque *Senecæ* locus ex conjectura, & manuscriptis varie corruptis sic legendus est: *Vbi* (nam hoc quoque pro *Qui* reponi debet ex MSS. alioqui non stabit ἀκολουθία, & erit ἀταξία in oratione) *Vbi*, inquam, *talaria cœpit intendere, & utrosque pedes tumefecit, necesse est podagram fateri*. Hæc olim ad virum genere & scriptis nobilem, *Chevræe Clarissime*, hæc eadem ad te, cui

——— *Sint qualiacunque,*
Arridere velim, doliturus si placeant spe
Deterius nostra. ———

Hoc tantum à te velim contendere, ut rem ipsam ἀγχινούστερον perpendas; & fortasse τῆς ἀληθείας οὐ πάμπολυ ἁμαρτεῖν δόξομεν: *Veturio* certe, si viveret (legisti enim quid dicat de hoc *Senecæ* loco, quamque sibi cerebrum frustra distorserit) hic noster conatus haud displiceret. Vale, & nos ἀντιφιλοῦντας φίλει. Hæc, lector, de hoc *Senecæ* loco, quæ uti boni consulas, haud equidem scio an à te debeam petere; nam, uti opinor, ultro facies. *Fab.* Fuerunt autem *Tibiæ dextræ* cantorum, quæ & Lydiæ dicebantur, quibus succinebant in cantico, gravem edentes sonum. Vide *Vossium* in supra nominato opere. *Scheffer.* De Tibia Phrygia illud extat in *Varronis* fragmentis, dextera unum habuisse foramen, sinistra duo: quorum unum acutum sonum habebat, alterum gravem. L.

Inter manus sublatus, & multum gemens
Domum refertur. Aliquot menses transeunt,
Ad sanitatem dum venit curatio.
Vt spectatorum mos est, & lepidum genus,
Desiderari cœpit cujus flatibus
Solebat excitari saltantis vigor.

Inter manus sublatus] Hac de re dixi plura adversus patrem tuum optimum, *Rittershusi*, *Suspectar. Lect.* Lib. 3. Cap. 5. *Schop.* Est quasi dicat, manibus latius è theatro. *Cic.* 7. *Verr. Erat exitus ejusmodi, ut alius inter manus è convivio, tanquam è prælio auferretur. Scheffer.*

Ad sanitatem dum venit curatio] Sic *Symmachus* noster vulnus in cicatricem convenire, & cicatricem ducere dixit, *Lib.* 1. *Epist.* 94. & *Lib.* 2. *Epist.* 32. *Rittersh.* Adducor fere his verbis, ut minime assentiar *Palmerio*, & amicissimo *Grutero* nostro, legentibus apud *Propertium* meum:

Volneraque Ad saniem nunc coiere mea.

Ubi editum hactenus *Ad sanum. Schop.* Proprie autem *Curatio* de ista medicorum opera in sanandis morbis, quæ dicitur *Venire ad sanitatem*, velut propositum suum finem, cum pristinam valetudinem restituit. Simili modo *Plinius* Lib. 33. Cap. 3. de auro: *Quo sæpius arsit, proficit ad bonitatem. Scheffer.* Et sic *Curatio vulnerati vel ægri* dicitur in *l.* 3. *si quadr. pauper.*

per. fec. dic. l. 7. & l. 8. ff. ad leg. Aquil. l. ult. ff. de his qui effud. vel dejec. Et *Curatio servi ægri, l. 13. §. praterea. ff. de action. empt.* Item *In Curationem servi impendere, l. 22. ff commod.* L.

Et lepidum genus] Ut spectatorum genus solet esse lepidum, seque à tibicine exhilarari volunt. *Plaut. Pseud.* extremo actu primo :

Tibicen vos interea hic delectaverit.

Schop. Ita *Sen. Epist.* 109. *Quidam ad magnificas voces non aliter concitantur, quam solent Phrygii tibicinis sono, semiviri, & ex imperio furentes.* L.

Lepidum genus] Spectatorum genus, id est, lepidi spectatores. *Rigaltius*, pro ipsius Tibicinis arte sumit, minus recte. *Fab.* Cohæret cum præcedenti *Mes* est. *Scheffer.*

Flatibus] Cantibus : sic *Tibicines* dicti & *Flatores. Festus : flator, tibicen.* Glossæ Veteres, quos & Scaliger adducit ad hunc locum, *Flat flator. Arnob. 2. contra Gentes, tibia calamoque flantes. Scheffer.*

Saltantis vigor] Optime, pro alacritate, agilitate, & roboris firmitate. Sic similiter *Vigor denunciationis* dicitur in *l. 62. §. 1. ff. de evict. Vigor justitiæ* apud *Ammian. Marcellin. Lib. 30.* & in *l. 5. C. de jure fisci. Vigor legis l. 1. ff. de constit. princip.* Item *Vigor virilis l. 1. ff. de minor.* Et *Vigoris vestigia, l. 4. C. qui testam. fac. poss.* L.

Erat facturus ludos quidam nobilis
Et incipiebat Princeps abduci reum *
* *Ingredi à se reducit pretio precibus ut*
* *Tantummodo ipso ludorum ostenderet sese die.*

Erat facturus ludos] Supra hoc libro ?

Facturus ludos quidam dives nobilis. Rigalt.

Ingredi] Ambulare, in publicum progredi. *Fab.*

Pretio, precibus] Formula solennis. Respexit autem locum *Terentii*, qui est in *Eunuch. Act. 5. Sc. 8. Perfice hoc precibus, pretio, ut hæream* &c. *Scheffer.* Atque hoc Belgæ suo idiomate, & proverbio, nisi fallor, ita efferrent : Door gelt / en goede woorden. L.

Qui simul advenit, rumor de Tibicine
Fremit in theatro : quidam affirmant mortuum :
Quidam in conspectum proditurum sine mora ;
Aulæo misso, devolutis tonitrubus,
Dii sunt locuti more translatitio.

Fremit] Rumor fremit, sicut apud *Silium, Rumor strepit, 2. Achill. Scheffer.*

Sine mora] Propria, & usitata ICtis. locutio. *Sine mora dimittat uxorem, l. 24. ff. ad leg. Jul. de adulter. Liberum sine mora futurum, l. 41. §. ult. ff. de manumiss. testam. Sine ulla mora reddere, l. 123. §. ult. ff. de legat. 1.* id est, *Sine ulla dilatione*; ut in *l. 57. ff. de donat. inter vir. & uxor.* L.

Aulæo misso] Id est, demisso : hoc fieri solebat initio fabulæ cujusque. Tollebantur autem Aulæa in fine; omnibus peractis, cum spectatores dimittebantur. Unde *Horatius* Aulæa manentem dicit in *Arte* eum, qui desidet usque ad extremum actum. Idem significat *M. Tullius* in *Orat. pro M. Cælio Mimi ergo*, inquit, *est jam exitus, non fabulæ : in quo cum clausula non invenitur, fugit aliquis è manibus : deinde scabella concrepant : Aulæum tollitur.* Aulæa sunt tapetes quibus parietes, vel pavimentum etiam contegebatur. Nugatur ergo non præter solitum levis, &

ineptus *Nonius*, cum ait, esse genus vestis peregrinum. Quanquam hoc fieri poterat, cum vestis appellatio latissime pateat, etiam ad stragula pertinens, & peregrina recte dicantur Aulæa, ut quæ Romam ex Attali Regis hereditate perlata sint, *Servio*, & *Donato* teste: nisi adderet *Nonius*: *Et est tanquam paludamentum barbarici habitus militaris.* A page hoc paludamentum barbarici habitus militaris. Ibidem etiam *Varronis* verba sic lege: *Quot ex hereditate Attalica Aulæa*, &c. ubi vulgo *Quod*. Significat enim *Varro* Populum Romanum hujusmodi rerum consecutum ab Attalo Rege, à quo scriptus heres fuerat. *Rittersh.* Dicitur quoque *Aulæum scenæ apparatus* in *l.* 15. §. *etsi vestimentorum. ff. de usufruct.* *Donatus* in *Præfat. Comment. Terent. Aulæ*, ait, *in scena sternuntur, quod pictum ornatus erat, ex Attalica Regia, Romam usque perlatus: pro quibus sipatia posterior ætas accepit.* Ac plane Aulæa ab Aula Attali Regis Asiæ, in qua primum inventa sunt vela ingentia nomen traxisse, *Servius* in 3. *Georgic.* tradit *Interp. Lib.* 2.

Sic ubi tolluntur festis Aulæa theatris.
Surgere signa vides &c. ——

L.

Devolutis tonitribus] Claudianis, *Festus*: *Claudiana tonitrua appellabantur, quia Claudius Pulcer instituit, ut ludis post scenam conjectus lapidum ita fieret, ut veri tonitrui similitudinem imitaretur. Nam antea deves admodum & parvi sonitus fiebant, cum clavi & lapides in labrum æneum conjicerentur.* Perperam vero *Des. Erasmus Prov. Festi* verba explicavit *Ludis post scenam factis.* Nec enim factis, aut peractis ludis proprius in scena tonitrui locus, ut ex hoc *Phædri* narratione, & *Amphitruone Plautina* planum est. *Rigalt.*

Dii sunt locuti] Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς; notum proverbium inde natum, de inopinato atque improviso auxilio ad explicandas res difficillimas oblato. Vide *Erasm. Adag. Rittersh.* Scilicet in Proverbio Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, Et *Deus ex improviso apparens.* L.

More translatitio] Id est, solemni, vulgari, nempe tunc, cum dignus vindice nodus incidisset. Non enim aliter vult *Horatius*, Deum aliquem actioni scenicæ interesse. Iurisconsulti translatitie aliquid fieri dicunt, quod non fit serio, sed perfunctorie, & dicis causa potius, ut alias loquuntur. Ut *Translatitie defungi munere accusandi*, id est, prævaricari, *l.* 1. §. *prævaricatorem. ff. ad Sc. Turpil. Non translatitie exequi querelas*, *l.* 1. *ff. de jure Patronat. Translatitie amittere l.* 55. *si patroni.* §. *quid ergo. ff. ad Sc. Trebell.* id est, negligenter, non ut quidam exponit interim. Similiter *Petronius*, *Non translatitiam humanitatem*, & *non translatitium bellum*, dixit. *Rittersh.* Atque hic *More translatitio*, proprie est eo, quo transferebantur in scenam, ornati magnifice, cum intervenire difficilioribus negotiis deberent machinæ alicujus subsidio. Id enim est *Transferre*, & *Translatitio* in ludis. Vide Magnum *Salmasium Exercit. Plin.* p. 176. Ubi locum hunc interpretatur. *Scheffer.*

Tunc Chorus ignotum more ducto canticum
Imposuit, cujus hæc fuit sententia:
LÆTARE INCOLUMIS ROMA SALVO PRINCIPE.

Chorus] Hic olim pluribus ejusdem generis servis constare dicebatur, uti docet *l.* 34. *ff de ædilit. edict l.* 79. *ff. de legat.* 3. Verum hoc nomine proprie *Cœvorum cantum & saltationem* appellari *Servius* in 1. *Georgic.* tradit. *Sen. Epist.* 84. *Non vides quam multorum vocibus chorus constet? unus tamen ex omnibus sonus redditur, aliqua illic acuta est, aliqua gravis, aliqua media: accedunt viris feminæ, interponuntur tibiæ, singulorum illic latent voces, omnium apparent.* L.

Tunc

Tunc Chorus ignotum] Melius:

Chorus reducto tunc & notum canticum
Imposuit. &c. ——————

Atque ita hunc *Phædri* locum non intellexere Viri elegantissimi & politissimi, sub quibus nuper *Phædrus* & *Terentius* Gallicè loqui didicere: sic enim verterunt: *Les danceurs ce jouer de fluste revenu de noveau, luy donnerent à chanter une chanson fort connüe, qui commençoit par ces paroles:* ROME RE JOVY TOY &c. At *Phædri* sententia est, chorum & canticum quoddam (ex eo cantico est versus ille: LÆTARE INCOLVMIS ROMA &c.) Chorum, inquam, & canticum illud, quod tunc forte canebatur, induxisse tibicinem, hominem misere fatuum, in eum errorem, ut per *Principem*, se designari crederet, cum de Imperatore non de Tibicine sermo esset. *Imposuit* itaque *fefellit. Fab.* Verum miror, quomodo, si notum fuit canticum, sic tibicinem potuerit decipere. Itaque existimo hæc verba, *Et notum canticum*, in parenthesi esse posita, quasi diceret, res ex eo venit in vulgus, ipsumque canticum innotuit omnibus. Nisi quis *Notum* intelligat ob solennem consuetudinem acclamandi, cum ex improviso periculo Princeps fuisset ereptus. Quomodo apud *Suetonium* legimus *Vita Calig. Cap.* 6. Populi Romani talem gratulationem: *SALVA ROMA. SALVA PATRIA. SALVUS EST GERMANICUS.* Similis fere locus est apud *Corn. Nep. Vita Miltiad. Cap.* 5. varie tentatus hactenus ab eruditis, quem ego arbitror esse optimum planissimumque, si retentis omnibus, tantum ita distinguntur: *Deinde postero die, sub montis radicibus acie è regione instructa nova arte, vi summa prælium commiserunt (namque arbores multis locis erant raræ) hoc consilio, ut & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu equitatus hostium impediretur.* Ordo est: prælium commiserunt sub montis radicibus, hoc consilio, (hoc respectu, hac de causa) ut tractu arborum impediretur equitatus hostium. Quomodo arborum? Namque arbores erant multis locis raræ. Puto esse omnia aperta. Sed hæc obiter. *Scheffer.*

Canticum] Vetus Epigramma de Pantomimo:

Nam cum grata choris dissundit cantica dulcis,
Quæ resonat cantor, motibus ipse probat.

Petron. Sat. Potionem poposci: paratissimus puer non minus me acido cantico excepit: & quisquis aliquid rogatus erat ut daret: pantomimorum non patris familiæ triclinio crederet. Et *Sueton.* in *Calig. Cum pallæ tunicaque talari prosiluit, ac desaltato cantico abiit. Rigalt.* Quod ibi est, Fabula, vel Tragœdia finita. L.

In plausus consurrectum est: jactat basia
Tibicem, gratulari fautores putat.
Equester ordo stultum errorem intelligit;
Magnoque risu canticum repeti jubet.

In plausus consurrectum est, & mox; *Plaudit inludens eques*] Ita solent spectatores Fabula vel Comœdia finita. Sed verbum *Plaudere* proprie textricum est, Græce σπαθᾶν, vel κρεκτεῖν, cum illæ licium densius inculcant & cum plausu collidunt. *Apul. Lib.* 1. *Metamorph. Dextra sæviente frontem replaudens*, id est repercutiens. Et postea verbum hoc etiam in theatrum migravit, eoque peractis Fabulis spectatores dimittebantur. VALERE enim & PLAUDERE jubebantur in hunc modum *Valete & Plaudite*, quæ vel à GREGE, vel ab ea persona quæ postrema in Scenam introducebatur, pronunciabatur, quod in *Terentii* Comœdiis perpetuum est, qui non tam late se effundens in hac formula, quam *Plautus*, solo verbo PLAUDITE nonnunquam contentus est. *Plautus* quippe uno, & item altero versu, quandoque plausum dari variis verborum figuris jubet. Alluserunt *Ovid.* 2. *Trist.*

Plauditur, & magno palma favore datur.

Et *Tertull. Lib.* 1. *Adverſ. Valent. Quod ſupereſt, inquam, vos Valete, & Plaudite. Apulej. Lib.* 3. *Florid. Renunciavere Poëtam dixiſſe rebus humanis VALERE, & PLAUDERE; ſuis vero familiaribus, DOLERE, & PLANGERE.* L.

Jactat baſia] Id eſt deoſculatur hominum dextras: de quo more ſupra; vel etiam de oſculis genarum intelligo, quæ non minus frequentia apud Romanos fuiſſe, ex *Martiali* diſcimus. *Rittersh.* Sic *Juvenal. Sat.* 4. 5. 18.

Blandaque devexæ jactaret baſia rheda.

De ſcenicis *Martial.* 177.

——— *circum pulpita noſtra*
Et ſteriles cathedras baſia ſola crepant.

Jactat baſia, adorat. Vetus Epigram.

Ingreſſus ſcenam populum ſaltator adorat.

Adorare eſt quod ait *Juvenal. Sat.* 3. *Verſ.* 106.

A facie jactare manus. ———

Rigalt. Optime itaque noſter, et alia nonnunquam. *Tacit. Lib.* 1. *Hiſtor. Nec deerat Otho protendens manus, adorare vulgum, jacere oſcula*, &c. *Fab.*

Gratulari fautores] Vetus Gloſſ. *Fautor ἐυφημιστής. Rigalt.* Faventes dixit *Horat. Carm. Lib.* 3. *Ode* 24.

Quo clamor vocat, & turba faventium.

L.

Equeſter ordo, & mox; *Plaudit inludens eques*] Erat in theatro certus equeſtri ordini attributus locus; ex quo ſpectarent equeſtria appellat *Sen. Lib.* 2. *de Benefic. Cap.* 12. *Equeſtria*, inquit, *omnium equitum Romanorum ſunt. In illis tamen locus meus ſit proprius quem occupavi.* Et mox: *Habeo in Equeſtribus locum, non ut habitem, in hoc tantum ut ſpectem. Præterea non mentiar ſi dicam me habere in Equeſtri locum: ſed cum in theatrum veni, ſed plena ſunt Equeſtria, & jure habeo locum illic, quia ſedere eſt mihi liberum, & non habeo, quia ab his, cum quibus jus mihi loci commune eſt, occupatus eſt*, &c. Equeſtria, ſcilicet ſedilia: ſolebat autem locus in theatro tribui ſecundum cujuſque cenſum. Qua de re alibi. Vide & *Lipſ.* ad 15. *Annal. Tacit.* De diſtinctis in Theatro ſpectatorum locis ac ſedibus pro cujuſque dignitate. *Rittersh.* Dixit & *Sen. de Tranquil. an. Cap.* 11. *Publius tragicis comicisque vehementior ingeniis, quoties, minutas ineptias, & verba ad ſummam caveam ſpectantia reliquit*, &c. Ubi per *Summam caveam*, innuit imam & mediam fuiſſe. Ima, ſeu arenæ proxima Orcheſtra, ſenatorio ordini tributa. Poſt Orcheſtram Quatuordecim gradus, ſeu Equeſtria, locus ac ſedes equitum; à media cavea ad ſummam, populorum, ſeu tertii ordinis gradus. *Propert.*

Colla cave inflectas ad ſummum obliqua theatrum.

Atque hinc patet quo pacto *Cic. Famil.* 32. ait: *Balbum annulo aureo donatum in Quatuordecim deduxit.* Et *Sedere in Quatuordecim*, idem alibi. Item *Sen. Epiſt.* 44. *Multis Quatuordecim ſunt clauſi.* L.

Stultum errorem] Errorem ex ſtultitia, & judicii infirmitate natum. Sunt autem errores & ex aliis cauſis; quod ideo addo, ne quis otioſum arbitretur. *Scheffer.*

Iteratur illud: homo meus ſe in pulpito
Totum proſternit: plaudit inludens eques;
Rogare populus hunc coronam exiſtimat.

Homo meus] Quando de ſtupore alterius ſermo eſt, eleganter illum Noſtrum dicimus. *Catullus*:

Talis eſt meus ſtupor, nil videt, nil audit.
Ipſe quis ſit, utrum ſit, an non ſit, id quoque neſcit.

In quo loco doctiſſimum *Lipſium*, quem tantopere adoleſcentiæ meæ favere gaudeo, fruſtra fuiſſe nollem: nam ut ibi recepta lectione inſuper habita corrigamus: *Merus ſtupor*, ego ſane, qui meus ſtupor eſt, cauſam adhuc nullam excogitare potui. Sic autem loquimur quaſi per ironiam illum

illum commendantes: Nam etiam vere ſi quem laudamus, Noſter eſto, dicere conſuevimus. *Schop.* Elegantiſſime illud *meus* uſurpat, velut per commiſerationem tantæ ſtultitiæ. *Scheffer.*

In pulpito] Ubi canere, fabulamque agere ſolebant perſonæ. Vide *Scalig.* 1. *de Poëtic. Cap.* 21. & alios. *Scheffer.* Hinc *Sueton.* in *Calig. Cap.* 54. *Saltabat autem nonnunquam etiam noctu, & quondam tres conſulares ſecunda vigilia in palatium accitos, multaque & extrema metuentes ſuper pulpitum collo cavit.* Erat quippe in ſcena Proſcenium, id eſt locus ante ſcenam porrectus, ubi pulpitum excitatum erat, quo actores fabularum prodirent, ita ut ſcena altior eſſet pulpito, pulpitum autem altius Orcheſtra; quæ ipſa locus erat ſaltantium, ob id Orcheſtra dicta quaſi ſaltatorium. L.

Rogare] Petere. Idem quod Galli dicunt: *Demander.* L.

Coronam] Præmium certaminibus in ludo illo. *Scheffer.*

Ut vero cuneis notuit res omnibus:
Princeps ligato crure, nivea faſcia,
Niveiſque tunicis, niveis etiam calceis.
* * * * *
Superbiens honorem vidit divinæ domus,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

Cuneis] Eleganter; è re militari mutuato vocabulo. Nam *Cunei*, Peditum ſunt *Globi*, ut *Vexillationes* equitum turmæ. Atque ita hæc verba diſtinguenda ſunt in *l.* 1. *de bon. milit.* in *Cod. Theodos. Veget. Lib.* 3. *Cap.* 19. *Cuneus dicitur multitudo peditum, quæ juncta cum acie, primo anguſtior, deinde latior procedit, & adverſariorum ordines rumpit.* Idem *Lib.* 1. *Cap.* 26. *Tertio præcipiendum eſt, ut quadratam aciem repente conſtituant, quo facto in Trigonum, quem cuneum vocant, acies ipſa mutanda eſt.* *Ammian. Marcellin. Lib.* 31. *Congregatoſque in cuneos ſenſim progrediens.* Et mox: *Veſperaque intendente Gothorum vaſtatoriis Cuneis prope flumen Hebrum ſubito viſis.* Quibus in locis promiſcue *Globos*, & *Cuneos* ab eo auctore appellari cernimus. *Globos* autem etiam *Drungos* (non ut vulgo legitur Drumos, vel Grunos) vocitatos *Veget. Lib.* 3. ſcribit. L.

Ligato crure &c.] *Pompejo candida faſcia crus alligatum habenti, Favonius, non refert, inquit, qua in parte corporis ſit diadema. Res ejus regias exprobrans cavillatione panni exigui.* Seditioſi albis veſtibus induti, *Artemidor. Oneirocrit.* 2. Λευκὰ ἱμάτια παρέχως σημαίνει, διὰ τὸ τὰς ἐν ὄχλῳ ἀναστρεφομένας λευκὰ ἔχειν ἱμάτια. *Rigalt.* Hinc *Faſciæ Crurales* in *l.* 25. §. 4. *ff. de aur. vel arg. leg.* Veteres certe quidam pedes faſciis vincire, & obvolvere ſolebant maximeque mulieres. Quod *Cicero* his verbis quæ à *Nonio Marcello* relata ſunt, quibus Clodium ut mulierarium inſectatur docet. *Tu*, ait, *cum vincirentur pedes Faſciis, cum calanticam capiti accommodares.* Ejus rei *Plinius* quoque *Lib.* 6. *Hiſtor. Natur. Cap.* 2. indicium facit, narrans mures Carboni *Faſcias, quibus in calceis utebatur*, arroſiſſe. Et hæ erant *Pedules Faſciæ*, *l.* 27. *in fin. ff. de aur. vel arg. leg.* Pedum tegmina, quæ tamen uſum calceamentorum non præſtant. Unde veſti cedere eas quod partem corporis veſtiant, adſerit *Ulpianus* in *d. l.* 25. §. 4. *ff. de aur. vel arg. leg.* Etenim *Pedule*, interprete *Cornelio Frontone* in *Libel. de Nom. & Verbor. differ.* dicitur, quod ſub *Pedibus præſtat utilitatem.* Hoc amplius & crura faſciis veſtiri olim, ſolita *Quintilian. Lib.* 2. *Cap.* 3. Non obſcure ſignificat, ut & *Valer. Max. Lib.* 7. *Cap.* 2. Qui Pompejum candida faſcia crus obligatum habuiſſe refert. *Faſciis* utique puellarum, ac matronarum pectus tegi, papillaſque comprimi conſuevisſe,

ne *Isidorus* quidem Lib. 20. *Origin. Cap.* 32. ignoravit. L.

Nivea fascia] Alba, candida, qui color olim relatus est inter regales. Vide *Sueton. Domit. Cap.* 12. *Vellej. Paterc. Lib.* 11. *Cap.* 2. *Cic. Attic.* 11. *Epist.* 3. Adde quoque quæ Amplissimus Eruditissimusque *Thomas Bartholinus* nuper docuit in politissimo opusculo *de Nive. Scheffer.*

Niveis etiam calceis] Albi calcei delicatorum & mollium erant: nempe qui mulieribus magis convenire videbantur. *Clem. Alexandrin.* 2. *Pædagog. Cap.* 2. Γυναιξὶ μὲν οὖν τὸ λευκὸν ὑπόδημα συγχωρητέον, πλὴν εἰ μὴ ὁδεύοειν· τότε δὲ τῷ ἀλιπτῷ χρηστέον· ἡλωμένων δὲ δέονται τῶν καττυμάτων αἱ ὁδεύουσαι. πλὴν τὰ πολλὰ ὑποδήμασι χρηστέον αὐταῖς· οὐ γὰρ ἁρμόζει γυμνὸν ἐπιδείκνυσθαι τὸν πόδα ἄλλως τε καὶ εὐαίσθητον εἰς βλάβην ἡ γυνή. ἀνδρὶ δὲ εὖ μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία. πλὴν εἰ μὴ στρατεύοιτο. Bene igitur Aurelianus apud *Vopiscum*: *Calceos mulleos, & cereos, albos, eredarios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit.* Nec enim hic legendum *Galbos* facile mihi persuadet doctissimus Belgarum *I. Lipsius Cap.* 13. *Lib.* 1. *Elect. Rigalt.* Romanis quippe elegantoribus albi calcei in usu erant. Unde *Martial. Lib.* 7. *Epigr.* 32.

Sordidior cæno cum sit toga, calceus autem
Candidior prima sit tibi, Cinna, nive;
Dejecto quid inepte pedes perfundis amictu?
Collige, Cinna, togam, calceus, ecce, perit.

L.

Honorem divinæ domus] Augustæ Imperatoriæ, Principalis. *Vlpian. l.* 12. *ff. ad Sc. Turpil. Si interveniente publica abolitione ex Sc. (ut fieri adsolet) vel ob lætitiam aliquam vel honorem domus divinæ* &c. *Rigalt.* Sic & in *l.* 64. *ff. de decurion. Nov. Theod. & Valent. de resc. vend.* & *Nov. un. De trib. fisc.* Item *Domus æternabilis*, in *l.* 5. *de loc. fund. jur. emp.* in *Cod. Theodos. Domus Augusta, l.* 2. *de cond. & hom. dom. aug. l.* 1. *de privil. dom. aug. Domus dominica, Nov. Valent. & Mart. de indulgent. reliq. Domus nostra l.* 11. *de jure fisci. Domus Regia, Nov. Theod. & Valent. un. neque dom. divin. Domus Sacra. l.* 9. *de indulgent. deb. in Cod. Theodos.* Et Hinc *Domus divinæ ac venerabilis Augustæ Pulcheriæ, seu Nobilissimarum Sororum l.* 21. *de lustr. conl.* in *Cod. Theodos.* L.

Capite est protrusus] Præceps datus. *Rittersh.*

FABULA

FABULA OCTAVA.

Tempus.

CUr sit volucri pendens in novacula
Calvus, comosa fronte, nudo corpore,
Quem si occupaveris teneas; elapsum semel
Non ipse possit Jupiter reprehendere:

TEmpus] Hæc quoque non est Fabula, sed ὑποτραφὴ vel προσωποτραφία. Confer Occasionis typum apud *Ausonium Epigram.* 11. Operæ fortasse pretium faciam, si hic adscripsero *Epigramma* doctissimi avunculi mei *Matthiæ Bergii* p. m. quod ex *Anthologia Græca Lib.* 4. Latinum fecit in statuam Occasionis. Id est hujusmodi, per Dialogismum:

Quæ patria artifici? Sicyon. Quid nominis autem?
Lysippus. Quæ tu? Occasio cuncta domans.
Cur rotulæ insistis? Circumferor usque. Quid alas
Affixit pedibus? Me levis aura rotat.
Cur dextræ est inserta novacula? Scilicet anceps
Cessantes acies hæc mea ferre nequit.
Quid crinita autem frons monstrat? Ut obvia prendar.
Cur calvum parte est posteriore caput?
Quod semel oblatam qui me permittit abire
Copia ei in reliquum non datur ulla mei.
Ingeniosa manus talem tibi me dedit, hospes,
Ut fias istis cautus ab indiciis.

Expectas forsan, lector, ut Græcum quoque subjiciam, quo magis in promptu sit collatio. En habe & ipsum.

Εἰς ἄγαλμα τῦ Καιρῦ,
Ποσειδίππε.

Τίς; πόθεν ὁ πλαύσης; Σικυώνιος.
ἄγομα δὴ τίς;
Λύσιππος. σὺ δὲ, τίς; Καιρὸς
ὁ πανδαμάτωρ.
Τίπτε δ' ἐπ' ἄκρῳ βίβηκας; ἀεὶ τρο-
χάω. τί δὲ ταρσὼ
Ποσσὶν ἔχεις ἀφυεῖς; ἵπταμ' ὑπηνέμιος.
Χειρὶ δὲ δεξιτερῇ τί φέρεις ζυρὸν; ἀνδράσι δεῖγμα,
Ὡς ἀκμῆς πάσης ὀξύτερος πέλεθρα.
Ἦ δὴ κόμη, τί κατ' ὄψιν; ὑπαντιάσαντι λαβέσθαι.
Νὴ Δία· παξόπιθεν δὲ φαλακρὸς πέλει;
Τὸν γὰρ ἅπαξ πτηνοῖσι πεδήσαντα μετώποις,
Οὔτις ἔτ' ἰμείρων δεράξεται ἐξόπιθεν.
Τοῖον ὁ τιχύπτης με δόλιπλοκος εἴκελον ὑμῖν
Ποίησεν, καὶ σὺ ταχὺς ἴθι δεῦρο παλίντ.

Τὸ ταχὺς *Posidippus* hic vocat pergulam. *Lucilius*:

Pergula pictorum veri nihil, omnia ficta.

Ulpianus l. 5. §. pen. ff. de his qui effud. vel dejec. Cum pictor in pergula clypeum vel tabulam expositam habuisset, eaque excidisset, &c. Sic *Plin. Lib. 35. Cap. 10. Perfecta opera proponebat in pergula transeuntibus.* Loquitur de *Apelle.* Sed tempestivum est ad *TEMPVS Phædri* nostri redire: imo & modum hisce Notis imponere. *Rittersh.*

Cur sit] Quid hoc monstri? aut quomodo cohæret oratio? Non dubito quin scriptum hic fuerit: *Vir sit: ἔτω ἀνὴρ*, hoc est, pingatur. Formula loquendi à Mathematicis sumpta, qui lineam vel circulum aliquem pingere jubentes, dicere solent: *Sit*, vel *esto*. &c. *Rittersh.* Vel lege: *Cursu volucri*, ut alatis pedibus. Vide Græcum *Epigramma Posidippi Anthol.* Εἰς ἄγαλμα τῦ Καιρῦ. *Rigalt.*

Pendens] Eleganter, pro leviter insistens, ut vix attingat. Imitatione *Virgilii*, qui sic de Camilla *Lib. 7. Vers.* 810. *Heinsius* de hoc loco ad me: *Salmasius ad Histor. Aug.* 323. *distinguit: Cursu volucri, pendens, in novacula. Imo, pendens in novacula, qui volat super novaculam. Sic pendere in aëre aves passim dicuntur. Hanc tamen distinctionem Rigaltius admisit posteriori editione.* Optime haud dubie. Probatque amplius *Virgilium*, quem subinde respicit. Nam & ipse *Lib. 1. Æneid. Vers.* 110. de navigantibus in tempestate isto sensu:

Hi summo in fluctu pendent. ——— *Scheffer.*

Comosa] Comis abundante. Ita *Plinius In orbem comosam* dixit *Lib. 16. Cap. 6. Scheffer.*

Elapsum semel] Eleganter in hanc sententiam *Gregorius Nazianzenus Carmine ad Nicob. Patrem Vers. 101.* Καιρῷ λαβώμεθα, ὃν ταχὺν ἔστιν ἑλεῖν, ζητεῖν δὲ παλαθείξαντα μέγιστον. Sic *Michaël Hospitalius in Carminibus eruditissimis:*

Prætermissa semel refert se Occasio nunquam.

Rittersh. Ita & *Plaut. Captiv.*

Semel fugiendi si data est Occasio,
Satis est, nunquam post illa possit prendere.

Rigalt. Scilicet uti est apud *Catonem*:

Rem tibi quam notis aptam dimittere nolis
Fronte capillata: post est occasio calva.

Unde *Sen. Epist. 22. Non tantum præsentis, sed vigilantis est Occasionem observare properantem; hanc circumspice, hanc si videris prende.* L.

Reprehendere] De verbo reprehendere jam in hac luce literarum pene supervacaneum est admonere, id hic non esse ἀπαλαθεῖν, vel μέμφεσθαι, vel τυχὸν λεῖσθαι, ut alias fere; sed more *Planti*, & *Terentii* poni pro ἀναλαμβάνειν, quod est recipere. Exempla ex Comicis observavit *Janus Guilielmius Quæst. Plaut. Rittersh.*

Estque

Eſtque prehenſum retro trahere. Proprie. *Cic. Acad. 4. Revocat virtus, vel potius reprehendit manu.* Adde *Nob. Heinſ. ad Lib. 13. Ovid. Metam. Verſ. 235.* & *Lib. 5. Verſ. 525.* & *Guyet. ad Terent. Adelph. Act. 4. Sc. 4. Scheffer.* Ita *Liv. Lib. 4. Dec. 4. Adeo turbati erant dextræ alæ equites, peditesque, ut quoſdam conſul Cato manu ipſe reprehenderit, verſique in hoſtem.* Et *Propert.*

Quam poſſit noſtros quiſquam reprehendere curſus.

Plaut. Pſeud. Act. 1. Sc. 2. Reprehende hominem, aſſequere. Item *Sueton. in Calig. Cap. 45. Velut profugos, ac reprehenſos in catenis reduxit*, id eſt, retro prehenſos. L.

Occaſionem rerum ſignificat brevem.
Effectus impediret ne ſegnis mora
Finxere antiqui talem effigiem Temporis.

Significat] Nempe Vir ita depictus, vel fictus: alioquin hoc verbum non habet nominativum, à quo regatur: quod vel unicum ſatis confirmat noſtram ſuperiorem emendationem. *Rittersh.*

Temporis] Non ſimpliciter, ſed ejus quod ante dixit *Occaſionem*, id eſt opportunitatem. Et ſic ſæpe Græci uſurpant. *Cornel. Nep. Alcibiad. 8. Tempus rei gerendæ* non dimiſit. Adde *Plin. Lib. 6. Epiſt. 5.* Ibique celeberrimum *Buchnerum. Scheffer.* Atque ita *Plaut. Pſeud. Act. 4. Sc. 2. Heus tu, nunc occaſio eſt, & tempus.* Et *Menæchm. Act. 3. Sc. 3. Quid ceſſo dum datur occaſio tempuſque.* Idem *Captiv. Act. 4. Sc. 1. In tempore advenis.* Hinc Græcis, εὐκαιρία, & ἐυκαιρος, opportune. L.

FABULA

FABULA NONA.

Taurus, & Vitulus.

ANgusto in aditu Taurus luctans cornibus,
Cum vix intrare posset ad præsepia,
Monstrabat Vitulus quo se pacto plecteret:
Tace, inquit, ante hoc novi quam tu natus es,
Qui doctiorem emendat sibi dici putet.

P*Ræsepia*] Ita dicebantur stabula in quibus equi, muli, & cætera id genus animalia continentur. *Virgil. 7. Æneid.*

Hæc effatus equos numero pater elegit omni,
Stabant ter centum nitidi in præsepibus altis.

Sed etiam linter ille concavus in quo jumentis, bobusque hordeum, avena, aliudve pabulum apponitur præsepe appellatur. Idem *Virgil. Lib. 4. Georgic.*

Ignavũ fucos pecus à præsepibus arcent.

L.

Ante hoc novi quam tu natus es.] Proverbium conveniens seni reprehendenti hominem adolescentem, & sciolum à quo lacessitur *Rittersh.*

Qui doctiorem emendat] Sus scilicet Minervam docens, ut est in alio proverbio. *Rittersh.* Similiter dici solet: *Ante barbam doces senes*; πρὸ τῆς γεννειάδος διδάσκεις τοὺς γέροντας: cum imberbis majorem natu docet; estque figura proverbialis, quod ait *Persius*: *Ante pilos.* L.

Sibi dici putet] *Terentianum* hoc est, *tibi*

tibi dictum puta. Rittersh. Sed *Rittershusio* sua memoria imposuit, nisi nos nostra fallat. Legitur quidem apud *Terentium: dictum puta*; at longe aliud significat. Locus est in primula *Andria*, quasi diceret istuc pro dicto habeto. *Je n' est pas besoin que vous en disiez d'avantage; je vous entends. Fab.* Sic & *Terent. Adelph. Act.* I. *Sc.* 2. *Hæc cum illi, Micio, dico, tibi dico*, quem locum ad oram sui libri bene politissimus juvenis Dn. *Lindemannus* annotaverat: nam quem attulit *Rittershusius*, alienus est, id quod *Faber* etiam observat. *Scheffer.*

FABULA

FABULA DECIMA.

Canis, & Venator.

ADverſus omnes fortis veloces feras
Canis, cum domino ſemper feciſſet ſatis,
Languere cœpit annis ingravantibus.

Canis & Venator] *Faërnus, Camerarius p.* 225. Simile autem illud *Ennii* apud *Cicer. de Senect.*

Sicut fortis equus ſpatio qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectus quieſcit.

Rigalt.

Feciſſet ſatis] Ita *Satisfacere*, & *Facere ſatis* in *l.* 25. § 1. *ff. de uſufr.* L.

Languere] Deficere debilitari. Ita *Languens vox* dicitur apud *Cicer.* 1. *Offic.* Idemque in *Piſon. Quanquam languet juventus, nec perinde, atque debet in laudis & gloriæ cupiditate verſatur.* Et *Philip.* 1. *Quamque languerem è vita, & mihimet diſplicerem, niſi,* &c. L.

Annis ingravantibus] Pro ingraveſcentibus: ac forte an ſcripſit *Phædrus Ingraventibus:* an retinendum potius *Ingravantibus*, quaſi poſitum pro adgravantibus, ipſam ſcilicet canem? *Rittersh.* Puto eſſe poſitum pro *Gravantibus*, cum anni eum gravarent, id eſt, moleſtiam afferrent: quomodo apud *Virgilium*, *Gravare labor* dicitur. *Scheffer.* Nam *Ingravare* proprie eſt exaggerare, gravius facere *Virgil.* 11. *Æneid.*

Ingravat hæc ſævus Drances. ——

At *Ingraveſcere* huic ſententiæ accommodatum vocabulum, quemadmodum *Cicer. ad Brut.* dixit, *Ingraveſcit indies malum.* Et *de Senectute: Corpora quidem defatigatione, & exercitatione ingraveſcunt, animi autem ſe exercendo levantur.* L.

Ali-

Aliquando objectus hiſpidi pugnæ Suis,
Adripuit aurem: ſed carioſis dentibus
Prædam dimiſit, hic tum Venator dolens,
Canem objurgabat. Cui ſenex contra latrans;

Objectus] Objectus pugnæ eſt commiſſus cum eo in pugnam. *Scheffer.* Atque ita JCtis. dicitur, *Objici beſtiis, l.* 11. §. *ult. ff. de pæn. Paul. Lib.* 5. *Sentent. Tit.* 19. & *Tit.* 22. & 23. non ſemel. Ut *Objicere feris* dixit *Cic. pro Roſc. Amer.* Et *Spartian.* in *Anton. Carac. Si quando feris objectos vidit.* L.

Cariosis dentibus] Præ ſenectute carie, & pruilagine obſitis. *Ovid.* 1. *Amor.*

Quid preceer iratus? niſi vox cærbſa
ſenectus
Rodat. ———
L.

Cui ſenex contra latrans] Jungo, *Senex latrans*, id eſt vetulus canis. Sic latrantem etiam ſubſtantive *Guntherus* meus poſuit *Lib.* 5. *Ligurini:*

Portavit ſcapulis paſſus plus mille latrantem.
Rittersh.

Non te deſtituit animus; ſed vires meæ:
Quod fuimus laudas, jam damnas quod non ſumus.
Hoc cur, Filite, ſcripſerim, pulchre vides.
* * * * *

Te deſtituit animus] Scilicet *mens.* Non deſtituit, non fallit, non facere negligit aut curat quod imperes. *Vellej. Paterc. Lib.* 2. *Cap.* 42. *Conata ejus qui obtinebat Aſiam, metu ſuo deſtituit. Scheffer.* Sic *Deſtituta viribus Reſpublica* dicitur in *l.* 3. §. *Præſes. ff. de muner. & honor.*

Sed vires meæ] Scilicet:

Vt deſint vires tamen eſt laudanda voluntas.
L.

Jam damnas] Ordo eſt: *Damnas quod jam non ſumus*, puta id, quod fuimus, hoc eſt, ægre fers, quod non ſemper retineamus, & ſic etiamnum habeamus illas vires, quas habuimus olim. *Scheffer.* Atque ita *Damnas* ſignificat culpas, reprehendis, uti apud *Cicer.* 4. *Tuſcul. Rerum naturam potius, quam errorem damnare volumus.* L.

Hoc cur ſcripſerim] Nempe quia ſenex ſum, & annorum deprædationem ac damna ſentio; ſic & ſupra aliquoties de ſenectute ſua *Phædrus* meminit: uti & de adverſariorum ſuorum iniquitate. De utraque & hic nonnulla ſubjeciſſe videtur, quæ periiſſe indicant aſteriſci. Sed ad hujuſmodi querelas ſenectuti omnes recte uſurpabitur ille *Publii Syri Mimus:*

Fruſtra, cum ad ſenectutem ventum eſt, repetas adoleſcentiam.
Rittersh.

Pulchre vides] Faciunt hic aſteriſcos aliqui, tanquam deſit nonnihil. Verum fruſtra. Sic enim ſolet aliquando finire, ut *Lib.* 3. *Fab.* 12.

Hoc illis narro, qui me non intelleguut.
Et eodem *Lib. Fab.* 1.

Hoc quo pertineat, dicet qui me noverit.
Unde ſimul diſcimus, ſolere eum ita loqui, quotiens de ſeipſo agit. Quod cum hic quoque fiat, non eſt dubium, quin integra ſint omnia. Vult enim ſe excuſare Fileto, quod non ea ſcribat alacritate ſenex, qua fecit olim, cum adhuc ætate viribuſque eſſet integris. *Scheffer.*

RITTERS-

RITTERSHUSIUS.

Atque hæc ad hunc modum in *Phædri* Fabellas commentabar paucis horis. Nec me hujus laboris pœnitet : neque is à juris Professore alienus videri debet. Jam enim inter omnes sanos constitit Jurisprudentiæ studiosum oportere etiam Antiquitatum, & Latinæ Linguæ minime ignarum esse : quarum rerum ad utramque parvus hic libellus non parvum adferre momentum potest. Deinde si ICto. majorum gentium qui hunc primus in lucem protulit, gloriosa fuit, eritque semper editio : quis nobis minorum gentium qui sumus, commentationem hanc, & iteratam editionem vitio verterit ?

LIBELLUS

LIBELLUS
VARIARUM LECTIONUM
EX
OBSERVATIONIBUS
EORUM QUORUM NOTÆ
AD
PHÆDRI FABULAS
ACCESSERUNT COLLECTUS.

Digitized by Google

LIBELLUS VARIARUM IN PHÆDRI FABULIS LECTIONUM.

LIBER PRIMUS.

PROLOGUS.

DUplex *libelli mos eſt*] *Duplex libellis os eſt* ſic repono è Vet. Cod. M S. libellis ſuis *Phædrus* duplex os, duplicem vultum, duplicem perſonam impoſuit, riſum movere, & vitam monere. *Rigalt. Duplex libelli dos eſt. Fab. Duplex fabellis os eſt* Doctiſſimus *Gronovius* unicus *Livii* reſtaurator à *Fabro* dictus. *Scheffer.*

FAB. I.

FAce *improba*] Fame improba. *Rittersh.* Quid ſi *voce improba?* Lupus latro incitatus improba voce cauſam jurgii quæſivit, niſi pro *Latro* legendum ſit *Lucro*, ut prædæ ſpem intelligat *Schop. Fauce improba. Fab.* Quod eſt idem atque ore improbo, inverecundo, *Pithœus* cæterique habent *face* quod cur reſpuant tantopere non video. Sane *cauſam inferre fauce*, vel *ore* num dicatur apud Latinos ignoro, neque *incitari fauce* reperio: At *face incitari*, ſicut *incitari ira* apud *Ciceron: Off.* 1. *Incitari ſtudio* apud *Cæſ.* 3. *Civ. Bellor.* Nam & *fax* hic nihil aliud ſignificat quam ſtimulum cupiditatis. Quomodo *Quintilianus*, vel quicunque denique opuſculi de cauſis. Eloquentiæ corruptæ Auctor *Cap.* 40. *Quantum ardorem ingenii, quas oratoribus faces ac movebant.* Adde *Barth. Lib.* 42. *Adverſ. Cap.* 16. Quanquam nequid hic diſſimilem in animo habuiſſe Noſter videatur; locum *Virgilii* qui eſt *Lib.* 2. *Æneid. Verſ.* 355. *& ſeqq.* Ubi *improbam* ventu rabiem, & *fauces* ſiccas Poëta in lupis commemorat. Quod ſi verum eſt, per *faucem improbam* famis magnitudinem, & ſtudium devorandi hoc in loco intelligere debebimus. *Scheffer.* Itaque explicat *Guyet.* Additque *n* face hic locum habere non videri.

Aquam] Veteres habebant *iſtam*, quod retineo, & *aquam* (quo illi quidem claudebant verſum priorem) pro gloſſemate habeo illius *turbulentam. Scheffer.*

Ante hos ſex menſes] Luxatus eſt verſus, quem hoc modo reſtituo:

Ante hos ſex menſes maledixiſti, ait, mihi.

Meurs.

Maledixiſti mihi] Conviciis injuriam feciſti, *Terentius* Eunucho:

Cave ſis, neſcis cui maledicas nunc viro.

Cæterum pro *maledixiſti*, quod habent vulgo mallem *maledixti* contracte. *Scheffer.*

Pater hercle tuus] Etiam hunc luxatum reſtituo:

Pater tuus inquit, hercle maledixit mihi.

Meurs. Eamque conſtructionem ſequitur *Vrſinus* Spirenſis (qui auctorem hunc in lucem dedit Ratisbonæ A°. 1657) Puto ego illud *male* à Gloſſa eſſe, repedendumque ex ſuperioribus. *Scheffer.*

FAB. II.

Conſpiratis factionum partibus] Malle eruditiſſimus *Gronovius*: *Hinc conſpiratæ factiones partibus*, legere, ut per literas ſignificavit. *Scheffer.*

Petierunt à Iove] Puto ſcribendum *petierunt Iovem*. Sed video ſcriptorem hunc leges metricas minus calluiſſe, vel certe inſuper habuiſſe. Sic ſtatum *diutius* Triſyllabum fecit. *Schop.* Vet. *Petierunt*. Itaque, *Vrſinus* tranſpoſite *petierunt regem*. *Scheffer.*

Qui diſſolutos mores vt compeſceret] *Vt compeſceret*, hæc eſt vetuſtiſſimi codicis ſcriptura, avulſus autem ſuo loco hic verſus videtur. Reſtitue & lege:

Rana vagantes liberis paludibus
Clamore magno regem petiere à
Iove
Pater Deorum riſit, atque illis
dedit &c.
Quod cum inquinaſſent omni
contumelia
Alium rogantes regem miſere ad
Iovem
Qui diſſolutos mores ut compeſceret,
Inutilis quoniam eſſet qui fuerat
datus,
Tum miſit illis hydrum &c.

Rigalt. Video hic trajectionem à viris doctis inſtitutam quam non probo. *Meurs. Vlitius* etiam ſcribit *ut* in Not. ad Gratium, ex Pithæano codice, aitque eleganter abundare *Nic. Heinſius*: *Sibi diſſolutos mores ut* (vel *qui*) *compeſceret*. *Scheffer.* Pithæanus codex habuit, *vi compeſceret*, quod retinendum videtur, neque avulſum arbitror ſuo loco hunc verſum, & viſum eſt viro doctiſſimo. Sic enim Rimicius quidam qui Phædri Fabulas ſoluta oratione reddidit, hæc eadem de re loquens, ait, *Rana vagantes in liberis paludibus, & ſtagnis, clamore magno ad Iovem facto, petierunt ſibi rectorem, qui errantes corrigeret.* Rimicii hujus exemplar mihi è Palatina Bibliotheca ſuppeditavit. V. A. Janus Gruterus, Ulmiæ olim impreſſum; Fabulas Æſopi, Avieni, & Anonymi noſtri fabulatoris Latina Germanicaque oratione expoſuit. Id monendum hoc loco duxi, quod aliquoties hujus Rimicii facturus ſum mentionem. *Nevelet.*

Miſſum] Fuge mutare *Rigalt.* Scribit *Rittershuſius immiſſum*. Cauſa nulla, quia ſimplex hic, ut ſæpe alias vim habet compoſiti. Pariter & *Statius*, *mittere corpus ſepulturæ* dixit;

imo

imo *missum* hic est *demissum*, non *immissum* propter id quod sequitur. *Scheffer.*

Vadu] Remens. Codex habet *Vadi*, optime. Vult enim cum daretur cœlitus, delapsum commovisse aquas, & in eis edidisse sonum, atque ita terruisse *motu vadi*. *Scheffer.*

Motu sonoque] rescripserim:

Totum sonore terruit pavidum gentem.

Meurs. Quod nihil necesse est *Fab.* optime *Praschius*, *motu visum*, *sono auditum vult* exterritum. *Scheffer.*

E stagno] Mallet. *Phrasium* hic scribere limo & superius *stagno*, perperam nec admittit ratio antecedentium. *Scheffer.*

Cunctas evocat] Rimicius legit *advocat*. *Neveler.*

Ne veniat] *Nic. Heinsius* addendis ad *Tom.* 1. *Ovidii p.* 56. emendat: *Ne eveniat*, optime. *Scheffer.*

FAB. III.

SUoque potius habitu] Lego: *Suo quin potius habitu*. *Meurs.*

Immiscuit se pavonum formoso gregi] Omisso *se* legendum: *Immiscuit pavonum formoso gregi*. Alias redundat versus, ni se ἀπὸ κοινοῦ ex superioribus repetendum, non autem huc infarciendum fuerat. *Rittersh.* Metrum vult ut legamus: *Pavium*, pavus & pavo notum. *Schop.* Statuenda est συνίζησις in voce *immiscuit*, quæ hoc loco τετράσημος est; ita *Virgil.* ni miscuerunt trium syllabarum fecit:

Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.

Ita & hic noster *Lib.* 2. *Fab.* 4. *præbuerunt* in trium syllabarum modum coëgit:

Felisque catulis largam præbuerunt dapem.

Neque vero hæc scriberem, nisi *Schoppium*, qui sibi argutissimus est, vidisse legere, *pavium*, pro *pavonum* (nam & *pavus*, & *pavo* dicitur) ut versui, quem laborare existimat, remedium aliquod adferat. Sed ego hominem demiror, qui cum alicubi scripserit, leges metricas ignorasse *Phædrum*, hic tamen Stertinium ipse cerebrum habeat. *Fab.* Verbum *Immisuit* tribus syllabis conjunctis duobus postremis vocalibus efferendum esse *Faber* contra *Schoppii* emendationem monet; jamque ante *Barthius* 47. *Addit.* id fecerat, verum rectius Nob. *Heinsius* statuit, trajiciendas esse voces isto modo: *Se immiscuit pavonum formoso gregi*. Cum illud *miscuerunt* ex *Virgilio* quod allegat *Faber* sit Dactylus, *præbuerunt* vero ex Nostro Anapestus, veteresque talia tam correpta, quam producta tertia syllaba enunciaverint. *Scheffer.*

Notam] v. c. *Notissam*. *Rigalt.*

Sedibus] *Rimicius* quidam, qui Æsopi Fabulas, ex Phædro plurimum desumptas, olim Ulmæ publicavit, habet, *si bas vestes amasset*. Inde *Neveletus* conjectabat, *vestibus* pro sedibus hic legendum. Verum ego nihil muto. Nam respexit verbis hisce, quod de graculo præcedit, *immiscuit se gregi pavonum*, quod autem vestes attinet, id innuitur verbis sequentibus; *si voluisses pati, quod natura dedit*. *Scheffer.*

FAB. IV.

DUm *ferret*] Neſcio num non eſſet melius *cum ferret*. *Scheſſer.*

Perferri] *Ferri*. *Rigalt*. *Fab.*

Demiſit] Ita habuerunt veteres, *Rigaltius* in ſuis edidit *dimiſit* cauſam nullam video, *demiſit ore*, idem eſt, ac *miſit de ore*. Sic plane *Virgilius* quem neſcio utrum non reſpexerit noſter *Lib*. 6. *Æneid*.

Demiſit lachrymas, dulcique affatus amore eſt.

Et *Lib*. 4. *Georg*.

——*& ſacrum jugulis demiſit cruorem.*

Scheſſer.

Nec quem petebat adeo] Verſum ita ordinat Urſinus:

Nec quem petebat potuit adeo attingere.

Cæterum illud *potuit* byſyllabum *Barthius* putavit, & lectionem veterem retinuit. *Scheſſer.*

FAB. V.

SOcii *fuere*] Nob. *Heinſius*, *ſocietatis ire*. Quod ſi admittimus, ſequens *inſalubribus* ad *cepiſſent* referendum fuerit. *Scheſſer.*

Hi cum cepiſſent] Non mendum cenſeo, ſed tamen eſt ut à Phædro ſcriptum putem: *Hic cum cepiſſent* ut referatur ad τὸ *ſalubribus* quod proxime præcedit. *Meurs.*

Sola improbitas abſtulit] Malebam: *Solus improbiter abſtulit*. *Meurs.* Nil ego vidi melius, ſed audi tamen *Meurſium*: *Malebam*, inquit, *ſolus improbiter abſtulit*. Sed quis verſui quiritanti ſubveniet? neque enim erit verſus trimeter, ſi ita legas: idque πάσης μουσικῆς ἄγαυσι ſentient *Fab.* Nec hic ullo modo *Meurſius* eſt audiendus. *Scheſſer.*

FAB. VI.

SOlem *velle ducere*] Correxeram de conjectura: *Sol cum vellet ducere*. Cum ecce video id jam ante me feciſſe eruditiſſimum Rigaltium. Gaviſus ſum divinationi meæ eſſe firmamentum. *Meurs.*

Cogitque] V.C. *Cogetque*. *Rigalt.*

Crearit] V.C. *Crearet*. *Rigalt.*

FAB. VII.

O *quanta ſpecies*] *Neveletus* malet ex *Remicio*: *O quanta ſpecies ait, & cerebrum non habet*. Quid ſi ſcripſerit: *O quanta ſpecies, & cerebrum non habet*? Ut illud, *inquit*, vel *ait* ſit à Gloſſa: & ſolet fere noſter omittere. *Scheſſer.*

FAB.

FAB. VIII.

INdignos] V.C. *Dignos. Rigalt.* *Tandem perſuaſa eſt jurejurando gruis*] Hiatum video, & defectum duum trium verſuum. Nam circumiens, pretio omnes illicere lupus voluit; cur igitur grus perſuaſa eſt jurejurando? ſine dubio interjectum fuerit: neminem medicinam facere auſum fuiſſe, cum fidem lupo non haberent; quod cum is animadverteret, jurejurando ſe obſtrinxerit: verum cum neque ſic ullus temere reperiretur, qui vellet experiri, tandem grus perſuaſa fecit. Itaque ſic edendus hic locus:

——— cæpit ſingulos
Inlicere pretio, ut illud extraherent malum.
* * * * * *
Tandem perſuaſa eſt jurejurando grus.

Ego, ut animo meo morem gererem, ſupplementum tale ludibundus faciebam:

——ut illud extraheret malum.
Cum nemo auderet, & fidem cunctis ſibi
Suſpectam haberent, omnem ejuravit dolum.
Tandem perſuaſa. ———

Equidem ſic cenſeo; judicabit æquus lector. *Meurs.*

Mercedem poſtulas] Lege *poſtules:* præceſſit enim *abſtuleris. Rittersh.* Lege *poſtules*, quod & *Rittershuſius* monuit. *Fab.* Ego nihil muto: Nam conjunctionem &, non *ni abſtuleris*, ſed *ingrata es* cum verbo poſtulas connectere exiſtimo. Senſus eſt: Tu pro hoc meo beneficio, non ingrata ſolum es, non laudando videlicet raram hanc & ſingularem meam clementiam ſed inſuper & mercedem poſtulas, quaſi non ſatis ſit mercedis quod vitam tibi conceſſerim. *Scheffer.*

FAB. IX.

MOrtis in ſolatio] Mendum hic latere puto, quod quale ſit quæramus *Schop.* ſcripſerim: *Mortis in ſolatium.* Sed nihilominus hæc hiulca ſunt, & exciderit verſus:

Hæc talia conſpicatus, infit ô bone,
Qui modo ſecurus &c.

Certe talis aliquis. Nam non hæc verba ſolatium mortis lepori afferebant, ſed aſpectus ſimilis fortunæ, in quam paſſer incidebat. *Meurs.* Facilis emendatio eſt. Scripſit Phædrus: *Mortis in ſolatium*, more veterum cujus hodieque apud Plautum, Terentium, Lucretium, & Catullum veſtigia ſuperſunt, & in omnibus fere M.SS. Codd. ſed ſciolus aliquis aut negligens exſcriptor *Solatio* ſcripſit. Senſus eſt: tum lepus moriens, quo triſtem atque acerbum ultimæ neceſſitatis caſum ſolaretur, dixit, *qui* &c. Hæc cum ſcripſiſſem, *Iſacus Sarravius*, digna parente proles, *Phædrum Ioannis Meurſii* ad me pro ſua humanitate ab Urbe miſit, ubi hæc verba legi: Scripſerim, inquit, *Meurſius*, *mortis in ſolatium.* Itaque de emendatione habeo aſſentientem Meurſium. *Fab.* Poſſet propius à ſcriptura veteri *ſolatia* hic poni ſenſu parili. Quod autem *Meurſius* hic putat aliquid deeſſe, in

eo frustra est haud dubie. Nam solent crebro sic omittere verbum, *inquit*, quod & hic fit. *Virgil.* 5. *Æneid.*

Tum pius Æneas : equidem sic poscere ventos
Iam dudum, & frustra cerno tendere contra.

Hæc notaveram cum incomparabilis *Gronovius* in literis ad me suis: *Non patior hæc corrigi. Est enim : Lepus, acceptoin media morte solatio mortis, vel quum ei adhuc semivivo hoc solatium, & levamentum sui mali efferretur (nempe quod derisorem suum videbat ante oculos interfici) dixit, nempe qua sequuntur.* At vero *Tanaquillus Faber*, cujus postea eruditissimas in Phædrum notas Argentorato ad me misit Elegantissimus Doctissimusque D. *Ericus Lindewannus* Ostrogothus, emendationem Meursii retinet, nisi quod pro *solatium*, *solatiam* antique scripsisse nostrum putet. *Phrascius* quoque Meursium sequitur. *Heinsius* sic locum totum scribit : *Lepus semianimus, mortis en solatio!* ut sint verba leporis. Ingeniosissime, ut solet. *Scheffer.*

FAB. X.

Attestatur] Nescio an non & *testatur* noster scripserit. *Scheffer.*

Furti] V. C. *Forti. Rigalt.*

Culpæ proximam] Mallet *Heinsius culpæ obnoxiam*, de quo vide politissimas doctissimasque ejus notas ad *Ovid. Art. Vers.* 395. *Scheffer.*

Surripuisse] *Heinsius* malebat *surpuisse*, Catulli, *Horatii*, & aliorum exemplo ut sit mitior numerus. *Scheffer.*

FAB. XI.

Ignatos] Quod *Barthius* existimat, *Ignotus fallit, notus est derisui*, co minus placet, quia *notus* est in omnibus codicibus. *Scheffer.*

Hic auriculas clamore subito] Τὸ *u*, in penultima syllaba scandendo evanescit, quasi scriptum foret *Auriclas. Rittersh.* Veteres membranæ : *Hic auriculas clamorem subi* &c. Chartula Danielis: *Hic auriculus clamorem subitum tollit.* &c. An leg. *Auritulus.* Sic asellus auritus, *Ovidio* 2. *Amor. Eleg.* 7. Phædrus *Auritulum*, pro *Asino* dixit, ut *Fab.* 1. *Lanigerum*, pro *Agno*, & *Lib.* 4. *Fab.* 8. *Barbatum*, pro *Capro*, & *Lib.* 5. *Fab. ult. Latrantem*, pro *Cane*

Assice ut auritus miseranda sortis asellus.
&c. *Aristot. Cap.* 6. *Phisiognom.* Οἱ πὰ ὦτα μικρὰ ἔχοντες, πιθηκώδεις, οἱ δὲ μεγάλα, ὀνώδεις. *Rigalt.* Placet Viri Doctissimi *Rigaltii* conjectura:

Hic auritulus clamorem subito tollit.

Nevelet. Scripserim : *Hic auriculans clamorem subito tollit.* Asinus *Auriculans*, erit dictus Phædro, sicut Luna *Corniculans* Ammiano Marcellino. *Meurs.* Bis in hac scriptura peccatum est ; nam *auricula* secundam syllabam brevem habet ; dein illepide videtur dictum, *Tollit auriculas clamore summo totis viribus.* Itaque necessario revocanda est veterum librorum lectio, quæ talis olim fuit :

Clamorem subitum tollit totis viribus.

Ut

Ut lubet, inquiés; ſed quid fiet τῷ *Auriculas*? nil facilius. Nam iidem veteres libri habent non *aurſculas*, ſed *auriculas*; quod quid ſit aliud quam *auritulus*? neque enim dubium eſt quin Phædrus prægrandes aſelli aures, quaſi lepidum aliquod χαρίεν ἀθυρμάτιον, velit ὑποκορίζεσθαι. Itaque eadem forma effectum fuerit *auriculus* (id eſt auritus) qua *barbatulus*, *eruditulus*, *limatulus*, *politulus*, & ſexcenta alia apud Ciceronem, Catullum, alios. *Meurſius* quidem V. C. exiſtimavit legendum eſſe *auriculans*, quemadmodum dicitur *cornuculans*. Sed criticam non rectè advocavit lumen illud quondam Hiſtoriæ Græcæ: ejus enim conjecturam ſi admittamus, tum certum exitium verſui. *Fab.* Legitur in Schedis Sereniſſ. Chriſtianæ *auriculus*, quod ab *auritulus* abeſt proxime. Vide *Heinſium* ad *Ovid. Amor.* 2. *El.* 2. *Vers.* 15. Idem ſive inventum apud *Rigaltium*, ſive à ſe excogitatum (nam non indicat) *Faber* quoque probat, *Scheffer.*

Clamore] *Meurſius*, *Clamorem ſubito*, legit, *Faber*, *clamorem ſubitum*: Mihi placet inhærere proxime ſcripturæ veteri; ac legere *clamores ſubito*. Nil frequentius in libris MS. hoc errore, ſimilitudine literarum. Hoc ſcripſeram cum Nob. *Heinſius* per literas mihi indicat, in prædictis Reginæ ſchedis legi: *Clamorem ſubitum totis tollit viribus*. Quod probo. *Scheffer.*

Leonis adficiuntur] V. Dan. lectio: *adfliguntur horrendo impetu*. *Rigalt.* Putabam olim, *adficis impetu*, ſic dici pro *impetis*, ſicut *adficis pœna*, pro puniri, *adficis honore*, pro honorari, *adficis terrore* pro terreri. Et retinebat *Barthius*, quanquam per *vexare* explicaret. Verum ſuadet aliud codex P. Danielis & Sereniſſ. Chriſtinæ, qui poſt ad manus Voſſii pervenit, in qua *adfliguntur* legitur. Vide *Heinſ. ad amor.* 2. *Ecl.* 7. 16. *Faber* quoque licet alteram lectionem non omnino rejiciat, magis tamen hanc ſibi ait arridere. Imeomparabilis *Gronovius* in Obſervationum Optimarum *Lib.* 4. *Cap.* 8. *Apud Phædrum legebatur de beſtiis: Leonis adficiuntur horrendo impetu, cum vera lectio eſſet in M. S. adfliguntur.* Cæterum *adfligis horrendo impetu*, ſic dicitur, ut *primo impetu pelli*. Vel *opprimi*. *Adfligi* enim eſt allidi terræ, ſicut optime *Gronovius* prædicto loco monſtrat. *Scheffer.*

Qualis tibi videtur opera hæc vocis meæ?] V. Dan. *Qualis tibi vocis meæ videtur opera? Rigalt.*

Similis fuiſſem in metu] V. Dan. *ſimilis fugiſſem metu*. *Rigalt.* Metri ratio poſtulat, ut legas: *ſimilis fuviſſem in metu*. At, inquies, ad Carmentam nos & Euandrum remittis: Sed *pax ſit rebus*, ait ille; ita enim *Plautus in Pœnulo*, dixit *fuverum*,

Quo genere gnata, qui parentes fuverint.

Eſt Iambicus trimeter. Ita & Lucilius apud t. Ruſianum dixit ex emendatione Duzæ,

Vellem in Concilio veſtro, quod dicitis olim,
Calicolæ, vellem, inquam, adfuviſſemus priore.

Idque à verbo *fuo*, quod nec *Virgilius* ipſe in Æneide refugit:

Tros Rutulus ve fuat, nullo diſcrimine &c.

Format autem ex ſeſe *fuvi*, ad eundem plane modum quo dicebatur *pluo pluvi*. *Plautus* alicubi in Menæchmis:

Nam rus ut ibat, forte multum pluverat.

Ita ex *adnuo adnuvi*, apud *Ennium Merulæ* p. 10. Et quod ſcio magis mirum iri quibuſdam ex *geno* faciebant *genuvi*, apud eundem p. 3. & 9. Cæterum P. Danielis exemplar habebat, *ſimili fugiſſem metu.* Quod in prima aditione monuerat *Rigaltius.* Vir Clariſſimus. *Fab.* Quod neſcio an non præferendum ſit; nam præcedit *fugientes ipſa exciperet*, item *exitus notos petunt.* Probant ſane *Nevelletus*, & *Vrſinus. Scheffer.*

FAB. XII.

Laudatis utiliora] V. Danielis Chartula:

Sæpe eſſe utiliora quæ contempſeris.

Ejus rei teſtis hæc narratio eſt.

Rigalt. atque ita hos verſus legi in laudatis Seren : Chriſtinæ Schedis comperi à Nob. Heinſio. *Scheffer.*

Exerit] Heinſius legit, *aſſerit*, vel *diſſerit. Scheffer.*

Retentis impeditus] neſcio an rectius eſſet *Retentus impeditis.* Nam de cornibus hic potiſſimus eſt ſermo. Et impedita cernua eſſent ramis implicatis devincta, quomodo *Cic. de divin.* 1. *impediri vinculis* dixit. Poteſt tamen idem & ex recepta lectione hauriri. *Scheffer.*

Vocem hanc edidiſſe dicitur] V. Daniel; *Vocem hanc dediſſe.* Sic *Petron. Satyr. reddidiſſe voces ſuas. Rigalt.*

Ut illa mihi profuerint] V. C. *ut illa mihi quantum.* P. V. Daniel. *utilia mihi quam fuerint. Rigalt.* Neque diſſimulandum eſt in Schedis Regiis hæc ita legi *Scheffer.*

FAB. XIII.

Qui ſe laudari gaudet] V. Dan.

Qui ſe laudari gaudens verbis ſubdolis,
Sera dant pœnas turpes pœnitentiæ.

L. *Turpes. Rigalt.* Pariter & Schedæ Regiæ *gaudent* in plurali efferunt quas eaſdem eſſe cum dicto codice non male ex his cæteriſque locis ſuſpiceris. *Scheffer.*

Fere] Longe mihi rectius videtur quod in Codice Danielis reperit Rigaltius, *ſera*; nam *ſeram pœnitentiam* Dici receptum eſt non ita *turpem. Curt. Lib.* 3. *Cap.* 2. *Sera deinde pœnitentia ſubiit regem. Liv. Lib.* 29. *Celerem enim pœnitentiam, ſed ſeram & inutilem ſequi*, Et ſic paſſim alii. In ſchedis Regiis fuiſſe ajunt, *ſera pœnitentiæ*, quod non, probo. *Scheffer.*

Turpi] Pro hoc in prædicto Danielis Codice *turpeis* legitur, ut ad *pœnas* referatur. Optime niſi fallor. *Turpes* intelligit, ob turpitudinem & dedecus ex eis, quia fere qui ſic puniuntur, ſimul riſui aliorum ſunt expoſiti. *Scheffer.*

Feneſtra] *Caniſtro*, *Heinſius* maluiſſet. *Scheffer.*

Hunc vidit Vulpes] V. Dan. *Vulpes ut vidit, dehinc ſic cœpit loqui. Rigalt.*

O qui tuarum] V. Dan. *O quis tuarum corve pinnarum* &c. *Rigalt.*

Quantum decoris] V. Dan. *Quantum decerem. Rigalt.*

Has

Hac re probatur quantum] Laborare hunc versum, adnotatum quidem est asteriſco. Vide num levi mutatione legendum:

Hac re probatur ingenium quantum valet.

Nevelet.

Virtute] *Virtuti. Rittersh.* Quid ſi? *Prævalere virtute* ſit valere præ virtute, hoc eſt ante virtutem, & ſic ponatur in reſpectu ad præpoſitionem, quæ componit verbum, quomodo *incumbere arma* in *Sallustio* reperitur. Quanquam cum in Vet. Cod. abſit, *ſemper prævalet ſapientia, Nevelet us* corrigat: hac re probatur ingenium quantū valet; etiam *Heinſius* verſum ultimū ut ſpurium repudiat. *Scheffer.*

FAB. XIV.

Medicum] *Heinſius*, mallet *medica. Scheffer.*

Addidit] Cl. *Gronovius* in ſuis ad me literis: *Lego edidit, ut Fab. 12. Moriens vocem hanc edidiſſe dicitur.* Idem *Heinſius* conjecit. *Scheffer.*

Cui calceandos nemo commiſerit pedes] Recte V.C. teſte Pithæo: *Commiſit*, nam & metrum id poſtulat. *Rittersh.* Cenſeo legendum *nemo commiſſit pedes*, & eſt ἀξιαίωσις notiſſimus pro *commiſerit. Meurs.* Et ſane ita poſtulat purioris Latinitatis ratio: ita *pugnaſſit*, pro *pugnaverit*, *commoſſit*, pro *commoverit*, & alia id genus ὁμοιότητος. *Fab.* Videtur tamen & recepta lectio poſſe ſtare, iſto ſenſu, vos nunc ei committitis veſtra capita, cui nemo antehac commiſit pedes. *Scheffer.*

Quorum ſtultitia quæſtus impudentia eſt] Ordo hic eſt: quorum impudentia eſt quæſtus ſtultitiæ, id eſt qui per impudentiam ſuam quæſtum & lucrum faciunt apud homines ſtultos & imperitos. *Rittersh.* Ego non exiſtimo Latinos formulâ hac ita uti, ut cum *Cicero* ait 1. *de offic. illiberales & ſordidi quæſtus mercenariorum*, non intelligit apud mercenarios, ſed quos mercenarii faciunt apud alios. Sic ego quæſtus ſtultitiæ eſt, quem ſtultitia facit. At hoc penitus repugnat menti præcedentiū. *Scheffer.* Lubentius legerim *quorum ſtultitiæ quæſtus imprudentia eſt*, hoc ſenſu, quibus uberrimus quæſtus eſt, id eſt eis emolumento eſt aliorum fatuitas, & hæc lectio occurit in prima editione Rigaltii, quæ tamen neſcio qua ratione immutata fuit in illa meliori A°. 1630. ſed ego non poſſum non probare *I. Georgii Gravii* V. Clariſſimi conjecturam, cujus me non ita pridem participem fecit; ea eſt, *quorum ſtultitiæ quæſtus impudentia eſt*, id eſt qui ita fatui ſunt, ut quæſtus ad impudentes devolet, vel ut iis ſit quæſtus, qui gnaviter impudentes ſunt. *Fab.* Ita & ego ſcripſeram olim, cum ab Ampliſſimo Gronovio literas accipio, quæ hanc conjecturam meam firmant. Sic habent, *quorum ſtultitia quæſtus impudentia eſt*, id eſt, quorum ſimplicitas & imperitia præbet quæſtum improbis. Addit tamen vel *quæſtus*, *Liv. Lib. 4. quibus quæſtui ſint capti ſuperſtitione animi*, ſed & *quæſtus* non male, eadem in mentem veniſſe *Georgio Gravio* poſtea ex notis *Fabri* obſervavi, quanquam *Faber* ipſe lectionem aliam non rejiciat, eam nempe, quam habet prima editio *Rigaltii* in qua pro *impudentia*, legitur *imprudentia eſt.*

est, hoc, sicut loquitur ipse, sensu: *Quibus uberrimus quæstus est*, quis quæso? *Imprudentia*, *stultitia* id est, *cui emolumento est aliorum fatuitas*, & posset aliquis *imprudentiam stultitia* sic credere dictam, pro *stultorum imperitia*, verum nobis placent præcedentia. *Scheffer.*

FAB. XV.

Commutando sæpius] In V.C. additū *Civium* sæpius *Rigalt.* quod ignoro cur rejectum fuerit, sane ad eundem modum *infra Fab.* 30. *principatus gregis*, ut hic *principatus civium*, & civium in suo codice reperit quoque *Neveletus*. *Scheffer.*

Mores] Certa est correctio Viri Nob. & Amplissi. Jacobi Bongarsii *Domini nomen. Meurs.* Priores habuerunt mores: unde *Hesnsius* faciebat *sortem*: forte mores usurpavit pro conditione vivendi quam quisque eligit ex suis moribus. Verum integra librorum illorum lectio fuit ista: *Nil propter domini mores mutant.* Puto esse bonam isto sensu: nil mutant propter mores domini, cum sint iidem, & illius qui decedit, & illius qui subsequitur. *Scheffer.*

Timidus pascebat senex] Scribendum *tumidus*, id est imponenter dominans, & convenit hæc lectio morali fabulæ, quod est de principatu, & dominatione immodica. Simile mendum infra quoque est *Lib.* 5. *Fab.* 3. *Meurs.* Sed hoc est contra mentem Phædri ut opinor. Nam *timidum* vocat recte propter ea quæ sequuntur de consilio fugæ, asino dato; at *tumidus* quo pacto quadret in pastorem? sed nec de impotenter dominante usurpari solet, nec dominatur impotenter, qui asello singulas imponit clitellas. *Scheffer.*

FAB. XVI.

Fraudator homines cum avocat] V. Danielis chartula, *nomen cum locat. Rigalt. Nevel.* Quod præfero. Sed neque *in fraudator* mihi sincerum & sine fraude illic esse videtur. Non enim respondet Ovi, quod animal plane innoxium est, & omnis fraudis ignarissimum. Itaque expendendus locus. Censebam ego: *Fraudatur nomen quum locat.* Estque *fraudatur* pro *defraudatur* decipitur. *Meurs.* Edidit ex M.S. *Rigaltius. Nomen cum locat sponsu.* Nec est quicquam immutandum, malebat quidem *Meursius*, *fraudatur nomen cum locat sponsore improbo. Salmas. de Mod. usur. fraudatori nomen locans sponso improbo. Phrasius: frandator homines cum orat sponsore improbo. Ursinus fraudator nomen sponsore locat cum improbo.* Verum frustra. Optime *Gronovius* in suis ad me literis, ubi totum locum ita scribit & exponit: *Fraudator nomen quum locat sponso improbo, non rem expedire, sed malum dare expetit. Nomen locat, qui accepto mutuo vel merce alteri obligatur, qui suum tanquam debitoris nomen locat, & patitur apud alium esse in tabulis, in quas referimus, si cui mutuamus aut vendimus in diem: Sponsus est idem quod sponsor Ovid. 1. Amor. 13.*

Eodem

Eodem ſponſum conſulti ante atria miſit
Unius ut verbi grandia damna ferat.
Is talis non rem expedire, rem ſolvere, reddere mutuum, vel merces quod convenit pretium (ut expedire nomen Suet. Gram. 11.) ſed dare damnum, vel malum creditori expetit. Similia & *Heinſius* ad me ſcripſit. *Scheffer.*

Sponſore improbo] F. legendum *ſponſu improbo*, alias enim claudicabit verſus. *Rittersh.*

Mala videre] Quid? Si *mala ridere* legas, hoc ſenſu: is hujuſmodi deinde ridere tantum, ob ea malum cupit, in quæ fraude ſua homines credulos præcipitat. Legit tamen *Gruterus* Neveleto teſte: *Sed malam dare expetit. Scheffer.*

Expetit] V.C. *Expedit. Rigalt.*

FAB. XVII.

Commendaſſe] V.D. *Commodaſſe. Rigalt.* Sic & apud *Petronium* videtur peccatū à librariis, in illa de muliebri levitate lepidiſſima fabella, cum ſcripſerunt: *Simulque & lachrymas commendabat lugenti*; ajo enim verum eſſe *commodabat.* Ut præficæ lachrymas ſuas, & planctum ſuum alienis mortuis locabant mercede: ſic iſtam fideliſſimam ancillam eleganter dicit *Petronius* heræ ſuæ lachrymas *commodaſſe*, id eſt, in gratiam ejus fleviſſe una, ut ita ipſius allevaretur dolor. Nimis frigida eſt illorum lectio qui reſtituunt *lachrymas commundabat lugenti.* Quali vero tam fuerit languida, aut delicata iſta matrona Epheſina, aut adeo defeſſa flendo, ut ei, tanquam infantibus fieri ſolet, lachrymæ ancillæ miniſterio fuerint abſtergendæ: apage, has ineptias. Quid? quod & in libris Iuriſcivilis hæc verba aliquando perperam fuiſſe permutata obſervavit *Cujacius*, & *Petrus Pithœus in not. ad fragm. Modeſtini ſub tit.* 10. *libri qui inſcribitur Lex Dei. Rittersh.* Legitur etiam *commodaſſe* in poſtrema editione *Rigaltij*, quod *Faber* quoque retinuit, & *Vrſinus*. Neque aliter in *Danielis* & *Reg. Chriſtinæ* Codice legebatur. Ante fuit *commendaſſe* ex *Pithœi* Codice quod tuetur *Neveletus* loco *Iuſtini Lib.* 35. *Cap.* 2. *Duos filios apud Ouidium, hoſpitem ſuum, cum magno auri pondere commendaverat.* Sed quia hujus auctoritas nō eſt tanti & quæ ibi ab eruditis adferuntur loca, illud *commendare* ſic abſolute uſurpari non oſtendunt, potius in lectionem hanc inclino. *Scheffer.*

Contenderet] Hoc loco legendum eſt *Contenderat*, ut recte *Heinſius* admonuit. *Scheffer.*

Deberi] *Vrſinus* edidit *debere. Scheffer.*

Ovis jacentem] Scribam verba ipſa Nob. *Heinſii* ad me de hoc loco: *Ille verſus multum me olim jam torſit Quis enim ferat, inconcinnam repetitionem ovis, cum ea vox jam præceſſerit, & de Ove pergat verba facere Phædrus variū itaque conjecturis me fatigaram, quod certus eſſem ſcripturam vulgatam eſſe interpolatam. Sed bene ſit fragmento Regio, quod inter libros Pauli Petavii Lutetiæ advectum in Palatio hujus civitatis olim ſervabatur; in eo diſerte exaratum: Videns jacentem proſpexit in fovea lupum.*

lupum. Noli dubitare quin Phædrus ipse nobis reliquerit: Videns jacentem in fovea prospexit lupum. Videns pro Videns solenni librariorum errore. Videntes pro ovibus passim à Poëtis dici quis nescit. De usu hujus vocis copiose disputarunt A. Gellius, & Macrobius. Hactenus *Heinsius.* Cujus sententiam toto animo amplector. *Scheffer.*

FAB. XVIII.

Mvlier peractis mensibus] A Glossa hoc est. Rescribo; *mulier actis mensibus*, aliter versus non constat. Quidam ad oram adscripserat *peractis:* hinc Glossa in textum irrepsit, quod sæpe factum in aliis autoribus quoque viri docti observarunt. *Mens.* Estque simplex pro composito, apud nostrum, uti solet. Quanquam & *Plautus*, *actam ætatem*, sic usurpat, *in Trinum. Horatius* quoque de *Art. Poët. vers.* 173.

——— *Laudator temporis acti*
Si puero. ———

Scheffer.

Humo] Pro *humi. Rittersh.* Pithæanus codex habuit *humo.* Mallet tamen cum Nob. Dn. *Heinsio*, Optimus *Gronovius*, in laudatis sæpe literis, *humi. Scheffer.*

Natura] Forte rectior est conjectura Nob. *Heinsii*, *maturum* hic legentis. ut apud *Ovid.*

Maturumque utero mollitur aufero onus.

Scheffer.

Minime inquit illo] V. Danielis. *minime inquit, illa. Rigalt.*

Initio] In schedis regiis fuit, *initium* unde *Heinsius* colligebat *primulum. Scheffer.*

FAB. XIX.

Tvgurio] V. Dan. *tugulio. Rigalt.*

Validius] F. *valdius*: Ut bis apud *Horatium*: sic legerim & infra *Fab.* 24. & *Lib.* 3. *Fab.* 11. & 16. & *Lib.* 5. *circa fin. ubi Poëta ad Partic. Rittersh.*

Ducere] In schedis Regiis est *deducere.* Suspicatur *Heinsius* legendum: *dum firmiores posset caula educere*, vel, *dum firmiores catulos inde abduceret. Scheffer.*

FAB. XX.

Bibere] Vetus codex Danielis *ebibere. Rigalt.* Id quod probat *Nevelerus*, non absque ratione; firmantque schedæ Regiæ. *Scheffer.*

Ibi periere] *ibi*, ab est à Codice Danielis. *Rigalt.*

FAB. XXI.

Defectus annis] Nam cur defectum annis dicit senem? an quia vita ipsum deficit? Gerræ. Tu bono meo periculo scribe *defessus.* Sic apud

Apu-

Apulejum Lib. 4. de Asino, scribo: *jamque confecta bona parte itineris & vitæ spatio defessus, & sarcinæ pondere depressus, ictibusque fustium fatigatus* &c. Sed ibi in omnibus cusis, & scriptis libris est, *defectus*: quod nequam & nihili esse ajo. *Schop.* Hæc ille novus Aristarchus, sed errat, & ad Orbilium remittendus est: quid enim? quia non intelligit Schoppius, ideo mutari debet quod à Phædro dictum est? nova sane κριτικῆς ἐπίνοια. Atqui huic loco germanissimus alius est apud *Columellam*, quem videre debuerat Schoppius, Cor Zenodoti, Iecur Cratetis: exemplum illud, lector, scin' tu quod sit? *defecta senio arbos*, vides esse genuinum Germanum; nam *defectus annis*, & *defectus senio*, idem significant. Neque vero satis habuit Schoppius παραδιορθώσει Phædrum corrumpere, Aupulejum quoque, ut est magnus ardelio, inquinavit, *Lib.4. Fabellæ Milesiæ*: *Iamque contecta bona parte itineris, & viæ spatio defectus, & sarcinæ pondere depressus*, &c. Quid ad hæc Schoppius? hoc nequam est, inquit, & nihili; lege *defessus*. Sed ignoravit ille quo tandem pacto intelligendus hic Phædri locus, nec non ille alter Apuleji. Videlicet ita existimabat, *defectum annis* eum esse debere, cui anni deessent; atque adeo ad mutationem ei confugiendum fuit. Verum *defectus annis* est, qui præ annis, seu senio defectus est; *Defecta arbos senio*, quæ præ senio deficit: hoc enim significat *defectus*, ut ex *Phædro*, *Columella*, *Apulejo*, nec non *Tacito* constat. Nam cum hic postremus scripsit *Annal.4. Tum accusator Cn. Lentulum, & Sejum Tuberonem nominat, magno pudore Cæsaris, cum primores civitatis, intimi ipsius amici, Lentulus senectutis extremæ, Tubero defecto corpore, tumultus hostilis, & turbandæ Reipublicæ arcesserentur.* Cum, inquam, hæc scripsit Tacitus, quid aliud intelligebat, quam absumptas Tuberoni corpusculi vires fuisse? Et hæc quidem de Schoppii conjectura; qui cum principes bonarum artium vellicarit, & sæpe docuerit, (Sus Minervam scilicet) hic tamen tam turpiter se dedit. *Fab.* Adde etiam *Salmas. ad Tertull. de Pallio p.m.197. Scheffer.*

Infestus] V.Dan. *Infestis. Rigalt.* Atque hoc rectius. *Scheffer.*

Exteris] V. C. *Extorxit.* V. Dan. *Extudit. Rigalt. Scheffer.*

Te natura dedecus quod ferre certe cogor, bis videor mori] Rectius transponas vocem loco suo motam, legasque: *Te naturæ dedecus quod ferre cogor, certe, bis videor mori, Meurs.* Ita & *Nevel.*

FAB. XXII.

Facerem si causa mea gratum esset] Clam est emendatio *Bongarsii*: *Faceres, si causa mea gratum esset. Meurs.*

Dedissem veniam supplici] Forte scribendum *supplici*, id est, supplicii. *Rittersh.*

Iactant imprudentibus] Lege. *Iactat*, similiter erratum erat infra *Lib.3. Fab.14. debent*, pro *debet. Rittersh.* Atque ita veteres habent editiones. *Scheffer.*

FAB.

FAB. XXIII.

Peritis inritos] Sic legendum, Typographus enim hæc depravarat. *Rittersh.*

Possit] Malim *possot. Rittersh.*

Heus, inquit] Nob. *Heinsius* hunc versum ita corrigit; *Heus si, inquit, linguam vis meam præcludere.* Optime. Posset tamen illud *vis* interrogative accipe; Sic *Curt. Lib.* 4. *Cap.* 5. *Fratres agnoscent ergastuli detrimenta?* Item *tolerabimus quæ armatos fatigaverunt?* pro agnoscentne? tolerabimúsne? *Scheffer.*

FAB. XXIV.

In prato quodam] *Heinsius* mallet, *quondam*, ut supra Fab. 6. *uxorem quondam* &c. *Scheffer.*

Latior] mallem *altior*, nec enim de latitudine laborabat. *Scheffer.*

FAB. XXV.

Bibere in Nilo] Malim *è Nilo. Rittersh.* Et profecto *bibere in flumine* non puto apud Latinos reperiri. Quid tamen si propius scripturam veterem dicamus *ex Nilo* legendum? Sed posset quis fortasse retinere vulgatum, & illud *in Nilo*, referre, non ad antecedens *bibere*, sed sequens *Crocodillus*, ut sint *Crocodilli in Nilo*, qui ibi degunt, & habitant. Quod tantisper placet donec vetus Codex aliud suadeat. *Scheffer.*

A Crocodillis] V. C. *Crocodrillis. Rigalt.*

Ocyus] Referendum est ad sequens *accede*, à quo perperam commate divulsit *Rittershusius*, continetque adhortationem: quomodo apud *Plautum* in Mercatore legitur, *abi ocyus.* Malebat Phrascius, *otium est*, citra necessitatem, ut opinor. Cæterum hunc locum ita edidi, secutus veteres editiones. *Rigaltii* postrema, pro, *ocyus*, habet, *otio*, versumque sequentem penitus omittit, & in tertio pro, *inquit*, præfert, *noli*, nimis temeraria correctione. *Scheffer.*

FAB. XXVI.

Illi in patena] *Vrsinus* corrigit: *ei liquidam in patina.* Veteres habuerunt *ei liquidam in patena. Patenas* pro *patinis* dixit quoque *Columella*, sic enim legi in Cod. M. S. post *Budæum* etiam *Sylburgius* notavit *Scheffer.*

Satiatur ipsa, & torquet convivam fame] Scribo: *at torquet*, elegantius sane hoc, similiter *Accius Telepho:*

Nam si à me regnum fortuna atque opes
Eripere quivit, & virtutem nequivit.

Lego: *At virtutem nequivit.* Quem locum

locum in animo habuit *Virgil. 2. Eneid.*

——*necſi miſerum fortuna Sinonem*
Finxit, vanum etiam, mendacemque improba finget.

Schop. Quam lectionem non ſine ratione *Phraſcine* ait aſpernari aures. *Scheffer.*

FAB. XXVII.

Effodiens] Fodiens. *Scheffer.*

Violavit] V.C. violat. *Rigalt.*

Ferunt locatum] Conjectabat *Heinſius, jocatum. Scheffer.*

FAB. XXIX.

Demiſſis pedibus] *Demiſſo pede* emendavit ex vetuſto codice *Rigaltius.* Cum in Pithœano codice legeretur *dimiſſis pedibus. Nevel.* Namque hoc nihili eſt. *Scheffer.*

FAB. XXX.

Cum illi certarent] Scribit *Heinſius, cum decertarent*, id quod amplector. Sic *Lib.* 5. *Fab.* 2. *Qui depugnaverat. Scheffer.*

Ratio eſt ſeparata] Melior quidem eſt lectio, quam ex vetuſtiſſimo codice indicavit *Pithœus, eſt ratio ſeparata*, ſed tamen vel ſic claudicat verſus: cujus luxationem reſtitues, ſi *ait* removeas, ut ex Gloſſa interpoſitum; uſitatiſſimæ ſunt Phædro tales ellipſes. *Rittersh.* Putabam primum metri cauſa legi poſſe: *Eſt ratio ſeparata, ac diverſum genus.* Sed nunc in viſa conjectura tua acquieſco. *Schop.* Legendum *natio. Rigalt.* Veteres editiones habuerunt *ratio* ſine ratione. *Scheffer.*

FAB. XXXI.

Milvium] Scribe Fidenter *miluum*, non *milvium*, ita enim plane veteres: inde ἀναλογικῶς *miluina* apud *Plautum*, ἔφξις acrior. Alioqui dicendum *milviena*, ut à Lanius *laniena* &c. Tollendum itaque ex omnibus libris hoc mendum, uti & *trophæum*, pro tropœum, adi *Taub. Collect. ad Plaut. Aulul.* p. 191. *Cruquium* quoque legito ad *Horatium* *Pag.* 292. editionis Plantinianæ, & *Gifanium* in indice Lucretiano. *Fab.*

De reliquis] Lege, aut ſcande *reliquis*, ut & infra *Lib.* 4. *Fab.* 23. *Rittersh.* Mallem tunc *derelictis. Nevel.* Legebatur ante tunc *de reliquis*, ex quo *Nevelerus tunc derelictis.* Sed noſtrum retineo. *Scheffer.*

LIBER SECUNDUS.

PROLOGVS.

Exemplis continetur Æſopi genus] Non eſt plenum hoc exordium, ſed mutilatum; imo totus hic Prologus egregie luxatus. Sic redigo in ſuum ordinem:

* * * * * * *

Exemplis continetur Æſopi genus,
Re commendatur, non auctoris nomine,
Nec aliud quicquam per fabellas quæritur,
Quam corrigatur error ut mortalium,
Animique ſeſe diligens induſtrius.
Quicunque fueris ergo narrandi locus,
Equidem omni cura merem ſervabo ſenis:
Sed ſi libuerit aliquid interponere
Dictorum, ſenſum ut delectet varietas,
Dum capiat aurem, & ſervet propoſitum ſuum,
Bonas in partes, lector, accipias velim.

Qui judicium adhibebit, facile videbit iſtum horum verſuum eſſe ordinem. *Meurs.* Ego habeo pro integris. Meurſium decepiſſe vocabulum *genus* videtur, qui neſciebat quomodo cohæreret cum ſequentibus; ego cenſeo reſpicere vocem *mortalium*, quæ ex verſu tertio etiam huc trahenda eſt, Ordo talis: *Genus mortalium continetur exemplis Æſopi*, exempla vocat, quæ mox fabulas, atque ita hic *Fab.* 2. *Continetur* autem abſolute pro continetur in officio, coërcetur, docetur, ita *Cic. Tuſcul.* 4. *regere ac continere appetitiones animi* dixit. Rigaltius *Æſopi* genus jungit, & pro Æſopo ipſo accipit, ſicut *fabularum genus* noſtro uſurpatur, ſed ſi ſic accipimus, quid quæſo fiet illi *continetur*? Nec enim Æſopus continetur exemplis; neque melius ſi hic artem Æſopi fabularem interpretemur, ſicut fit ab ipſo loco alio, interpretatione noſtra nihil puto eſſe evidentius. Iſtæc ſic conſcripſeram cum deinde ad me adferuntur *Cl. Gronovii* litteræ, quæ me prorſus in ſententia mea firmant: exſtribam totum locum, nam meretur, ut legatur publice; *Æſopi genus alii Æſopum, alii fabulas ejus interpretantur; ego vero τὸ genus accipio poſitum pro hominibus, ut Manilio Lib.* 1. *Verſ.* 145. *ſemper erit genus in pugna, & Senec. Hippol. Verſ.* 468. *qua ſupplet, at reſtituit exhauſtum genus. Tum in Herc. Oet. Verſ.* 63. 761. 1884. *Dicit igitur homines contineri ac doceri exemplis, ſeu fabulis Æſopi. Nam ne τὸ contineri quidem juvatur quicquam illis, quæ congeſſit Barthius ad Rutilium Lib.* 8. *Verſ.* 57. *Verbum eſt proprium magiſtrorum; Cic. Lib.* 7. *Fam.* 19. *Ut vero ipſi ſibi loci propoſita quæſtione occurrant, exercitatione conſequere, in qua quidem noſte continebus, ſi & ſalvi erimus, & ſalva iſta offenderimus. Gellius* 19. 1. *Quem ego Athenis cognovi non parva virum auctoritate, ſatisque attente diſci-*

discipulos, juvenes continentem. Hinc vides etiam, quo respexerit Petronius, quum scribit: nondum juvenes declamationibus continebantur, in quo etiam hæsere. Hæc optimus Gronovius eruditissime ut solet, nec relinquitur dubitationi locus: etiamsi Faber quoque posteriorem Rigaltii opinionem amplectatur, sicut didici ex notis ejus. *Scheffer.*

Narrandi locus] Assentior Rittershusio, scribenti *jocus*; nam cum eo locus non convenit, quod sequitur: *Re commendatur, non auctoris nomine.* Quid enim esset *auctor loci?* Ergo hoc vult: qualiscunque fuerit jocus, qualiscunque fabula, à quocunque ficta, commendatur ea bonitate rei, ac salubritate præceptorum, pertinentium ad vitam moresque, non celebritate auctoris. *Scheffer.*

Cujus verbosa ne sit commendatio] Pro *commendatio*, procul dubio reponendum, *commentatio*, *cujus verbosa commentatio nescit*, nimirum rependere gratiam, hoc enim ἀπὸ κοινοῦ repetendum. *Rittersh.* Scribo: *Cui verbosa*, deinde in fine versus, *commentatio*, ex sententia V. Cl. Conradi Rittershusii, qua nihil rectius. *Meurs.* Scio Rittershusium legi velle *commentatio*; sed ideo factum est, quod vitiosum codicem nactus fuerat, in quo legerat *nescit*, pro, *ne sit. Fab.*

FAB. I.

ET quæ debetur pars tuæ modestiæ] Scribo: *En quæ debetur pars tuæ modestiæ. Meurs.* Posset forsan non incommode scribi: *At quæ debetur*, isto sensu: Non est quidquam quod timeas, sed potius hic ex præda pars est aliqua, quæ debetur modestiæ tuæ, eam tolle. *Scheffer.*

FAB. II.

UTcunque] Suspicabar Phædrum scripsisse *utrinque* id est, utroque casu. *Rittersh.* Scio esse qui legant *utrinque*, & in his Rittershusium, sed nihil necesse est. *Fab.* Mallet Rittershusius utrinque, frustra, nam *utcunque* hic est quovis modo, prout potest fieri, *Terent. Andr. Act. 4. Sc. 3.*

Tuus subservias orationi, utcunque opus sit verbis, vide.

Fabro etiam displicuisse Rittershusii conjecturam, nunc ex Notis ejus disco. *Scheffer.*

Ætatis mediæ] Et hæc hiulca sunt, excideritque versus aliquis, quod facile apparebit recte attendenti, atque ita censueram, cum ecce ad Pithæanam, Rittershusianamque editiones recurrens, video idem illis visum, & deferus notas asteriscos positos. Itaque nequeo satis mirare cur ab illis discesserit eruditissimus Rigaltius. Nam mutilum esse locum tam certum est, quam Solem lucere mero meridie. *Meurs.*

Quædam] Legendum cuidam, nihilque deesse puto: *Babrius: μιξέτριχι Rigalt.* Sic emendavit hunc locum doctissimus Rigaltius, cum alias legeretur *quædam*, essetque nota lacunæ grandioris. *Nevelet.* Veteres *quædam*, ex quo *Phrascius: lectionem veram invenisse videor, quæ talis est: Ætatis mediæ quendam mulier non*

rudis tenebat, annos celans elegantia: ingeniosissime, verum quia id *cuidam* quod habent libri optimi non convenit, haud amplector. *Scheffer.*

Animosque ejusdem] Ante hunc versum excidisse aliquid putat *Meursius*, idque ait esse tam certum, quam Solem lucere. Etiam *Faber* in hac sententia videtur. Ego nihil istiusmodi intelligo. Loci totius ille sensus est: cuidam ætatis mediæ mulier erat non rudis, quæ obtegebat, & celabat canos suos (fuit namque anus, ut mox auctor ipse docet) elegantia, & apparatu vario. Illius ipsius mediæ ætatis hominis animos ceperat alia quoque adhuc juvencula. Omnia mea opinione sunt clarissima: *animos* posuit, pro *animum*, nisi plane scripserit *animum*, quod tamen eo minus suspicari necesse fuerit, quoniam & *Cicero* hoc modo, etsi sensu alio, *in Or. pro L. Manil. Quæsitas est in Asia, quæ unius Tribuni militum animos ac spiritum capere posset.* Scheffer.

Pingi] Malim *fingi*, quod & *Plautus* de ornatu usurpat, sed profecto nihil interest, *Pannio* loquitur meretrix:

Ex industria amba nunquam concessavimus
Lavari, aut fricari, aut tergeri, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi.——

Stichus Sc. *antepenult. Morem vobis geram:*

Bene eum lauta est, tersa, ornata, picta, infecta est tamen.

Schop. Hoc non displicet, licet *Rittershusius*, & post eum *Faber* alterum retineant, & exponant *ornari*. Vide eundem *Heinsium ad Ovid. Am. Lib. 1. El. 14. Vers. 2.* Scheffer.

FAB. III.

VEhementis] Malim *vehementi*. *Rittersh.* Scribit *Rittershusius*, *vehemente*, refertque ad morsum, frustra. Scheffer.

Immisit] *Gronovius*, in literis suis; puto scripsisse *auctorem misit*, ut *supra Fab. 23. Nocturnus cum fur panem misisset cani.* Et *Lib. 3. Fab. 2. Quidam contra miserati, misere panem.* Scheffer.

Nacta] *Nancta. Rigalt.*

Fortuitum] Ad metrum quod attinet, adi *Horatii* interpretes

Nec fortuitum spernere cespitem
Leges sinebant.——

Sed mihi vehementer arridet conjectura, nescio an itidem tibi, lector; existimo enim scripsisse *Phædrum*, *fortunatum contubernium*, quam vere, equidem nescio, neque quicquam affirmare ausim, sed ad rem, de qua agitur, aptissime. *Fab.*

Quod videscotidie] Malo, opinor, exemplo, alteram syllabam in *cotidie* produxit, & hic, & inferius. *Schop.*

Scheppius ecce iterum namque est mihi sæpe vocandus
Ad partes.——

Ut enim semper homo confidentissimus est, hoc quoque loco carpere voluit, quod minus intelligebat. Sic enim scribit, malo, opinor, exemplo, alteram syllabam in *quotidie* produxit Phædrus, & hic, & inferius. Sed ita me amet Deus, ut ὅλως κολοκύνθας λαμβάνει *Scheppius*, quam nonnulli in re Grammatica ἐξυδιχίσεως putarunt; & tamen nescio an quisquam existimaturus

rus ſit, poſſe hujuſmodi errores tolerari quid enim? neſciſſe hæc Grammaticorum Agamemnona? in refellendo autem homine, exemplis parcam tribus contentus, ſed ita ἀναφριβόλους, ut nullus effugii locus ſit futurus, quoquo ſe vertat. Hoc primum fateor, ſecundam ſyllabam in hac voce brevem quandoque eſſe, quod & pueri ſciunt; ſed quin longa quoque ſit, nemo ut opinor dubitabit, niſi vel imperitus, vel in legendo negligens, quam opinionem longe à ſe amotam cupit *Schoppius*, ſic igitur *Terentius*:

Verum eas videbis tantos ſibi ſumpſiſſe domi,
Quotidianas fieri, nec fieri modum.

Quid autem *P. Syrus*?

Quotidie damnatur, qui ſemper timet.

Quid iſtud alterum ex eodem?

Quotidie eſt deterior poſterior dies.

Hæc obſervare decuerat *Schoppium*, non autem ea reprehendere quæ ignoraret. *Fab.*

Terrore effuſo] F. *Offuſo*, ut dicimus nebulas, vel caliginem, vel tenebras offundere. *Rittersh.* Ita correxeram, cum video id jam olim ante me feciſſe optimum, humaniſſimumque virum *Cunradum Rittershuſium*, & profectò quod diſſentit *Schoppius*, vir eruditus, ac tranſlationes à quadrigis inculcat, vereor ut hoc probare cuiquam poſſit. *Meurs.* Quorum ſententiam ſuo ſuffragio firmat *Gronovius*, *Lib.* 4. *Obſerv. Cap.* 21. Verba enim hæc non ſolem reſpiciunt, ſed aquilam, ut ſit ſenſus: poſtquam ita ſoles aquilæ offundiſſet terrorem, & perturbaſſet ſenſus. *Offundere terrorem* elegantiſſime dicuntur, qui ex improviſo terrorem ingentem afferunt. *Liv. Lib.* 28. *Offuſus terror oculis, auribuſque. Scheffer.*

Direpti] Procul dubio verum eſt, quod *Chriſtoph. Colerus* admonuit, *derepti*, Derepere eſt deorſum repere; ſic *degredi*, pro deſcendere, eſt apud *Salluſt. Liv. Tacit.* Atque *Auſon. Veſtorin. de Orthographia*: *degredi*, *de ſuperiore loco deſcendere*, ſic *deripere*, eſt deorſum rapere, vel trahere, apud Plautum, Tibullum, alioſque, ut docet *Gyphan. in Lucret. Rittersh.* Nihil eſt mutandum, & ignoſcent mihi doctiſſimi *Coleri* manes, ſi ſententiam ejus defero. *Meurs.*

Periculo] Lege, *periclo. Rittersh.*

Toto] Legendum, *Tuto*, ſicut ſupra, *Lib.* 1. *Fab.* 28. In prioribus legebatur toto, unde *N. Heinſius* putabat, *noto*, ut *Lib.* 1. *Fab.* 9. *Nota pernicitas Fab.* 11. *Exitus notos. Lib.* 2. *Fab.* 5. *Nota flexus. Lib.* 5. *Fab.* 7. *Notum canticum &c. Vrſinus* porro, verba hic tranſponit, legitque: *toto ſeſe condidit cavo. Scheffer.*

FAB. V.

Cæſar ad Atrienſem] V. C. *Item Cæſar.* Forte præceſſerat aliquid de Cæſare. *Rigalt.*

Ardelionum] V. C. *Ardulionum*, *Rigalt.*

Miſenenſem] V. C. *Miſnienſe. Rigalt.*

Luculli] V. C. *Lucili. Rigalt.*

Proſpicit] *Gronovius* in literis ſuis: Lego reſpicit, vult frontem ejus in fretum, tergum in Etruſcum mare verſum fuiſſe.

Idem placuit Nob. *Heinsio. Scheffer.*

Læta] Istuc *læta* extra metrum est, itaque expungendem; idque neminem monuisse miror. *Fab.*

Viridaria] *Faber*, & *Rigaltius* legunt *viridiaria*, sed *viridiarium* pro *viridario* non memini me legere, itaque nec probo quod vult *Faber* ejici τὸ *læta* oportere contra assentior *N. Heinsio*, qui scribit, *viridia*, hoc loco. sic enim ut me idem docuit, & *Plinius* locutus est *Lib.* 5. *Epist.* 7. Non semel *Vitruv. Lib.* 6. *Cap* 6. *Collocantur spectantes ad septentrionem, & maxime viridia prospicientes*, & mox, *uti viridia de lectis prospiciantur.* Atque ita etiam *Vrsinus* Ratisbonæ edidit. *Scheffer.*

Officium come] Olim *comæ* legebatur, ad quod *Phrascius simili elegantia legem dare capillis dicitur. Officium autem legi sæpe respondet.* Et *Vrsinus* in indice, *est abstractum pro concreto, ut sæpe apud Phædrum Coma officiosa joco dicitur.* Omnia huc nihil faciunt, sermo est de conspersione non de coma. *Scheffer.*

Præcurrit illum in Xistum] V. C. *præcurrit alium in Xistum Rigalt.*

Ut putavit esse nescio quid boni] Ita V. C. turbatum autem hunc versum puto sic restituendum:

Agnoscit hominem Cæsar, remque intelligit,
Heus, inquit, dominus, ille enimvero adsilit,
Et putavit esse nescio quid boni
Donationis alacer certa gaudio
&c.

Rigalt. Cujus editio postrema & hunc, & tertium, & quintum subsequentem versum omisit, exemplo parum laudabili, ut opinor. *Scheffer.*

Nescio quid] Pro *esse nescio quid*, scribendum, *nescio esse* quid numeri causa. *Scheffer.*

Non multum] Omiserunt hunc versum *Rigaltius*, & *Faber*, sed permittere sequentia non videntur. Pro *periit*, perit scribendum. Est autem *nequicquam periit*, idem ac impensa est, & adhibita frustra. *Scheffer.*

Nequicquam] Scribendum una voce *nequiquam*, quam veram esse Orthographiam, in Lucretiano indice indicavit Giphanius, nec ego aliter in libris antiquissimus reperi. *Schop.*

Mecum] *Phrascius*; *mecum, id est, apud me*, infra bis *Lib.* 4. *Fab.* 21. *Mecum mea sunt cuncta. Terent. Adelph. Act.* 3. *Sc.* 2. *Vers.* 49. *Testis mecum est annulus. Virgil.* 4. *Æneid. mecum erit iste labor.* Sed vellem ostendisset, sicut *hoc est mecum*, ita & hoc venit mecum apud Latinos usurpari, quid si pro *mecum mea* scribamus? verum longe rectiorem judico suspicionem *N. Heinsii*, legentis *mi cum. Mi*, pro *mihi*, habet ipse noster *Lib.* 3. *Fab.* 19. *Venire* Cum tertio casu usurpavit *Cato de Re Rust. Cap.* 144. *aut cui olea venierit. Scheffer.*

FAB. VI.

Si vero accessit consiliator maleficus] Hiat hic locus, & est ut excidisse versum censeam unum post hunc, nam qui sequitur, cujus initium: *Vis & nequitia*: ut sic dicam αὐτεκέφαλος est, & per se subsistit elegantissime,

me, eſtque perfecta γνώμη. Dixerat *Phædrus* : adverſus potentes nemo ſatis munitus eſt. Jam ſi acceſſerit malus conſiliarius, omnino de hominibus actum eſt ; quippe in quemcunque vis & nequitia ſimul impetum faciunt, eum evertunt. Videſ itaque defectum.

Meurs. Putat *Meurſius* hiare locum, fruſtra. *Scheffer.*

Vis & nequitia quicquid oppugnant ruit] Fruſtra mutationem tentat Schoppius. *Meurs.*

Verbu] Optime *Gronovius verb Diat. Stat. Cap.* 13. *Scheffer.*

FAB. VII.

Clarumque collo jactans tintinnabulum] Nimis profecto negligenter fuerunt in deſcribendo *Phædro* librarii : & ecce iterum hic defectus, quem facile animadvertit, qui aliquid naris habet. In ſequentibus quoque male tranſpoſiti verſus ſunt, quos ego priſtino ordini reſtituo :

Subito latrones ex inſidiis advolant,
Diripiunt nummos ; negligunt vile hordeum.
Interque eadem ferro mulum tonſitant,
Spoliatus igitur &c.

Meurs. Quod autem *Meurſius* cenſet hic aliquid deeſſe, id quale ſit, ego quidem haud intelligo. *Scheffer.*

Ferro mulum tonſitant] V.C. *trucidant*, an *truſitant*. *Regal.* Legendum, *multum tunſitant*, ut ſit à *tundendo*, non vero *tondendo*, ſed non diſſimulanda lectio veteris Codicis, ubi pro *tonſitant* eſt *trucidant*, ergo ſcripſerit *Phædrus tuditant* : Nota hæc vox ex *Feſto* eſt *Meurs.* Scribe *truſitant*, quam emendationem *Rigaltio* debemus ; antea enim contra legem carminis legebatur *trucidant*, in quibuſdam editionibus legebatur tonſitant. *Meurſius* autem legerat, & *tuditant*, ſed metri ratio repugnat, ut & *Lucilii* exemplo ſuperius allato ad *Lib.* 1. conſtat, cui addas hoc *Lucretianum* licet :

Nec tuditanti à rem ceſſant &c.

Fab. Legit *Meurſius*, *multum tunſitant*, ſed ſequitur, *nec ſum læſus vulnere*, in reſpectu ſcilicet ad alterum mulum, ut omnino *mulo* vox hic retineri debeat. *Tonſitant*, quod habent, eſt ex veteri editione, neque ſcio ſatis an nō huic præferri debeat : oſtendunt ſane verba muli alterius, hunc fuiſſe vulneratum, at *truſitant*, hoc non dicit. Contra *tonſitare*, eſt vulnerare, licet in extrema cute, docuit ex *Plauto Schoppius. Scheffer.*

Interque eadem] Neque iſta mihi ſatisfaciunt, quid enim ? tantum direptio hic fit, nulla cædes : corrigendum cenſeo : *Interque prædam. Meurs.*

FAB. VIII.

Spatium diei nactus] Addit *Rimicius* :

Hæc cum dixiſſet obſcuro ſe condidit loco.

Adeo ut verſus deeſſe hic *Phædro* videatur. *Nevelet.*

Quietu] *Rimicius* gaudens legit, pro *quietu*. *Scheffer.*

Quantum] *N. Heinſius* legit *quanti*. *Scheffer.*

AUCTOR.

QUoniam occuparat alter] Senſus huic lectioni prorſus nullus ineſt, ſi ullus mihi, quare ſic eam reſtituendam cenſeo, ut pro *foret*, legamus, *forem*, pro, *nec*, *ne*, pro *ſtudii*, ſtudui. Ita Phædrus hoc dicet; quoniam alter (Æſopus ſcilicet) occuparat, (id eſt, prævenit, antevertit me: hoc enim eſt occupare, Græce φθάνειν ut *Plaut. Rud. occupat præloqui:* Et *Pſeudol. occupes prior audire*) ne ego primus forem (fabularum ſcilicet ſcriptor) ſtudui quod ſuperfuit, hoc eſt, in id incubui, id operam dedi, quod mihi relictum eſt, & quod proximum erat; ne ipſe ſolus eſſem fabulator. Lacunam quæ hic præcedit, tale quidpiam habuiſſe ſuſpicor:

A dejus exemplum ipſe ſcribo fabulas.

Simile eſt illud neſcio cujus elogium: *Cicero effecit ne Demoſthenes eſſet ſolus orator: Demoſthenes, ne Cicero Primus foret. Rittersh.* Scribendum putabam:

Quod jam occuparat alter, ne primus forem:
Ne ſolus eſſet ſtudii quod ſuperfuit.

Ut inde ſenſus iſte: Quod jam ab Æſopo qui fabulas item conſcripſit, occupatum eſt, fecit ne primus forem: quod vero ejus ſtudii ſuperfuit, mihique veluti relictum eſt, fecit ne ſolus eſſet. *Rigalt.* Reſtituo duos hos verſus hoc modo:

Quoniam occuparat alter, ne primus forem:
Ne ſolus eſſet ſtudui quod ſuperfuit.

Sic equidem conjeceram, cum video idem *Rittershuſio* in mentem quoque veniſſe: gaudeo in concurſu talis viri. *Meurs.* Lectionem *Rigaltii* probat. *Nevelet.*

Si livor] Malim: *Sin livor. Meurs.* Puto *ſin* ſcribendum, ut mox, *ſin autem ab illis.* &c. *Scheffer.*

Si noſtrum ſtudium] Præter propter hunc locum aliqua deeſſe, aut corrupta videntur. *Rigalt.*

Sin autem ab illis doctus &c.] Legebam: *Sin autem ab illis* &c. vel *a ſellis* non ſequitur deinceps: *Siniſtra quos in lucem natura extulit.* Supra *Lib.* 1. *Fab.* 21. aſellum vocaverat; *natura dedecus. Rigalt.* Tò ab ſupereſſe videtur, ſenſus certe id reſpuit. Lege *ſin autem illu*, ut τὸ *m.* non elidatur, vel *ſin autem & illis. Rittersh.* Senſus totius loci hic eſt, ſi ſenſum habeo: ſi tibi, lector, meæ fabulæ iſtæ complacuerint, & tu te ex iis correxeris: ſat ero felix. Sin autem doctus ille labor meus hominibus ſcævis, & invidis occurrerit, id eſt, adverſus fuerit, æquo animo ſortis meæ iniquitatem patiar. Et ita tu quoque niſi fallor, hæc accepiſti, nec temere mones, particulam, *ab*, ſententiæ adverſari quam ego tamen (ſi quid nimis incerti auſim proponere) non ideo inducendam puto: maliuque levi mutatione in *ac* mutare & ſic porro interpungere:

Sin autem ac illis doctus occurrit labor.

Noſti ſatis, de quo ego alibi pluribus, elegantem, & conciſam illam loquendi rationem, quaſi dicat, ſin autem non admiſeris hæc in aures animumque tuum, & ſi illis, qui irato genio

nati

nati sunt, hic labor meus occurrerit, patiar, & feram, cæterum ut mecum scias, nec nimis, quod illi solent, æstuavi in conjectura hac, nec mihi valde de ea placeo, ne quis me censeat. Certe *occurrere*, pro, *adversari* & *Propertius* meus dixit. *Schop.*

Fatale exitium] Malum, quod auctorum habet fatum, non culpam nostrum. Ita verba hæc acceperam, cum me Cl. *Gronovius* monet per literas videri *vitium*, non *exitium* legendum, & exponit tale; *Quod non magis effugere licet, quam fata, ut Tacitus: vitium parvis magnisque civitatibus commune, ignorantiam rectis, & invidiam. Scheffer.*

LIBER TERTIUS.

PROLOGUS

AD EUTYCHUM.

INquis] V. C. inquit. *Rigalt.*

Officii mei] Mallet *Heinsius*, *officiis meis*, id quod nec *Gronovio* displicere ex ipsius literis intelligo. Quid? si *officiis* scribatur? & forte ita fuit ab initio, quod dein à sciolis sic est mutatum uti vulgo legitur. *Faber ad Lib.* 1. *Fab.* 29. Disquirit, quid *officium* significet hoc loco, ac concludit: *Debet explicari de officiosa divitum, magistratum & principum salutatione, licet à viris doctis aliter intellectum.* Ego non existimo, nec enim hic Eutychus is fuisse videtur, cujus unicum officium salutare. Arguit quod sequitur, *ut adsuetam* FORTIUS PRÆSTES *vicem.* Item quod est in fine *Lib.* 4. ubi sine dubio ad hunc verba facit: *Parco; ne tibi videar molestior, destringit quem multarum rerum varietas.* Itaque *officium* de *munere publico* accipio, quod sustinebat, forsitan in aula Principali. Ac nescio an non *Fabrum* in diversum traxerit locus minus diligenter inspectus. Citat sane ibi ubi dixi, non *officii mei*, quod habent omnes libri, etiam ipsius, verum, *cui. Momentum ut horæ pereat officii tui. Scheffer.*

Perstes] *Pithœus* ex V. C. aliam annotavit lectionem *præstes. Rittersh.*

In hanc vitam incubuerim] F. scripserat *Phædrus*, incubuerim, solebant enim veteres V aliquando geminare metri causa. Exempla apud *Plautum*, & alios, occurrunt, sic infra *Fab.* 18. legerim *tribuerit. Rittersh.* In voce *vitam*, τὸ M non exteritur, vel certe eo erit confugiendum, quo suadet *Rittershusius*, nimirum ut scribatur *incubuerim* ἀφαιρέσει, lege quæ supra annotata sunt. *Fab.*

Laude invita] Non dissimulabo eruditissimo *Gronovio* videri hic legendum, *& laude nuda*, id est, ob solam laudem, non ob aliud præmium. *Scheffer.*

Docto labori] Qui deinceps sequuntur versus hoc ordine restituendi videntur:

Nunc fabularum cur sit inventum genus

Brevi docebo. Servitus obnoxia,
Quia quæ volebat, non audebat dicere,
Affectus proprios in fabellas transtulit
Columniamque fictis elusit jocis.
* * * * * *
Ego illius porro semita feci viam,
Et cogitavi plura quam reliquerat,
In calamitatem deligens quædam meam.
Quod si accusator alius Sejano foret,
Si testis alius, judex alius denique
Dignum fateretur esse me tantis malis,
Nec his dolorem delinirem remediis.
Sed jam quodcunque fuerit (ut dicit Sinon
Ad regem cum Dardanie perductus foret)
Librum exarabo tertium Æsopi stylo,
Honori, & meritis dicans illum tuis:
Quem si leges, lætabor: sin autem minus.
Habebunt certe quo se oblectent posteri
Suspicione si quis errabit sua.

&c. *Rigalt.*

Ego illius porro semita feci viam] Laborat versus, nam *semita* primam producit, quare malim *ego porro illius semita feci viam. Schop.* Non possum impetrare à me, quin existimem hic lacunam esse, & versus aliquot excidisse, quos nobis blattæ inviderunt. *Fab.* Sed in eo mihi suam sententiam non probat. *Scheffer.*

Cogitavi] Nollet pro *& cogitavi* una voce *excogitavi* omissa conjunctione, uti solet scripsisse videtur, *Scheffer.*

Index alius denique] Rem judicii non fecit, qui mutare ausus est. *Rigalt.* Scribit *Schoppius index*, & exponit *delatorem.* At præcesserat de *accusatore*, qui à delatore nihil hoc in loco quidem differt. Dein repugnat ordo verborum. Præcedit *accusator*, sequitur *testis*, non potest post hunc index poni, & ubi remanebit *judex*? igitur nihil muto. *Scheffer.*

Forsan aliquis gravem] Metrum suadet, ut legamus *Fors aliquis gravem. Schop.* Vel pueri videant errorem esse in versu; legendum autem fors adverbialiter, quod apud *Plautum* &. Alios bonos auctores reperias. Sed nostra ante nos dixit *Schoppius*, ut quod jam monebo, nec ille, neque adeo quisquam alius vidit, emendandum esse *Ovidium*, *Eleg.* 8. *Lib.* 2. *Amor.*

At quanto si forte refert præsentior ipse

Legendum: *at quanto si fors refert*, &c. Nam istud *refert*, cum pro *interest*, sumitur, priorem habet longam: itaque ne aliquis *Schoppium Ovidium* quoque reprehendat, admittatur emendatio. *Fab.* Verum melius si retento *forte*, cum *N. Heinsio* legamur *quis*, pro aliquis. *Scheffer.*

Numeret auctores suos] Malim: *auctores Deos*, Nempe Apollinem, & Musam, id est, Calliopen, quæ Mater Orphei fuisse perhibetur *Rittershus.* Sed hoc primum falsum de Apolline, & Musa, deinde nec hinc sequitur, si auctores essent, ergo

Phædrum

Phædrum decus patriæ non debere deserere. Locum ergo obscurissimum sic expono: Linus, & Orpheus primi literis excoluerunt Græciam, itaque *auctores* eos vocat, & auctores *Græciæ*, quatenus est *literata*. Eo enim τὸ *auctores* referendum videtur. Porro hos auctores dicit noster Thraces *numerare suos*, hoc est, dicere non esse Græcos, verum Thracicæ gentis homines. *Numerare auctores suos* sic dictum est, sicut *aliquem accusatorem suum numerare*, apud *Cic. in Orat. pro Muren.* Jam cum Thraces fuerint illi, qui Græciam instruxere literis vult dicere, cur ego non studeo servare hoc decus meæ patriæ, cum præsertim Apollo, & Musa, Dii artium, in Thracia mea habitent, ibique eos auctores literatæ Græciæ progenuerunt. *Scheffer.*

FAB. I.

A*Vida.*] V. C. *Avita. Rigalt.*

Qualem te dicam bonam] Miror non fuisse purgatum hunc locum, à tot doctissimis viris qui ante hac Phædrum ediderunt. lego,

——— *Qualem te dicam, bona?*

Solenne enim Latinis scriptoribus in hujusmodi προσφωνήσει, *ô bone, ô bona, Plauto, Horatio, Persio*, Ita Græci sæpe ὦ γαθέ, ὦ λῶτα, ὦ ἄριστε. Deinde quis non videat meram inesse barbariem in his vocibus, Qualem bonam te dicam fuisse? scio virum doctissimum, & mihi amicissimum legisse, *quantum*; sed uti spero, emendationem nostram non improbabit, nec si qui alii Latine sciunt. *Fab.* Notat *Rittershusius*, debuisse scribere, *quam bonam*, sed sic maluisse, ut servaret decus temulentæ mulierculæ, verum ista Rittershusii interpretatio eo minus valet, quia anum illam ebriam fuisse non apparet, cum sit sermo de amphora epota. Ergo *Faber* scribit, *qualem te dicam, bona?* illudque *bona* dictum censet veluti per exclamationem, qualis *Plauto* frequens, *ô bone, ô bona!* Verum posset dicere nonnemo otiosam prorsus esse istam exclamationem, quandoquidem præcessit, *ô suavis anima!* Igitur & *Phrascius* conjecerat, *quam tete dicam bonam*, quanquam fors hoc nimis abeat à veteri scriptura, nec illud *tete* cur hic poni debeat sit manifestum. Quid si dicamus male conjungi, quæ sunt distinguenda, neque cohærere *qualem bonam*, verum *bonam* poni simpliciter, & respicere præcedens *te*, isto sensu, qualem te, quæ tam bona es, dicam fuisse antehac. Sane sic consuevit quoque aliis in locis, ut initio *Lib.* 1. *Æsopus auctor repperit materiam*, & infra *Fab.* 10. *Causa libertus mali.* Ut *Æsopus auctor*, & *causa libertus*, ita plane *te bonam* positum videri potest. Atque hanc nunc video demum etiam *Vrsini* fuisse sententiam. Nam verba hæc sit ait construenda, *qualem te bonam dicam antehac fuisse* ac Germanice vertenda o du gute flasche / wie gut bist du wohl gewast. Quanquam erret in eo, quod sermonem esse putat ad amphoram. Non enim illud *bonam* ad *amphorã*, sed *animam* est referendum. Plane si quid est mutandũ, placet vehementer quod censere doctissimũ *Gudiũ* scribit Ampliss. *Bigotius*, videlicet;

licet: *quale in te dicam bonum antehac fuisse; In te* intelligendum fuerit non de amphora, sed anima. *Bonum*, non de rei cujuscunque, verum bono suavitatis, ut sit sensus: O suavis anima, quale bonum suavitatis, qualem, quantamque suavitatem dicam fuisse in te, continuisse, comprehendisse te ante hac &c. *Scheffer.*

FAB. II.

PRo vitarogant] V.C. *prompta rogant. Rigalt.*
Petierint] V.C. *petierat. Rigalt.*

Et illa] Malim, *at illa*, cum *N. Heinsio. Scheffer.*
Laserant] F. *laserunt. Rittersh.*

FAB. III.

VUlgo esse fertur] V.C. *vulgo causa fertur, sed non dicitur. Rigalt.*

Ibi stans] F. *ibi astans. Rittersh.*

FAB. IV.

INter reliquas merces] Hoc loco *reliquas*, quatuor syllabarum est, meliusque scribas *rellicuas*, ut apud *Lucretium:*

Nunquam rellicuo reparari tempore posse.
Et alibi quoque si vaceret exscribere. *Fab.*

FAB. V.

AD perniciem multos] V. C. *ad perniciem sæpe multos devocat. Rigalt.*

Comprehensus] Mallem *comprensus. Scheffer.*

FAB. VI.

NOn vi] Suspicatur Nobiliss. Amplissimusque *D. Heinsius*, *non quis*, commode. *Scheffer.*
Dolone collum] V.C. *dolose collum Rigalt.*
Et lora] Mallet *Phrascius*, *ora*, pro *lora*, id quod vehementer placet. Sic enim *Ovidius coërcere ora freni*, usurpavit. *Scheffer.*
Ubi stricandum] Sic recte veteres editiones habuerunt, quod varias interpretationes peperit. *Scheffer.*

FAB. VII.

INquis, ille] Mallem ego hæc divisim legere, & *ille*, referre ad canem. *Scheffer.*

A furibus tueatis & noctu domum] Quam hoc satis ineptum, domum tueri à nocte innoxiâ. Corrigendum

gendum ajo: *Et vecti domum*. Tueaeris, inquit, domum à furibus, & vecticulariis, in ſchedis *Feſti: Vecticularia vita dicitur eorum, qui vectibus parietes alienos perfodiunt furandi gratia*. Nemo igitur dubitabit hanc eſſe genuinam hujus loci lectionem. *Mentz*. Hæc tamen mihi nauci non ſunt. Primo quia domum tueri à furibus, & vecticulariis idem ſit ac ſi dicerem tueri à furibus, & furibus, (nam vecticularii furum ſpecies ſunt) deinde quia nihil quicquam mutare neceſſe fuit, ſed attendere tantum τὸ ἰξῆς: eſt autem tale, *ut ſis cuſtos limini, & domum noctu*, (id eſt per noctem) *à furibus tuearis*. Videlicet verum illud eſt quod dicitur, *nemini omnibus horis ſapere*. Cujus rei memorem lectorum noſtrorum benignitatem volumus, ſi quid tale nobis evenerit. *Fab*.

Age ſi quo eſt abire] Error in metro, reſtitue:

Age, ſi quo abire eſt animus. *Fab*.

Eſt licentia] Pro, *num eſt*, vel, *eſtne*; licitum tibi eſt. Notat alias hic Faber errorem in metro, ſic reſtituendum: *Age ſi quo abire eſt animus* &c. Mallet *N. Heinſius*, *ſi quo abire fert animus*. Quod melius, ne bisidem verbum repetatur. Porro hæc ſunt verba lupi ad canem, quibus canis reſpondet mox: *Non plane eſt*: perperam *Urſinus* hæc invertit. *Scheffer*.

FAB. VIII.

PRaecepto monitus] Mallem *praecepto hoc*. Scripſerat *Phædrus* opinor, *praecepte*, ut apud *Terent. Adelph. Act. 2. Sc. 2. Nimium iſtoc abiſti*. *Scheffer*.

His ſpeculum in Cathedra matris ſuppoſitum fuit.

Pueriliter ludentes forte inſpexerant] Prior verſus gemino mendo inquinatus eſt; unde adeo factum, ut tota oratio ſuſpenſa ſit, & hiulca. Nam quid quæſo, eſt, *puerii ſuppoſitum erat ſpeculum*? Niſi pueros inſediſſe ſpeculo, aut eorum pedibus ſubjectum fuiſſe? Papæ! rem mirificam. Deinde quid ſibi vult, *ſpeculum ſuppoſitum erat in Cathedra*? Niſi poſitum fuiſſe ſub Cathedra, quod contra rei narrationē eſt, nam in Cathedra erat. Deinde contra Latinitatis rationem; neque enim dicere poſſis, ſuppoſitum, in arca; pro poſitum in arca. Sed non morabor amplius lectorem; corrigo, & lego,

His ſpeculum, in Cathedra matris ut poſitum fuit,
Pueriliter ludentes forte inſpexerant.

Hoc ſenſu; ibi pueri, cum ſpeculum in Cathedra matris poſitum eſſet, puericiliter ludentes illud forte inſpexerant. Qui autem erroris fons, quæ origo fuerit, operæ pretium erit attendere, & facile eſt ad intelligendum, ei præſertim qui MSS. Codices aliquando tractarit. Vitium quippe iſtud malum eſt ex geminatione τῶ S. in HISPECULUM, unde exſcriptor incautus nobis effinxit HIS SPECULUM. Eadem quoque ſecundi erroris origo eſt; nam ex *matris ut poſitum* (quam ego veram eſſe lectionem contendo) ortum eſt monſtrum iſtud *matris ſuppoſitum*. Faciet autem hoc mendum in *Phædro* animadverſum, & ſublatum, faciet, inquam, ut inſignem *Lucretii* locum in 6. quem vitiatum

vitiatum esse, primi animadvertimus, purgare aggrediamur. Cui enim potius quam tanto Poëtæ quique omnium elegantiorum hominum studio ac cura dignissimus est, operam navatam oporteat? versus queis de agitur, hi sunt,

Autumnoque magis stellis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus undique totaque tellus.

Sed, lector humanissime, hoc, nisi molestum est, ex te quæsitum velim, quid hoc sit, *domus cæli, & tellus concutitur stellis fulgentibus?* Nugæ, meræ nugæ; nam præter sonum, & granditatem sublimitatemque verborum, nil quidquam frugis est. Cum autem ibi à Poëta doctissimo posita sit quæstio hæc, *cur autumno, & verno tempore frequentius tonare videamus?* Quis neget legendum esse,

Autumnoque magis telis fulgentibus alta
Concutitur cæli domus undique, totaque tellus?

Tela autem *fulgentia* fulmina sunt, *Virgilii, Horatii, Ovidii*, atque adeo omnium Poëtarum testimonio: neque me in proferendis μεγαλοῖς longarum ῥήσεων lascivire, & otio abuti juvat. Quin & *Herodotus* alicubi fulmen vocavit θεοῦ βέλος, *telum Dei*. Error autem adeo fœdus *magis stellis*, ortus est, quemadmodum subindicavi modo, ex ὑφιώσεως seu conjunctione harum vocum, *magis, telis*, unde postea divisim scriptis, & geminato S. concinnarunt ineptam hanc, & ridiculam lectionem, quæ porro omnes editiones invasit. Sed ad *Phædrum* redeo (neque tamen aberrationis pœnitet;) illud *ut* (in τῷ *ut positum* fuit) eandem plane vim habet, atque illud apud *Sallustium* in extremo Catilinario: *Nam ut planities erat* &c. Et apud *Virgilium*:

Proximus ut viridante toro consederat herba;

Vel quemadmodum scripserat olim in 8. (olim, inquam, nunc enim nil tale apparet, & nos primi hoc *Maronis* gratificabimur) quis enim probet quod versu 604. legitur:

—— Celsoque omnis de colle videri.
Jam poterat legio, & latè tendebat in arvis.

Sed haud dubie scriptum fuerat,

—— ut latè tendebat in arvis:

Quasi diceret (hujus enim particulæ vis explicanda est) jam facile erat totum exercitum è colle prospicere, *cum* in patentibus campis tentoria haberet. Exempla alia piget adferre. Verum quando ita factum est, ut jam solemnem notulis modum egressi simus, locum quoque alium *Lucretii Lib. 6.* emendabimus. Nam ab eadem origine, qua superiores, corruptus est. Versus incomparabis Poëtæ sunt:

Nunc ratio quæ sit per fauces montis ut Ætnæ
Exspirent ignes interdum turbine tanto,
Expediam; neque eni M Media de tempestate coorta
Flammæ tempestas Siculûm dominata per agros
Finitimis ad se convertit gentibus ora.

Quid est *mediæ tempestas* lector? Neminem sane usque adhuc videre contigit, qui exposuerit; neque adeo mirum, locus enim est plane deperditus. Et tamen debuerant interpretes errorem animadvertisse. Sed uti dicebam modo,

modo, corruptus locus est ab eadem causa, quæ à me superius memorata est; nempe propter reduplicationem literæ M. ἐν τῷ *enim*; unde per socordiam exscriptoris factum est *enim media*, ex mox (quippe istis pulmoneis hominibus hæc mirifica videbantur) *enim media*, quod nullum sensum habet; namque scripserat aliter *Lucretius*:

—— *Neque enim diâ de tempestate* &c.

Dia tempestas (explicatione enim dignissimum locum judico) est tempestas θεόπεμπτος, ut diceret *Diodorus*, seu θεήλατος, quasi diceret *Lucretius*, quæramus nunc quid causæ sit quamobrem olim flammarum tempestas totam Siciliam pervastarit; neque enim putandum est Deos tantam vim incendii in insulam importasse, quippe nemini qui veterum Philosophorum sectas perspectus habeat, ignotum est existimasse *Lucretium* & cæteros *Epicuri* sectatores, non oriri isthæc ἐκ θεομηνείας, & ultrice Deorum providentia, quam impugnabant, sed ea omnia causis naturalibus niti, unde & ille aliter συνθεασώτου αὐτοῦ λήρου scripsit alicubi:

—— *Credat Iudæus Apella*
Non ego; namque Deos didici securum agere ævum
Nec si quid miri faciat natura, Deos id
Ex alto cœli tristes demittere tecto.

Sed aliquando tandem ad *Phædrum* regrediamur. *Fab.*

Pueriliter ludentes forte inspexerunt] Rectius multo est: *forte inspexerunt*. Librarius vim factam existimans legi metricæ mutavit sed male. *Meurs.*

Quid enim] F. *Quid mi? Rittersh.* Quid si dicamus breviter dictum, quod plene ita sonat: *quid enim potius acciperet, in contumeliam?* alluderetur sane optime ad ingenium muliebre, cui nil molestius quam ob formæ turpitudinem notavi *Horat. Sat.* 1. Ubi mercator:

Militia est potior, quid enim? concurritur. ——

Ista sic conceperam, cum incidi in *Comment. Salmasii ad Tertull. Pall. p.* 366. Ubi eundem locum sic video probari. *Scheffer.*

Nequitia malis] Illud *malis* non bene respondere præcedenti *formam* videtur. Ergo scribo *maclis* contractum pro *maculis*. Maculis corrumpere, est commaculare. *Scheffer.*

FAB. IX.

ET *cedo invidiæ*] Non satis hoc intelligo. *Cedere invidiæ Socratis*, est Socratem invidentem ferre non posse, minorem esse Socratis invidia, quomodo apud *Virgilium* 3. *Æneid. Cedere honori Ascanii.* & apud *Claudian.* 3. *in Eutrop. cedere livori*, at hoc non vult Noster. Quid? si legamus, *accedo invidiæ*, quomodo apud *Ciceronem in Ep. ad. Brutum*, est *accedere virtuti alicujus*. Quid? si & *me do invidiæ*, quomodo apud eundem, *dare materiam invidiæ*, *dare se sermonibus vulgi* reperitur. Sed nil opus est correctione. Optime doctissimus *Gronovius* in suis ad me literis: *Cedo invidiæ* (*non Socratis, nam ea vox hic repetenda non est, sed ut Socra-*

Socrates) id est, facile patior me circumveniri, & vel damnari atque occidi ab invidis, ut ille, dummodo post mortem judicer innocens fuisse. Cedo, ut apud Valerium Maximum unius aliquem testimonio cedere de quo in pecunia Vetere pag. 708. Invidia igitur hic posita pro invidis, ut & in aliis consuevit. Vide *Lib.* 4. *Fab.* 4. *Scheffer.*

FAB. X.

SEd *fabulosa*] *Phrascius* existimat legendum: *Sed fabulosa ne hæc vetustate* &c. Non male. Sed quia Codices dissentiunt, puto *id* pronomen, quod in sequenti versu est intelligendum, & ad illud *quod* refertur, etiam huc trahi oportere, ut sit sensus: ne id scilicet, quod proxime dixi de exploranda veritate, elevem allatis exemplis, quæ propter vetustatem suam possent videri fabulosa, propterea id narrabo, quod est factum mea memoria. *Scheffer.*

Seductus] Legendum videtur *seductu'st. Rittersh.*

Heredem se fecisse] V.C. *suffecisse.* Nonnihil hic deesse suspicor. *Rigalt.* Videtur saltem unus versus deesse. *Fab.* Putat *Faber* hic deesse versum, ego nil hujusmodi intelligo. *Scheffer.*

Concursant] Sic priores editiones habuere, quod non fuit immutandum in *Concursat*, maxime cum præcedat *quærunt*, & familia nomen sit quod multos innuat. Adde *Nobiliss. Heins. ad Ovid. Metamorph.* 2. *Vers.* 688. *Scheffer.*

Tentat in tenebris caput] *Colerus* distinguere tentabat ante, *caput*, & jungere: *Caput ut sensit tonsum.* Quod vix est ut probem. *Rittersh.* Referunt hoc vulgo ad præcedens *tentat.* Mihi hæc distinctio non placet, verum ita puto scribendum: *Ad lectum accedit, tentat in tenebris. Caput ut sensit tonsum.* Ponitur indefinite illud *caput*, quasi dicat, cum sentit adesse aliquem tonso capite. *Tentat* quoque absolutum est, plane ut in verbis *Plauti* quæ modo attulimus, & sic infra *Lib.* 4. *Fab.* 7. *Scheffer.*

Lucerna allata] Mallet *Heinsius, illata*, quia sic Latini, *Ovidius, Curtius, Apulejus*, alii. *Scheffer.*

Damnanda] Repetitio ingrata, puto plane scripsisse nostrum: *Clam tanta, Scheffer.*

FAB. XI.

CUi *super*] Lege, *qui super*, & junge, *qui insectatus est damnum. Rittersh.*

Amissi corporis] Mallet *Phrascius, abscissi corporis*, aut, *amissi roboris.* Arbitror scripsisse nostrum, *accisi corporis.* Corpus accisum, ut apud *Livium, accisa res.* Sic enim *Lib.* 1. *Quanquam accisas res eorum satis constabat.* Accisæ res, sunt præsectæ, imminutæ. *Scheffer.*

Unum] Singulare, maximum, verum mallem pro *en*, quod præcedit, legere, *&*, hoc sensu: etiam hoc unum est, ex iis, ob quæ tantopere tecum contendo. *Scheffer.*

FAB.

FAB. XII.

INdigno quanta res] Forte legendum: *ô quantares:* ut ô fuerit adſcriptum in ultima ſyllaba præcedentis dictionis. *Rittersh.* Sed dubito num ſic ſcripſerit, quia ſtatim ſequitur, *ô ſi quis*, ingrata repetitione; illud *quanta*, intelligitur de pretio, & dignatione. *Scheffer.*

Hoc ſi quis pretii] Legendum videtur: *O ſi quis pretii. Rigalt.* Ita correxeram, cum video idem cenſuiſſe Rigaltium. *Meurs.*

Ad ſplendorem maximum] Ex *Rimicio*, qui habet, *ad priſtinum decoris ſui ſtatum redisſes*, mallem hic legeretur, *ad ſplendorem priſtinum. Nevel.*

Ego qui te inveni] Lego: *Ego quum te inveni. Meurs.* Lego plane hoc loco, retentis omnibus, ſola diſtinctione mutata: *Ego qui te inveni? potior cui multo eſt cibus. Nec tibi* &c. Qui, ait, ego te inveni? *Qui*, eſt quare, quamobrem, ut apud *Terentium*, *Ciceronem*, alioſque plurimos: quaſi diceret, fruſtra te inveni: nam nec ego tibi poſſum, nec tu mihi potes prodeſſe. *Scheffer.*

Nec mihi quicquam] Inſerit *Urſinus: Nec mihi tu quicquam. Scheffer.*

FAB. XIII.

TAlem ſuſtulit] Quid? ſi legamus. *Talem iſtis tulit ſententiam.* Sententiam ferre alicui, eſſet ita poſitum, ut jus dicere alicui. Quid? ſi *Talem in hos tulit* &c. In hos, eſſet adverſus hos, Fucos ſcilicet. Et *Cicer. de Orat. quæſtionem ferre in aliquem*, uſurpavit. *Scheffer.*

FAB. XIV.

EXpedi quid] Veteres habebant, *quod*, unde *Phraſcim* faciebat, *quo*, id eſt, in quem finem. Puto ſcripſiſſe noſtrum, *qui id fecerim*; qui, eſt quare, quamobrem, ut apud *Cicer. Tuſc.* 5. *Terent. Adelph. Act.* 5, *Sc.* 5. Ibique *Donatum*, & locis aliis. *Scheffer.*

Victor Æſopus] Legendum: *Victor Sophus*, atque ita cenſet Doctiſſimus *Fr. Pithœus*, certiſſima ſane conjectura, *Phædrus Lib.* 4. Græcanicam hanc vocem iterum uſurpavit:

Factus periculo tum gubernator ſophus.

Rigalt. Et ſic Æſopum vocat conſuetudine veteri, de qua ago in peculiari opere; *de natura & conſtitutione Philoſophiæ Pythagoricæ. Scheffer.*

FAB. XV.

BAlanti] Recte *Phraſcim* rejicit, *palanti*, quod ante conjectaverat. Nam *balanti* deſiderio matris, voceque iſta querenti, ac vocanti velut, intelligere debemus. *Scheffer.*

Non illam quæro] Præceſſerit verſus,

ſus, qui excidit, nam profecto hæc hiant. *Meurs.* Verba agni ſunt ad canem; eſt enim dialogus, quod notandum, ne hic cum *Meurſio* hiatus fingamus qui nulli ſunt. *Scheffer.*

Tamen illa eſt potior] Hæc etiam hiulca ſunt. *Meurs.* Incipit nunc canis rurſum loqui, quod non obſervans *Meurſius*, denuo hiatus fingit. *Scheffer.*

Age porro, ſciſſet] Non puto quidquam hic mutandum, locus totus, ſi ſupplentur ea, quæ deſunt, ita habet. Age porro hoc propoſitum negotium, & perge. Licet ſciviſſet, album, nigrumve me natum, tamen quum, ſeu cum crearer maſculus &c. *Scheffer.*

Cum crearer] *Phraſcins* vult *num*, ſed ut dixi, ego nihil muto. *Scheffer.*

Quæ jacentis] *Barth. Lib.* 42. *Cap.* 14. *Adverſ.* Ita verſum hunc emendat:

Cur hæc ſit potior, quæ jacentis miſerita eſt.

Ego me nec ex hac, nec ex veteri lectione extrico, quæ jacentis miſerita eſt, non eſt alia, quam cujus poteſtas nulla fuit in gigoendo. Vult autem oppoſitionem facere, & matrem comparare cum ea, quæ tantum præbebat ubera. Quare mea opinione iſta ſunt corrupta. Atque ſic ſcribenda:

Cur hæc ſit potior? quod jacentis miſerita eſt &c.

Cur hac, id eſt, vera matre ſit potior? quærit canis, cum tamen ab hac vitam habeas. Reſpondet agnus: *Quod jacentis miſerita eſt. Scheffer.*

Facit parentes bonitas] *Rimicium* longe elegantius, & credo vera lectione legit:

Facit parentes bonitas non nativitas.

Nevel.

FAB. XVI.

Oppetit] Quid? ſi compoſito hic uſum dicamus pro ſimplici, aut etiam *appetit* ſcripſiſſe? quaſi diceret quærit. *Scheffer.*

Superbiæ] *Vrſinus* edidit, *ſuperbiá*. Cauſam ego non intelligo. *Scheffer.*

Cavoque rame] Mallet *rami* Nob. *Heinſius. Scheffer.*

Sonare] Legendum *ſonari* conjectabat nomine doctrinaque Vir Clariſſimus *D. Nic. Heinſius. Phraſcins* potabat *citharam*, verum ſi quid eſt mutandum, rectior ſuperior ſententia videtur. *Scheffer.*

Putes] Non video qua ratione poſſit ita loqui ad cicadam ipſam, num enim ipſa ſic putare debuit de cantu proprio. Loquuntur ſane ita de re diverſa, & tertia, ut *Martial. Lib.* 14. de pumilione:

Si ſtantem videas, Aſtyanactis putes.

Itaque cum hic ſermo ſit de cantu cicadæ, ad cicadam, ſic ſcripſiſſe vir opinor. Puto autem totum verſum ſic legendum eſſe: *Sonari citharæ quis putet Apollinis*, eumque includendum parentheſi, ut ſit ſenſus, quia me cantus tui non ſinunt dormire (nam ſunt tam egregii, ut quis putet ab ipſo Apolline cani) potabo. *Scheffer.*

FAB. XVII.

Cybele] Media hic producitur, contra vulgi consuetudinem, ob liquidam concurrentem, de quo vide *Fabrum* hoc loco. *Phrascim* literam eam geminat, absque librorum auctoritate. *Scheffer.*

Interrogavit. Causam] Num scribendum, distinguendumque *interrogavit causam?* Ita sane infra *Lib.* 4. *Fab.* 17.

Hanc alia cum rogaret causam facinoris.

Sed nihil muto, quia præcedit *quare*. *Scheffer.*

Honore fructum) Videtur legendum: *honorem fructu* &c. *Fab.* Ego nihil muto, non enim mercibus vendimus pecuniam, sed pecuniis merces. *Scheffer.*

At mehercule] *Vrsinus* Porro legit; At hæc (Minerva scilicet) *Mehercule*, moxque *narret*. *Nic. Heinsius*, *Mehercules*, scribit *Scheffer.*

Narrabit] Mallem ego equidem *narrarit*, id est, narraverit, Concessive, ut apud *Ciceronẽ* sæpe, sic *in Verr.* 1. *Seditiosus homo Cn. Carbo fuit. Fuerit alius, tibi quando esse capit?*

Propter fructus] F. *propter fructum*. *Rittersh.*

Nihil agere] Scribendum est, *nil agere*. Sic enim citatur versus hic *Lib.* 4. *Fab.* 23. Licet perperam adductus in antiquis. *Scheffer.*

FAB. XVIII.

Avibus admirabilem] V. C. *auribus admirabilem*. *Regalt.*

Cunctis Avibus admirabilem] Non dissimulabo, putare me, scripsisse nostrum, *esse è cunctis*, ut sit sensus, inter omnes hanc potissimum in admiratione esse. *Scheffer.*

Simul ac] Puto illud *ac* posse abesse, soletque noster alias omittere. *Scheffer.*

Vocem miseris] F. *emiseris*. *Rittersh.*

Fatorum arbitrio] Hiulca est hæc oratio, ut non paucæ in *Phædro*, facile observet attentus lector. *Meurs.* Putat quid deesse *Meursius*, sed hic rursum, ut supra, personas loquentes non observat: verba ista Iunonis sunt: ait, debere ipsam acquiescere in voluntate fatorum. *Scheffer.*

Partes sunt vobis) *Rimicius* legit: *partes omnibus data*. *Nevel.* Ego nihil muto. *Scheffer.*

Lava cornicis) Quæ *Phrascius* habet, huc non pertinent. *Scheffer.*

FAB. XIX.

Medio sole quid tu cum lumine] Metton postulat, ut *tu* removeatur. *Rittersh.* Non debet existimari *tò tu* superesse: siquidem in fine est dactylus, non insolens claudere versus comicos, & ipsi huic *Phædro*. *Meurs.*

Et abit festinans domum] Legendum *Abiit*. *Rittersh.* Scribo: *& abiit festinans domum*, aliter versus non constat. Sed hoc quoque *Rittershusio* animadversum video. *Meurs.*

LIBER QUARTUS.

FAB. I.

Asinius & Galli] Non videtur hæc fabula librum quartum ordiri debere, ſed potius vel ad finem libri tertii referenda, vel illi, de Muſtela, & Muribus poſtponenda: ut liber quartus ab hoc prologo incipiat: *Ioculare tibi videtur.* &c. *Rittersh.* Cenſeo cum *Rittershuſio*, & *Rigaltio* finem hic potius eſſe ſtatuendum libro tertio, quam exordium quarto. *Meurs.*

Circum quæſtus ducere] Probat mihi conjecturam ſuam doctiſſimus *Heinſius*, qui ſcribit, *Circum in quæſtus ducere*, & circumducere in quæſtus, dictum, ait, ut apud *Claudianum*, *in quæſtum venire.* Nam &, *quæſtus*, ut ſit diſſyllabum, quod *Vrſinus* comminiſcitur, nimis licentioſum eſt. Audiamus tamen & quid ſentiat perſpicaciſſimus *Gronovius*: *Quicquid explicant*, inquit, *ſcribo, circum catus ducere, ideſt, oppida, fora, conciliabula, Cic. in Somn. Concilia, & catus hominum, jure ſociati. Scheffer.*

Detracta pelle] F. *detracta è pelle. Rittersh.*

Quidnam feciſſent] Lege, *quia nam*, id eſt, quare feciſſent, ſcilicet tympana ex pelle aſini, ſatis dum viveret plagis contuſi. Quidnam feciſſent, non erat cur quæreret Delicium illud. Videbat enim tympana eſſe facta. An quidnam, id eſt, ob quid? *Rittersh.* Elliptice pro propter quid, nec ambigere debet *Rittershuſius. Terent. Andr. Act.* 1. *Sc.* 4. *Sed quidnam Pamphilum exanimatum videt?* Adde *Donat.* ad Ejuſd. *Act.* 2. *Sc.* 2. *Scheffer.*

POETA.

Oculare tibi videtur] Male transpoſiti duo priores verſus. Reſtituo in priſtinum ordinem:

Dum nihil habemus majus calamo ludimus.
Ioculare tibi videtur, & ſane leve.
Sed diligenter &c.

Evidens eſt correctio mea. *Meurs.* Mallet *Heinſius*, *joculares tibi videmur.* Forte ſcripſit; *jocular' oc tibi videtur* contracte pro, *joculare hoc. Scheffer.*

Inferiore] Legendum: *Interiore. Rittersh.*

Condidit cura angulo] Scripſerim: *Condidit cor angulo.* Alludit ad fabulam de Momo accuſante Jovem, quod pectus homini feneſtratum non indidiſſet, quo cordis ſecretum perſpici potuiſſet. *Meurs.* Non audimus *Meurſium*, pro *cura*, *cor* ſcribentem. *Scheffer.*

Adjiciam] Scripſi *adiciam*, non ut erat editum, *adjiciam.* Vide infra *Fab.* 7. *Rittersh.*

FAB. II.

COmpreſſus] Forte *compreſſus*: ut ſit error natus ex antiqua ſcribendi, pronunciandive ratione, *compreſſus*, coſul. *Rittersh.*

Alter ſimiliter deinde perit] Mendoſi ſunt hi duo tres verſus. Emaculo hoc modo:

Alter ſimiliter deinde periit, at tertius
Alios venit ſecutus recte territus,
Quia ſæpe laqueos, & muſcipula effugerat.

Meurs.

Perit] Ita reſcribo pro, *periit*. *Rittersh.*

Aliquot venit ſæculis] Verſus ſuadet: *Poſt ſæclis*, aliquot ſæclis poſt, ut, *longo poſt tempore venit*. Sin legamus: *Aliquot advenit ſæclis*, erit ſimiliter dictum, illud *Propertii*:

Venturum paucis me tibi Luciferis.

Paucis poſt Luciferis, ſeu diebus, & *Catullus*:

Cœnabis bene mi Fabulle apud me
Paucis, ſi tibi DI favent, diebus.

Schop. Legi poſſe videtur:

Venit peritus aliquot retro ſæculis.

Cui conjecturæ viam præmunivit *Rimicius*, qui habuit:

Poſtea venit major annis & cautus mus,

Nevel.

Rete territus] Legendum *retorridus*, atque ita locum integrum edidit *Rigaltius*. fruſtra occupatis omnibus, in ejus reſtitutione, etiam nuperis ſcriptoribus. Quos inter *Urſinus* ſcribit; *Aliquot venit ſepultus, recte territus.* Retorridum *Rigaltius* ſic ait dici, ſicut apud *Horatium*, *recoctus ſcriba*, *Lib.* 2. *Sat.* 5. Notatur vetulus, rugoſus ſenio. Quomodo *retorridas plantas*, macilentas, ſiccas, & contractas in rugas *Columella* dixit *Lib.* 3. *Cap.* 12. *Nimiam ſiccitatem deſtituere plantas dicit naturali alimento, aut in totum necare, aut ſcabras, & retorridas facere.* Cæterum tales, uſu ipſo edocti, ſunt fere callidi. Vide *Gell. Lib.* 15. *Cap.* 30 & quæ *Salmaſius* in *Lampridii Commodum*, & *Severum*, annotat. *Scheffer.*

Quæ jaces] Nobiliſſimus *Heinſius* in humaniſſimis, eruditiſſimiſque ſuis ad me literis ſic de hoc loco: *Nihil urbanitatis, aut acuminis in hoc dicto agnoſco; quare ſuſpicor à manu Phædri eſſe, litteris tranſpoſitis, ut farinaes, quæ necas, vel neces. Sic valeas, inquit, ut per te valent alii, quos interfeciſti. Sarcaſmus eſt, cum imprecatione conjunctus. Scheffer.*

FAB. III.

ALta in Vinea] Forte ſcripſit, *altam*, & referendum eſt ad uvam, ut ſit alta uva, quæ in alto pendet. *Scheffer.*

FAB. IV.

REdiit ad hoſtem jactu &c.) V. C. *Redit ad hoſtem latus. Jactu hunc equus* &c. *Rigalt.* Sed *Gronovius* ad hunc locum: *Video mutaſſe Rigaltium: ad hoſtem latus, hunc* &c. *Non placet, nam apud Tacitum legiſſe memini, teliſque non in vanum jactu; & jacere ſagittas. Scheffer.*

FAB. V.

QUam in turba] Nonne melius, *quam turba?* cum *in* antecedat. *Scheffer.*

Fructumve] Repetenda eſt negatio ex ſuperiori verſu. Quanquam ego mallem, *fructum nec capiant. Scheffer.*

Domum politam, & delicatos hortulos] Fugitivum verſum ſic retrahe:

Seponit macha veſtem, mundum muliebrem,
Lavationem argenteam, eunuchos glabros;
Domum politam, & deliciatos hortulos.
Lanificæ agellos, pecora, villam, operarios,
Boves, jumenta, & inſtrumentum ruſticum:
Potrici plenam antiquis apothecam cadis;
Sic deſtinata dare &c.

Rigalt. Sed ego non aſſentior; & vis ſententiæ meæ fulcrum? Ecce in ſequentibus, cum Æſopus male data ex teſtamenti ſententia mutat.

Domum & ornamenta, cum venuſtis hortulis,
Et vina vetera date canifica ruſtica.

Nihil clarius, nihil certius: mutat Æſopus nihil in rebus, ſed alios iis tantum perſonas aſſignat. *Mevrs.*

Potuiſſent] Puto plane ſcripſiſſe noſtrum, *pote eſſent*, pro *poſſent*, exemplo *Plauti, Terentii*, & aliorum. *Scheffer.*

Vinum paret] De hoc loco ſic *Gronovius* ad me: *lego ut vinum petat. Sueton. Claud.* 40. *Deſcripſitque abundantiam veterum tabernarum, unde ſolitus eſſet vinum olim & ipſe petere.* Rectiſſime, nam ſequitur mox, *ornatum paret*, ingrata repetitione. *Scheffer.*

Luxuria domum] Significat Nob. Dn. *Heinſius* legendum ſibi videri, *licitus domum.* Liceri, eſſe pretium pro re venali offerre, idque verbum, ut parum intellectum, paſſim corrupiſſe ioſcios librarios. *Scheffer.*

FAB. VI.

HIſtoria quorum in tabernis] Nihil hic deeſt, ſed τὸ *m*, ante vocalem non abſorbetur, cujus rei apud *Phædrum* & alibi exempla obſervavi: ut ſupra, *Lib.* 1. *Fab.* 13. Non fuit igitur quare *Pithœus* aſteriſcum ante τὸ *in* poneret, quaſi loci corrupti ſignum. *Rittersh.* Forte legendum erit:

Hiſtoria nunc quorum in tabernis pingitur.

Nevel.

Nevel. Sed *Heinſius:*

Hiſtoria querum hæc &c. —— *Scheffer.*

Artos] Vulgo arctos ſcribimus, contra veterum auctoritatem, quæ hic obſervatur. *Rittersh.*

Premit] *Heinſius* pro hoc ut inſolentiori, ſcribit *premat*. *Scheffer.*

PHÆDRUS.

Diſtringit] F. *Deſtringit*, ut ſupra lib. 1. *Fab.* 29.

Gravi deſtringunt alios contumelia.

Rittersh.

Parum libellum] V. C. *Par libellum* Scribe, *parvum libellum* ſicut ſupra, *Lib.* 1. *Fab.* 2. *parvum tigillum*. *Rigalt.* An *parvum libellum*, an potius, *parum libellam ſuſtine?* Libellam ſcilicet judicii, & cenſuræ tuæ pauliſper inhibe. Vel ita: adhibe huc ſtateram, & lances tuas: imponam in eas quod tibi ſatis ponderoſum videatur, cum cetera omnia tam levia reputes. *Rittersh.* Atque ita *Vrſinus* corrigit, *parum libellam ſuſtine*, aitque genus eſſe locutionis proverbialis, non placet. *Scheffer.*

Et in Coturnis] Scribo: *enim in Coturnis*. *Meurs.* Sed fruſtra. *Scheffer.*

Nec unquam] Puto veteres ſcripſiſſe, junctim, ſicut *necubi*, *necunde*, & ſimilia. *Nec* hic idem ac *non*, ut ſæpe apud *Virg.* *Scheffer.*

Peles nemoris] *Heinſius: Pelii in nemoris*, quia ſic & *Euripides*, & *Ennius*, *utinam ne in nemore Pelio*. Optime. *Scheffer.*

Varius involvens modis] Pro *modis*, *dolis* ſcribit Nob. *Heinſius*, cum præſertim apud *Apollonium* πλυκτοῖς binc appelletur. *Scheffer.*

Lector Cato] Puto hic ponendum punctum interrogationis, non in verſu demum ſequenti, ut fit vulgo. *Scheffer.*

Sulsitiam nauſeant] F. *ſtultitiam nauſeant*. *Rittersh.* Retinet *Vrſinus*, *qui ſtulsitiam*, nempe veteres editiones habebant, *ſi qui ſtulsitiam*. Sed mihi hæc correctio non placet, mallem; *ſi qui ſtulsitia nauſeant*. *Scheffer.*

FAB. VII.

Hæc] Non placet *hæc*, quia proxime præceſſit *vipera*, ſcribo: *hæc*. &c. *Scheffer.*

FAB. VIII.

Homo ſimul ac venit] Laborat verſus niſi illud *ac* deleas. *Simul* & hic, ut ſæpius pro ſimulac. *Schop.* Mallem quoque ſcribere *periclum*, pro *periculum*. *Scheffer.*

Homo in periculum) Sic legendum puto, vetuſti codicis ſcriptura: *In periculum ſimul ac venit callidus vulpis, & caper homo ſimul ac venit in magnum periculum repperire effuginm alterius* &c. *Rigalt.*

FAB. X.

Onustus] Verba hic *Vrſinus* tranſponit, legitque *qui onustus*, &c. *Scheffer.*

Sceleſte] Mallet *N. Heinſius*, *ſceleſto*, ut ſupra *miſerum ſpiritum* dixit. *Scheffer.*

FAB. XII.

Cum ſe ferarum] Hanc & ſequentis fabulæ priorem verſum conjunxit *Rimicius*, neſcio an manuſcripto duce. Hoc modo: *Sine ſanguine cibum ſumere ſanctam, & incorruptam fidem juravit. Poſthac de hac re cœpit habere panitentiam.* Perſequiturque fabulam illam de Leone, rogante an os fæteret ſibi, & Simeo; quæ extat apud *Camerarium*. Adeo ut videtur mihi verſus ille, *Turpi* lavare cœpit pœnitentia nihil ad ſequentia pertinere; ſed fabulæ huic 12. proprium eſſe. *Nevel.*

FAB. XIII.

Lavare] F. *Labare panitentia*, id eſt labaſcere. *Rittersh.* Nihil mutandum. Hanc enim & ſequentem fabulam indulgentius tractando pene corruperant. *Rigalt.* Conjicit *labare Rittershuſius*. Ego refero ad ſequens *linguam*. *Gronovius* firmat priorem ſententiam: ſic autem ait: *lego*: poſt hac, vel, poſtea labere cœpit pœnitentia, ideſt, mutato animo deficere à propoſito. Ut *Cic.* 8. *Att.* 22. Scito Labare illud meum conſilium, quod jam ſatis fixum videbatur. Ovid. 6. Metamorph.

——— *Ex nimia mentem pietate labare*
Senſit. ———

Scheffer.

FAB. XIV.

Afflictione] F. *afflixione*, veteres *à fictione*. Non inquro curioſe quid ſit rectius. Nam hæc ignorare adeo non eſt in vitio, ut mereatur laudem. Faber ita ſcribit: *Hoc quid ſit notum Illud videlicet quod apud Suetonium dicitur, illudere capita matronarum*, &c. non probo. *Scheffer.*

FAB. XV.

Veſtræ fortitudinis] Malim, *pares fortitudini*. *Rittersh.* Non opus eſt *Rittershuſii* emendatione. *Scheffer.*

FAB. XVI.

Mutatur dies] F. *mutato die*, & tollenda hinc capitalis diſtinctio, alias ἀναγνῶσεσι erit. *Rittersh.* Non male, niſi quod minime à ductu literarum devians, malo: *mutatus dies*. Subintell. Fuit, ut ſolet *Phædrus* tuus. R. & S. charactere Longebardico nihil divortunt. Divinabam quoque:

quoque: *ſubito mutat ut dies.* Ut vel poſtquam dies mutavit ad ſerenam faciem. Mutavit pro mutatus eſt, cujus plura exempla in *Verſimil. Schop.* Suſpectum mendi locum hunc habent viri docti, & recte: placetque emendatio *Schoppii: ſubito mutat ut dies.* Mihi tamen in mentem veniebat.

Facies ad ſerenam ubi commutatur dies.

Arbitrium eſto penes lectorem. *Meurs.*

Periculo] F. *Periclo*, ut ſupra. *Rittersh.*

FAB. XVII.

CAnes legatos] Recte judicavit *I. Meurſius* V. Clariſſ. multos verſus hinc illinc ex hac fabula excidiſſe. *Fab.*

Meliora vitæ tempus] Corrigit hic *Vrſinus*, *meliora vitæ tempora oratum ſuæ. N. Heinſius*, pro *ſuæ*, ſcribit *ſuos*, refertque ad legatos. Quid? ſi ſcribamus, *ſuis*, id eſt, generi ſuo, canibus. *Terent. Andr. Act. 3. Sc. 2. Orabo gnatũ uxorem.* Et ſic alii. *Scheffer.*

Abriperet hominum contumeliis] Forte ſcripſit noſter, *hominum è contumeliis.* Nam poteſt fieri, ut illud è ob ſimilitudinem ſequentis literæ ſit abſorptum. Ita *Cicero, è complexu parentum abreptos filios* dixit. *Scheffer.*

Citati non reſpondent] Præceſſerint ſine dubio aliqua, quæ exciderunt; nam hæc non cohærent: ſed totam hanc fabellam nimis negligenter exſcripſit librarius, verſibus aliquot hic illic per oſcitantiam dicam, an feſtinationem omiſſis. Sic itaque hæc edi debent:

Profecti ſunt legati non celeri pede,
Dum naribus ſcrutantur eſcam in ſtercore.
* * * * * * *
Citati non reſpondent: vix tandem invenit
Eos Mercurius, & turbatos adtrahit.
Tum vero vultum magni ut viderunt Iovis,
Totam timentes concarunt regiam.
Propulſi vero fuſtibus vadunt foras.
* * * * * * *
Vetat dimitti magnus illos Iupiter.
* * * * * * *
Mirati ſibi legates non revertier,
Turpe æſtimantes aliquid commiſſum à ſuis,
Poſt aliquod tempus alios adſcribi jubent.
* * * * * * *
Rumor legatos ſuperiores prodidit,
Timentes rurſus aliquid ne ſimile accidat,
Odore canibus anum ſed multo replent.

Sed, age, examinemus ſingulas lacunas. *Meurs.* Ait *Meurſius* deeſſe quidpiam; ego non exiſtimo, ſed ut in aliis, ita hic brevem eſſe Noſtrum puto. Arbitror autem verſum præcedentem non cum ſuperiori, verum hoc propoſito eſſe conjungendum, ſublata diſtinctione majore, ut ſit ſenſus: ideo non reſpondiſſe, quia occupati in

quærenda esca, vocem citantis non observarant. *Citatos* autem intelligo solenni voce Mercurii, exemploque quodam veteris aulæ, si convenire vellent Regem, ut nunc facerent. Eam non audiverant canes, absentes quippe, ac sic occupati ut dixi. *Scheffer.*

Eos] *Heinsius* legebat *reos*, eo sensu, quo sic appellantur, quicunque causam dicunt. Vide *Festum* & *Nonium* ea voce. *Scheffer.*

Vetat dimitti] Præcesserit hic minimum versus unus, rationem complectens, qua motus Jupiter dimitti ita illos noluerit, etsi ejectos post tam turpe facinus. *Meurs.* Ego contra sentio. Vult ejectos putidos istos canes cum venissent è regia, præ metu ac pudore penitus voluisse abire; sed Jovem iratum præcepisse suis, ne dimitterent, & abire ipsos paterentur, sed tenerent in custodia. Itaque statim cum exissent, sunt retenti. *Scheffer.*

Mirati sibi legatos non revertier] Exciderint heic versus duo tres præcedentes, quibus comprehenderit *Phædrus*, quid Jupiter postquam dimitti vetuisset, cum illis egerit: illos vero præ pudore facti ad suos reverti ausos non fuisse: itaque cum emanerent alii canes, *mirati sibi legatos*, &c. *Meurs.* Atqui si ex primo versu vocem *canes* hic intelligas, sententia est integra. Et solet noster ita loqui. *Scheffer.*

Rumor legatos] Hic præcesserit versus unus aliquis talis:

Cum interea se gessisse quam turpissime
Rumor legatos &c. ———

Meurs. Notant hic iterum lacunam. Nempe deest, num hoc faciunt, dum jubent adscribi alios, interea rumor hæc prodidit. Sed jam ante monui, connexiones istiusmodi omittere Nostrum, studio brevitatis. Ita mox. *Scheffer.*

Sed multo] Eleganter illud *sed* sic usurpari docet *Schoppius*, quasi diceret, *atque eo quidem multo.* Mallem tamen ego pone[illegible] *hic* &c. *Scheffer.*

Mandant] [illegible] *mandata dant: dein dimittuntur:* vel *deinde mittuntur.* Sic supra *Lib.* 1. *Fab.* 2. *Dant Mercurio mandata.* Est autem usitatissimum de legatis ita loqui. *Homerus* ἐφετμὰν, vocat, μεμνῆσθαι ἐφετμέων. *Rittersh.* Restituo cum Viro Cl. *Cunrado Rittershusio: Mandata dant, dein mittuntur. Meurs.* Veteres editiones habuerunt; *mandant dimittuntur statim.* Ex quo *Ursinus* faciebat: *Mandant eadem, dein dimittuntur statim.* Verum si sic volumus, pro *dimittuntur*, *mittuntur* est scribendum. *Scheffer.*

Legati] Mallem ego *legatis*, ut respiciat præcedens *canibus*, & subjicere punctum. *Scheffer.*

Adeunt] Quid si legamus *abeunt*, hoc est, proficiscuntur. Videtur enim melius, quia mox sequitur de aditu. *Scheffer.*

Confusus] Quid hic est *confusus fragor?* Non capio sensum hujus vocis in hoc loco. Mallem scribere *confusi*, & referre ad *canes*, ut sit sensus: quia subito factus est fragor ex concusso fulmine, ideo, ut ex re inopinata vehementer terrefactos esse. *Virgil.* 12. *Æneid.*

Obstupuit varia confusus imagine rerum.

Scheffer.

Fuerat fragor] Mallet Nob. *Heinsius nierat. Horatio* auctore, qui alicubi: *Non tremendo Iupiter ipse ruens tumultu.* Propius ad veterem scriptu-

ram

ram ſic Cl. *Gronovius : Lego, confuſos ſubitus quos fecerat fragor.* Ut *Ovid.*

Nec minus eſt confuſa Venus moriente Tibullo.

Petronius : Triſtem confuſumque, & alibi confuſus, & conſilii egens. Scheffer.

Sic eſt locutus] Reſtituo: *hic eſt locutus. Meurs.* Quod non diſplicet, vide *Lib.*1. *Fab.*14. *Scheffer.*

Sed hoc ferens pro judicio præmium] Lego: *Sed hoc ferens is pro judicio præmium.* Alloquitur enim Jupiter non legatos, ſed collegium Deorum, qui omnes clamarant vindicandam injuriam: Nam ecce de legatis ſtatim loquitur in tertia perſona:

Non vero dimitti verum eruciari fame,
Ne ventrem continere non poſſint ſuum.

Itaque mox legendum:

Illi autem qui miſerunt vos tam futiles.

Meurs.

Hominis] Puto *hominum* oportere ſcribi, ſicut ſupra. *Scheffer.*

Ita nunc legatos expectantes] Duos hos poſtremos verſus mendoſos eſſe, manifeſtum eſt, atque ita corrigendos:

Ita nunc legatos expectantes poſſeri,
Novum venire cum vident, cubum olfaciunt.

Meurs.

FAB. XVIII.

Necuit] Video *Salmaſium Exerc. Plin. p.*25. ubi verba hæc adducit, non *necuit*, ſed nocuit legiſſe, ſimul & locutionem hanc *nocere alicui*, Latinam, boniſque auctoribus receptam teſtari. Verum iſtam lectionem ſuam mihi equidem haud probat. *Scheffer.*

FAB. XIX.

Ultimam] Mallet eruditiſſimus ac humaniſſimus *N. Heinſius* ſcribere, *ultimo*, ut ſit ſenſus tandem illuc veniſſe. *Scheffer.*

Vita mea] *Phraſchim* legendum putat *tua*, ut referatur ad Draconem. Ego non exiſtimo. *Scheffer.*

Clementer] Puto poſt vocabulum hoc punctum eſſe ſcribendum. *Scheffer.*

FAB. XX.

Tibi dico] Continent plane verba hæc uſum fabulæ; unde conſtat imprudenter feciſſe, qui à ſuperioribus divulſerant. *Scheffer.*

Qui dum] Subintellige *modo*, dummodo hoc facias. *Scheffer.*

Aggeres] Puto noſtrum *aggeres* ſcripſiſſe. *Terent. Pherm. Act.*3. *Sc.*2. *Dum proſim tibi.* & ſic ſemper. *Scheffer.*

Ne quid] Malim: *ne quod lucrum*: vel, *ne quid lucri. Rittersh.* Legi quoque potuit, ſi ulla interpolatione uſus eſt: *ne qui detur*, id eſt, ne quo-

quo

quo modo lucrum faciat. Sed defendendum est veterem loquendi rationem. *Si quid facinus*, & similia apud familiarem nostrum *Plautum*, sic, *quid nomen, id nomen*, &c. Quæ attigi in *Suspect. lect.* Quibus addas licet hoc ex *Trucul. Act. 2. Sc. 4. Sed quod ego facinus audivi adveniens tuum?* Ex utroque MS. Legendum, *quid ego facinus. Schop.*

Lucrum] Malim *ne quod lucrum*, vel *ne quid lucri. Rittersh.* In sententiam *Rittershusii* discedo, legentis *lucri*; etsi sciam vulgatam lectionem posse stare ex *Plaute. Fab.*

PHÆDRUS.

QUid *judicare cogitet*] Vetus codex *cogitur*; antea legebatur *cogitet. Rigalt.* Plane legendum, cogitet, ut in veteri editione scriptum fuit; *Rigaltius* è MS. Cod. hanc corruptelam primus protulit; quasi contra bonum sensum auctoritas librorum MSS. sequenda sit. Certa recepta lectione nil nequius fingi potest. *Fab.*

FAB. XXI.

MErcede accepta] Mallet *Heinsius*, *pacta*, scribere, quia patet ex sequentibus, non accepisse mercedem, nisi versibus jam confectis. *Scheffer.*

Cæo] *Rittershusius*, emendat *ceo*, & sic scribitur *Straboni*, *Plinio*, *Ælia-no* 1. Licet sint, qui apud *Ptolomæum* altero modo legi adserant. Sed is nunc non est ad manus. *Scheffer.*

Hi Zonas, illi respretiosas colligunt] Hæc hiulca sunt, neque cohærent. Exciderit minimum versus unus. *Meurs.*

Porrigunt] Lege, aut certe scande *porgunt. Rittersh.* Idem suspicari etiam *Heinsium*, & *Gronovium* literæ ipsorum me docuerunt. *Scheffer.*

FAB. XXII.

AT *illa*] Ita habet ultima *Rigaltii* Editio, Parisiis Anno 1630. Excusa. Priores versum hunc habendum divisum in duos, adjectis asteriscis, tanquam quid deesset unicuique. Id perperam factum etiam Cl. *Gronovius* observavit in suis ad me literis, & sic jungendum utrumque censuit. In editione *Rittershusii* ante illa verba: *at ille murem peperit*, præmissum fuit; *quid ille pareret*, quod merito *Rigaltius* abjecit, rectissimeque *Heinsius* ex Glossa, qua quis illud antecedens *exspectasso* interpretatus fuerat, natum arbitratur. *Scheffer.*

FAB. XXIII.

NIl *agere quod non prosit*] Omissus est hic versus à *Rigaltio*, tanquam inutilis, præsertim cum in fine explicatio fabellæ sequatur & sit ille ipse, qui supra allatus est *Lib. 3. Fab. 17. Scheffer.*

Templa

Templa perlustro omnia] Mallem hæc distincte scribere ; *Moror inter aras, templa, perlustro omnia.* Nam illud *omnia*, cum ad sola refertur templa, vim non habet tantam. *Scheffer.*

Est gloriosus sane convictus Deum] Turbatissimus erat horum versuum ordo, quem optime ex vetere libro restituit *Rigaltius. Meurs.*

Quo versu] Pro *quo*, scribo *quam*, id est, cum. Hoc ait, cum seu quando venis ad ea loca abigeris, nihil certius. *Scheffer.*

FAB. XXIV.

Victoris laudem] Ego mallem scribere *victori*, & ad *pyctæ* referre. *Scheffer.*

Certo conduxit pretio] Legendum omnino statuo: *certo condixit pretio.* Simonides enim non conduxerat, sed conductus erat. Ergo manifestum mendum, & certa correctio mea. *Meurs.*

Secretum petit] Scripsi *petIt*, pro *petiit*, ut supra *Fab.* 21. Vel legendum, vel certe scandendum *petIt* non *petiit*, ut editum est. *Rittersh.* Nam & reliqua efferuntur isto tempore. *Scheffer.*

Poëtæ moris] Malim *poëta*, an *moris poëta*, id est, poëtici? *Rittersh.* Cohærent hic, *licentia poëta*, quæ intelligitur ea, quam habet ut poëta, qua talis est. Putat tamen *Heinsius* scribendum, *usus poëtici est moris licentia. Scheffer.*

Moris est] Lege, *ut moris est*, conjunguntillud *est*, præcedenti *ut*, ego mallem adjungere sequentibus, & referre ad *usus. Scheffer.*

Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes duæ.] Mendum fædissimum, & à nemine tamen, quod merum mireris, animadversum ; lege, & distingue: *Illi, inquit, reddent, quorum sunt laudes, duo.* Illi duo, quorum laudes sunt à te expositæ, solvent quod pretio deest. *Quintilianus* hac in ipsa historia ; *quamobrem partem ab iis petere ; quorum facta celebrasset, jubebatur.* Notandum autem arbitror, quod ab eodem scriptore contra receptam de Tyndaridarum miraculo opinionem scriptum est. En tibi hominis verba: *quanquam*, inquit, *totum de Tyndaridis fabulosum videtur: neque omnino hujus rei meminit poëta, non taciturus de tanta sua gloria.* Unde igitur & quorsum tam late divagata illa fama est? nam passim hæc legas. Sed heus tu, nescis illud *Lucretii* nimis, ô nimis versum?

——— *Ideo jactant miracula dictis*
Aut aliqua ratione alia ducuntur ut omne
Humanum genus est avidum nimis auricularum.

Fab. Scribo: *laudis duo:* ut sit sensus: illi, quorum sunt duæ reliquæ partes laudationis, reddant tibi, quod postulas, ego enim quod pactus sum, pro mea parte solvi. *Faber* putat, *duo*, ut respiciat antecedens *illi*, sed alterum rectius videtur. *Scheffer.*

Ut ne ira te dimissum sentiam] Lego, *ut ne iratum te dimissum sentiam. Pithœus* tamen in vetustissimo se legisse testatur: *irate te dimissum sentiam. Rittersh.* Varie hæc emendant, *irate*, *irate te*, *iratum te*; nil probo, sed scripturam veterē retineo.

Contra

Contra autem illud *sentiam*, non bene concoquo. Quid enim? *Sentiam dimissum?* Cur ipse metuit de se, ne sentiat? scribo ergo *sentias*. Hoc dicit: solvent illi duo, quos pariter mecum laudasti, reliquum. Ne tamen putes propterea, quod eorum laudes admiscueris meis, esse me iratum tibi, ecce signum certum amicitiæ, voco te ad cœnam. *Sentias*, est, *existimes*, *censeas*. *Scheffer.*

Quorum es in numero mihi] Pro illud *es*, ut sit sensus apertior, *Heinsius* refingit *esto*. *Scheffer.*

Male dimissam] *Heinsius* vult, *dimissus*. *Scheffer.*

Lata] *Rigaltius* edidit *late*, sed sic *Faber*, cum editionibus veteribus, quod probo. Nam est ita dictum, ut hilare convivium. *Scheffer.*

Defluentes] F. *diffluentes*. *Scheffer.*

Corpora] Quid est *corpora*? Num Græco more ponitur, *quo ad corpora*? Atqui sudor non est, nisi in corporibus. Lego igitur *corpore*, ac ad sequens, *supra* formam humanam refero. Habebant, inquit, majus, & speciosius corpus, quam vulgo solent homines. *Scheffer.*

Perturbatus] Forte, *periurbatum*. Sed & servulus potuit esse perturbatus, commotusque conspectu tam augustæ formæ. *Scheffer.*

IDEM POETA.

Destringit] F. *distringit*. Sic & alibi ista perperam permutata reperiri. *Rittersh.* Et sane *Cic. Epist. ad Q. Fratr.* Sic *habeto*, *numquam me à causis & judiciis districtiorem fuisse*. *Scheffer.*

Quod es pollicitus] Lege metri causa *policitus*. *Rittersh.*

Et hoc minus veniet ad me muneris] Miror equidem tot doctissimos viros non vidisse, aut certe non monuisse, versum hunc suis mensuris carere. Emendari possit;

Et hoc minus, & minus ad me veniet muneris.

Nota illa sunt, *minus minusque*, *minus & minus*. *Magis magisque*. Græci, μᾶλλον μᾶλλον Alexis apud *Suidam*. Posset etiam non minus commode legi:

Et hoc minus tui ad me veniet muneris.

Fab.

Mors vicina flagitabit debitum] Sequentium versuum concinnior ordo videbatur iste:

Et mors vicina flagitabat debitum
Decerne quod religio, quod patitur fides,
Et gratulari me fac judicio tuo.
* * * * * * *
Stultum admovere tibi preces existima,
Proclivius ultro eum sit misericordia.
Sæpe impetravit veniam confessus reus,
Quanto innocenti justius debet dari?
Tua prius sunt partes, aliorum dein,
Simili gyro venient aliorum vices
Excedit animus &c.

Rigalt. Recta hæc omnia, & ordinata, neque debebat transponere *Rigaltius*. *Meurs.*

Admo-

Admovere] Scribit *Heinsius admoveri*, quod placet. *Scheffer.*

Existima] Mallem scribere, *existimo*, ut sit formula confitentis importunitatem tot suarum precum. *Scheffer.*

Proclivis] Absolute. Verum suspicor scripsisse; *proclivis cum sis misericordiæ Sil. Lib.* 13.

—— *Sceleri proclivis egestas.*

Scheffer.

Sincera] Mallem scribere, *sincere*, ac ad *conscius* referre, ut *sincere conscius*, sit vere conscius. Nam integritatem aliam præter sinceram non intelligo; ut si ei jungatur, videri queat supervacuum. *Scheffer.*

Palam mutire plebejo periculum est] Versus hic ex *Ennii Telepho* sumptus est: quod me docuit *Festus* in mutire, ubi tamen sic legetur:

Palam mutire plebejo piaculum est.

Non, ut hic, *periculum est*; utra pensior sit lectio, οὐκ ἔχω εἰπεῖν, quanquam *Schoppius* meus præferebat *periculum*, *Nathan. Chytræus*, *piaculum*, malebat. *Rittersh.* Haud dubie est ἡμαρτημένη γραφὴ, restituendumque *piaculum*, pro *periculum*. *Fab.* Sed quis scit, num *Festus* recte *Ennium* exscripserit, aut ii *Festum* qui nobis ediderunt. Sed & solent aliquando veteres, dum adducunt talia, mutare pauca in suos usus. Itaque hic lectionem receptam retineo, *Scheffer.*

Memini] Versus postulare videtur *meminero*. *Rittersh.*

POETA

AD PARTICULONEM.

CUm *destinassem terminum operis habere*] Luxatus versus est, quem restituo:

Cum destinassem operis habere terminum.

Porro debet heic statui initium libri quinti, non finis quarti, clare pate ex istis sequentibus:

Quartum libellum dum vacive perlegos,
Hunc obtrectare si volet malignitas.
Imitari dum non possit, obtrectet licet.

Meurs.

Terminum operis habere] F. *Addere*. *Rittersh.* Quid si legamus, *terminum* operi statuere. Sane *terminum statuere*, usurpavit *Livius* quoque, & *finem statuere*, dixit *Terentius Hec. Act.* 2. Sc. 1. Ita conjeceram, cum hanc conjecturem firmat literæ *Gronovii*, quod impense gaudeo. *Rigaltius* ait, *operis habere terminum*, *Ego conjeceram*, *terminum operis statuere*. *Cic. pro Quinct. certos mihi fines, terminosque constituam.* Scheffer.

Consilium tacito corde damnavi *] Deesse videtur *meum*. *Rittersh.* Conjeceram supplendum:

Consilium tacito corde damnavi meum.

Cum ecce ad *Rittershusii* notas recurrens, video me idem cum illo censuisse. Sequentes vero tres versus sic suppleo, & corrigo:

Nam si quis talis etiam est titulis, diligens,
Quopacto damnabit quod quidquam omiserim,

Ut

Ut illum ipſum cuipiam fame traderem.

Plane reſpexit Poëta ad iſta Epilogi ſuperioris libri:

Dein ſi quis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui.

Meurs.

Etiam eſt] Lege *erit*, alioqui verſus non ſtabit, niſi τὸ M. Suſtineat ſyllabam. *Fab.*

Tituli *] Supple *artifex*, *Fab.* Sed *Vrſinus* ſcribit, *avidus eſt*, atque id etiam *Gronovio* in mentem venit, ut teſtantur ejus literæ. Ubi ſimul explicat, *ejuſdem laudis cupidum*, & ab *ſtatuarum titulis*, ait eſſe tranſlatum. *Scheffer.*

Ut illum ipſum cupiam] Lege, *ut illud ipſum cupiat*, &c. Res probatione non eget. *Fab.* Quid ſi *illum* referamus ad artificem, *ipſum*, ad *quidnam*, *cupiam*, ad *Phædrum*, hoc ſenſu: quo pacto divinabit quidnam omiſerim, ideo, quia cupiam artificem illum famæ tradere ipſum, quod omiſi? *Scheffer.*

Sua cuique cum ſit animi cogitatio] Hic excidiſſe verſum unum aut alterum præcedentem exiſtimo. *Meurs.*

Colorque proprior] F. *proprius*, præceſſit enim, *ſua cogitatio*, ſæpe autem, *ſuus*, & *proprius*, οὐκ ἀδιαλλήλως jungi ſolent. *Ritterſh.* Legebatur etiam, *colorque prior*, ſed & metri ratio, & ſenſus ipſe, ſatis produnt errorem eſſe in verſu; de metro clara res eſt; de ſenſu non minus; quid enim hoc ſit Latine, *ſuus cuique color prior eſt?* Certe nihil, niſi ἀφασία. Itaque legendum eſt & ob ſenſum, & ob metri neceſſitatem, *colorque privus*, quod mox explicabo, ubi fontem erroris oſtendero. Fraterculi, qui patrum noſtrorum memoria, antequam typographorum ars prodiſſet, libros quæſtus cauſa deſcribebant, dici non poteſt, quam imperiti, quam fœde barbari fuerint: mihi quoque ipſi vix atque ægre fides fieret, niſi aliquando MSS. Codices legiſſem, & nunc legerem. Qui igitur *Phædrum* deſcribebant, cum non intelligerent quid eſſet *color privus* (neque enim hoc in Meditationibus, Sermonibus, & Homiliis legerant) repoſuerunt, *prius*, pro, *privus*; alii autem qui ſibi doctiores viſi ſunt (quid ni enim?) illos correxerunt; & ſtructuræ ſaltem rationem habendam exiſtimantes, reſcripſerunt, *colorque prior*. Jam vero metri cognitio ad ejuſmodi cucurbitas quî tandem pervenire potuiſſet? Atque ita locus *Phædri* turpi mendo inquinatus remanſit, qui nunc certiſſima correctione à nobis purgatur; legendum enim:

Sua cuique cum ſit animi cogitatio,
Colorque privus. ———

Quid autem ſignificet, *cuique color privus eſt*, nemo ignorabit, qui *Horatium* ſaltem legerit. Privus, eſt ἰδιος, peculiaris, proprius, privatus. At vero *color*, metaphorice eſt agendi ratio, διάνοια &c. Italis *maniera*. Ita *Seneca Epiſt.* 52. Cum tria hominum genera conſtituit, ait alia eſſe primæ notæ, alia ſecundæ; cum denique de tertio agit, hoc addit, *hic tertius color eſt*; ſæpe apud illum memini me legere. *Fab.* Ac profecto poteſt fieri, ut *privus*, ſcripſerit; ſaltem ut non *prior*, verum *privus* legatur, metrum exigit, ſenſus: habet quiſque ſuam indolem, ſuum ingenium, ſuam ſcribendi

bendi rationem, nec bene ſupplet quæ alii omiſerunt. *Scheffer.*

Quas Æſopias &c.]Hæc in parentheſi ſcribenda puto. *Scheffer.*

Quartum libellum dum vacive perleges] Poſt hunc quoque verſum alter exciderit: nam hic ſenſus nullus eſt perfectus. Itaque hæc ſic edenda ſunt:

Ut illum ipſum cuipiam fama traderem.
* * * * * * *
Sua cuique cum ſit animi cogitatio,
Colorque propior. Ergo non levitas mihi,
Sed certa ratio cauſam ſcribendi dedit.
Quare, Particulo, quoniam caperis Fabulis,
Quas Æſopias, non Æſopi nomino,
Quaſi paucas oſtenderit, ego plures differo,
Uſus vetuſto genere, ſed rebus novis;
Quartum libellum dum vacive perleges
* * * * * * *
Hunc obtrectare ſi volet malignitas.

Et quæ ſequuntur. *Meurs.*

Quartum] *Vrſinus* ſcribit quintum, & mox *nunc*, pro, *dum*; ſed invito noſtro, uti puto, cujus hæc eſt mens: ego ediſſero plures fabulas hoc quinto libro, dum tu legis quartum, & in eo evolvendo tempus aliquod inſumis. Igitur ſequitur, *hunc*, ſcilicet *quintum libellum*, velut in oppoſitione illius, de quo ante dixerat. *Scheffer.*

Vacive]Per vacationem, & otium. Retinui hanc lectionem approbante *Fabro*, etiamſi *varie* ſit editum à *Regaltio*, quia illud varie hic nihil facit. Poſt *perleges*, punctum collocandum puto. *Scheffer.*

In literarum plauſum] Scribe;

Inliteratum plauſum ire deſidero.

Id eſt, indoctorum hominum plauſus nihili facio. *Regalt.* Verſus obſcurus. Et, niſi me fallit, ineſt macula huic loco, quæ ſine judicio & ingenio magno elui neutiquam poteſt. Nec ſatis quid velit intelligo, nec ſenſus fallor tamen; abſque curioſitate mea foret, qui ductus literarum religioſe obſervare ſoleo, non vereor reſcribere:

Inliteratum plauſum cur (vel *non*) *deſidero.*

Quaſi diceret, tu modo & tui ſimiles viri docti meas fabulas laudetis: ab illiteratorum hominum cavea plaudi mihi nihil moror. Extricent qui poſſunt aliquid ingenioſius; mihi fraudi eſſe non debet, ſi quod ſaluti fore ſpero, id conſuadeo. *Schep.* Exercuit quoque hic locus ingenia virorum doctorum; ſed profecto ſanus eſt, & plani ſenſus. Si maligni, inquit *Phædrus*, obtrectare hunc librum volent, faciant, dum imitari non poſſint. Mihi ſatis laudis eſt, Particulo, quod tibi, ac tui ſimilibus placeam; neque aliud votum habeo, quam ire in plauſum literarum, id eſt, literatorum. *Meurs.* Videre jam antea multi legendum eſſe,

Inliteratum plauſum non deſidero.

Neque vero eſt cur *I. Meurſii* Viri Clariſſimi, & Doctiſſimi auctoritas opponatur; nam (ignoſcant mihi tanti viri manes) ſi, quæ ſcribit, vera ſint, tum vero graviſſimus erit error in metro: Neque poſſum non mirari

tam doctum hominem fuisse hoc loco adeo negligentem, & incuriosum. *Fab.* Posse tamen legi *nec*, pro *non desidero*, existimo. *Heinsius* putabat, *ne desiderem*. *Scheffer.*

LIBER QUINTUS.

POETA.

Detrito, Myronem argento] Profecto nihil heic sani, pro vetere verbo. Primum, si *detrito* legas, jam labotat versus; deinde hæc locutio Latina non est:

Qui pretium operibus majus inveniunt, novo
Si marmori adscripserunt Praxitelen, suo
Detrito, Myronem argento.——

Quis unquam dixit? *Adscribere marmori Praxitelen suo detrito.* Et quonam? an nomine? at vero hoc expresse addendum erat, non subintelligendum, cum nusquam ea vox præcederet, quo posset referri, tanquam ἀπὸ κοινοῦ. Dicam quod res est. In gravissimo mendo cubat locus, quem hoc modo corrigo:

Si marmori adscripserunt Praxitelen, sui
Demto, mirum! argumento.

Et sic quidem recta omnia. *Meurs.* Edidi hunc versum cum sequenti, prout sunt in vetustioribus editionibus. *Rigaltius* in postrema omisit *detrito*, item, *fabula exaudiant adeo fugata*, atque ex duobus versibus fecit unum, exemplo parum bono, nec codicibus antiquis sic suadentibus, quia ipse in editione priori, ad quam similiter Remensi codice est usus, testatur, *non esse in toto Phædro depravatiorem locum*. Neque ignorarunt vulgo viri eruditi, aut medicinam excogitare omiserunt. *Salmasius* ita censuit, in *Exercit. Plin.* *Auro adscripsit Praxitelem suo Trito Myronem argento, fabulæ exulant sdeo fugata.* Tentavit & *Vrsinus* locum hunc, & scripsit: *Detrito Myronem argento, ne exaudiant, adeo vulgata.* De quibus omnibus sententiis id quisque judicet, quod volet. Si quis autem ex me quærat, quid ego censeam, desperatum locum hunc tic quoquo modo arbitror sanari, ut minime recedamus à scriptura veteri, si legamus:

Si marmori adscripserunt Praxitelen suo
Trito Myronem argento. Et fabulæ audeant
Odio fugata.——

Solent, inquit, artifices Novis operibus suis facere auctoritatem, inscripto nomine antiqui alicujus magistri, ut Praxitelis, Myronis, vel alterius, cum prius triverunt ea, ut imaginem, & speciem antiquitatis præ se ferant. Idem facere audeant etiam fabulæ, quæ nunc odio quodam habentur, ac rejiciuntur. Illud *odio* suadere videtur, quod sequitur, *plus vetustas nam favet invidia*: Ostendit enim de invidia, odiove quid antecessisse. Cum hæc sic scripsissem, commodum ad me perferuntur litteræ Cl. *Gronovii*, in quibus ita de hoc loco: *Phædri primum quem tentas locum, habui sem-*

per

per pro desperato. *Quid tamen olim venerit in mentem mihi accipe. Conjiciebam:* Ut quidam artifices noſtro faciunt ſeculo, qui pretium operibus majus inviniunt novis, ſi marmori adſcripſerunt Praxitelen ſuo, trito Myronem argento: Fabulæ exeant item fricatæ, *id eſt* edantur, vel prodeant *ſimiliter fuco nominis Æſopi adornatæ.* Vix opinione mea dici quid, aut cogitari poteſt aptius. *Scheffer.*

FAB. I.

UT mos eſt vulgi] Luxatus locus eſt, & ab interpunctione quoque laborat, reſtituo:

Ut mos eſt vulgi, paſſim & certatim ruit,
FELICITER, Subclamat. Ipſi principes
Tacite gementes triſtem fortunæ vicem
Ipſam oſculantur quæ ſunt oppreſſi manum.
Quin etiam. ———

Meurs. Subſcribo *Rittershuſio*, & *Meurſio*, qui poſt *ſubclamant*, punctum ponunt. Nam ad principes proprie pertinet iſta manus oſculatio, non clamor. *Scheffer.*

Repetunt ultimi] Locus hic eſt interpunctione corruptiſſimus, legendum enim *reptant ultimi*, *Terent. perreptavi totum oppidum.* Hæc ad oram libri notaveram, cum miſſa ad me ex Urbe *Rittershuſii* editione, idem ei in mentem veniſſe deprehendi. *Fab.*

Adfluens] *Virgil. ad Nemes. v.* 92. Citat *affluens*, contra quam in editis reperitur. Mihi potius videtur, *veſtitu acfluens.* Niſi quis exiſtimet reſpexiſſe *Livium Andron.* Qui alicubi *Aſiatico ornatu affluens*, uſurpavit. De quo tamen, quia verba non ſunt integra, nil pronuncio. *Scheffer.*

Delicato] Male *Rittershuſius* refert ad ſuperiora, ſermo namque eſt peculiariter de Menandro. *Scheffer.*

FAB. II.

TImidus accurrit comes] Lege, *tumidus*, id eſt, ferociens jam occiſo latrone. Simile mendum ſuſtuli ſupra *Lib.* I. *Fab.* 15. *Meurs.* Bene *timidus*, non *tumidus*, ut vult *Rittershuſius. Scheffer.*

Scio quod] Non poſſum non adſcribere quod de hoc loco didici ex Cl. *Gronovii.* Is enim ita ſcribit: *Lego, ſcio quam virtuti; neque enim perſuadet Schoppius cum ſuo, Mariangelo, ſcio quod, Latine dici: aut enim corrupta ſunt, aut aliter accipienda quæcunque in hanc rem congeſſerunt. Scheffer.*

FAB. III.

IRridens] Lego, *rideas. Scheffer.*

Injuria eam qui dederis contumeliam] Non niſi per nebulam hæc intelligo. An contumelia injuriæ dicta quaſi injurioſa contumelia, quia non omnis contumelia ſit cum injuria,

nec vice versa, si veteres sequamur? an legendum, *injuria eam*, id est, per injuriam, hoc est, culpam, sive damnum. Nam certe injuria, veteribus Latinis magis ipsum factum significat, à quo interdum contumelia, hoc est (ut nostri rure loquuntur) injuriandi animus abesse potest. Certe hanc esse puto sententiam, utcunque tandem legas, quam sententiam & commentitia nostra lectio complectitur:

Injuriam cui dederis contumeliâ.

Me propter punctiunculam necare voluisti: quomodo ergo te ulciscere, cui feceris contumeliam, & injuriam simul? nam alapâ sane contumeliosum est. Injurius, à, um, pro injurioſus, *Plautinum* est. Dare alicui contumeliam studiosis nostris minus familiare accidet: quare meo more, & de hujus Phrasios Latinitate illos certiores faciam. Quinctus itaque Metellus apud *Agell. Lib.* 12. *Cap.* 9. Eodem genere tradere alicui injuriam dixit. *Ex quanto probi injuriam facilius accipiunt, quam alteri tradunt: tanto ille vobis quam gratiam mihi, pejorem honorem habuit.* Hinc *Cicero*, *privare aliquem injuria*, Satis nove dixit, pro eo, quod probibere injuria; sicut privare foro curia, urbe, *de Lege Agraria* Contra Rullum: *Simillime, ut mihi videtur, atque in illa lege, qua peregrini Roma ejiciuntur, Glaucippus excipitur: non enim hac exceptione unus adficitur beneficio, sed unus privatur injuria.* Quid illis fiat quæris, qui invitis libris omnibus *prohibetur* succidaneum subdiderunt? vilis est restis: velent gulam sibi. *Schop.* Vetustissimus codex habet: *Injuria quia dederis*, nec male, nisi mavis:

Injuria qui addideris contumeliam.

Frustra sibi nebulas Grammatistales offudit *Schoppius*. *Rigalt.*

Quam qui consilio est nocens] Emendo: *Quia qui consilio est nocens. Rigaltius*, censebat, *nam qui*, neque improba conjectura. *Meurs.*

Hoc argumentum] Tres isti versus excusi sunt ad vetusti codicis fidem; legendum autem videtur:

Hoc argumentum veniam ei dare docet
Qui casu peccat: quam qui consilio est nocens,
Illum esse quavis dignum pœna judico.

Rigalt.

FAB. IV.

Sancto Hercule] *Colerus* vult legendum esse, *Sanco*, cum vide in *Plautino*. *Rittersh.*

Perniciosam semper reputavi lucrum] An quodlibet, *Phædre*, etiam honestum? Certe versum aliquem tuum sequentem librarius prætermiserit, quo lucrum illud descripseras; nam te quidem fabellæ tenor absolvit: in illa enim rejicit hordeum Asellus, quia Verres, cui datum fuerat, jugulatus erat. Tu retulisti ad te, & dixisti, invisum tibi esse lucrum, non quodvis, sed illud tantum, quod honestam famam jugularet: & video versum sequentem:

Sed dicis; qui rapuere divitias, habent.

Illic notandum *ni rapuere*. Est igitur quod dixi, exciderit hic versus. *Meurs.*

Hic

Hic aliquid deesse putat *Meursius*, verum frustra, ut liquido apparet. *Scheffer.*

Numeremus, agedum, qui deprehensi perierint] Exciderit & hic versus talis aliquis:

Et sine culpa plerique aut pœna possident.

Clare indicant hi duo, tresve qui sequuntur:

Numeremus, agedum, qui deprehensi perierint,
Majorem turbam punitorum reperies.
Paucis temeritas est bono, multis malo.

Ergo sic edendus locus:

Periculosum semper reputavi lucrum.
* * * * * * *
Sed dicis, qui rapuere divitias, habent.
* * * * * * *
Numeremus, agedum, qui deprehensi perierunt.

Meurs.

FAB. V.

Parvo favore] Malo cum *Rigaltio pravo*, quàm quomodo habent editiones primores, *parvo favere. Meurs.*

Multis onerant laudibus] V. C. diserte *lancibus. Rigalt.*

Digrunnit] F. *degrunnit. Rittersh.*

Scilicet in sinum, ut ante fecerat, sed quia libri servant alterum, nil muto, & vide supra *Lib.2. Fab.3. Scheffer.*

Pervellit aurem vero] Legit Vir. Clariss. *Gruterus, aure utraque quem celaverat. Nevel.*

POETA
AD PARTICULONEM.

Possim] Forte *possem. Scheffer.*

Immodica] Malim, *immodicæ*, scilicet argutiæ. *Rittersh.*

FAB. VI.

Est commune] Optime monetur ab eruditissimo *Gronovio*, non *est commune*, sicut in postremis edidit *Rigaltius*, sed *in commune*, scribi oportere. *Scheffer.*

Huic querella convenit] F. legendum *hæc querella*, nempe quæ præcessit: *Carbonem pro thesauro invenimus:* Ut error ex veteri scriptura manarit: *Haec*, vel *Haec. Rittersh.*

FAB. VII.

Nec opinans] Forte *nec opinus*, qua voce supra est usus. *Nevel.*

Et lepidum genus] *Colerus: En lepidum genus*, cui cur assentiar, causam nullam video. *Rittersh.*

Tantummodo ipſo ludorum] *Antonius Loiſelus* Doctiſſimus Juriſconſultus, hos verſus ita componere tentabat:

Et incipiebat Princeps adducier * * * * *ingredi à ſe* * *
Reducit pretio precibus ut tantummodo
Ipſo ludorum oſtenderet ſeſe die.

Rigalt. Editiones veteres habebāt ita:

Et incipiebat Princeps abduci reñ
Ingredi à ſe reducit pretio precibus ut
Tantummodo ipſo &c.

Ex quo *Urſinus* ſequens propius veſtigia Scripturæ:

Et incipiebat ingredi Princeps, cum
Reducit pretio, precibus ut tantummodo.

Scheffer.

Aulæo miſſo] Cum dimitteretur aulæum, poſt quod ſtabant actores, & jam ſcena una finita prodiret Chorus ex conſuetudine. Hoc vult noſter, neque quicquam abeſt, ut nonnemo ſuſpicatur. *Scheffer.*

More ducto canticum] Legendum mihi videbatur:

Tunc chorus ignotum more ducto canticum.

Scilicet producto in ſcenam Principe moro, & inepto tibicine, ſcenici artifices acclamaverunt: *LÆTARE INCOLVMIS*, &c. *Rigalt.* Legit Clariſſimus *Gruterus*:

Tunc choreis ignotum amore ductus canticum.

Nevel. At *Faber* ita:

Chorus reducto tunc & notum
Canticum
Impoſuit, cujus hæc fuit ſententia.

Et *reducto*, ſcilicet tibicini, una cum cæteris, ex quibus chorus conſtabat, pro introducto, quia promiſerat ſe oſtenſurum ſeſe. Sed hoc obiter apud *Phædrum* tamen noſtrū mallem ego:

Tunc chorus ignotum ac reducto
canticum

Quia Veteres editiones:

Tunc chorus ignotum more ducto canticum.

Scheffer.

Totum proſternit; plaudit includens Eques] Verſus qui deinceps ſequuntur, hoc ordine legebam:

Totum proſternit: plaudit inludens Eques
Princeps ligato crure, nivea faſcia;
Niveisque tunicis, niveis etiam calceis
Superbiens honorem invidit divina domus,
Rogare populus hunc coronam exiſtimat:
Vt vero cuneis notuit res omnibus,
Ab univerſis capite eſt protruſus foras.

Rigalt. Amiciſſimus *Rigaltius* immutat heic verſuum ordinem. Non probo factum. *Meurs.*

Superbiens honorem vidit divina domus] Corrigo: *Superbiens honore divina domus.* Natum eſt τὸ *vidit* ex verbo *divina*. *Meurs.* Atque ita legit Clariſſimus *Gruterus*. *Nevel.* Sed veteres editiones habuerunt; *honorem vidit divina damus.* Quid, ſi fuit, *ne det*, pro *vidit*. *Scheffer.*

FAB.

FAB. IX.

P *Lecteres*] Lego *flecteret*. *Rittersh*. Quod probo. *Fab*.

FAB. X.

V *Eloces*] Malebat *N. Heinſius* & *velox feras*, quia fortitudo canis adverſus feras veloces non multum potuit prodeſſe domino, ſi fuit ſola ſine velocitate. *Scheffer*.

Quod fuimus &c.]

Quod fuimus laudas, damnes
quod jam non ſumus.

Conjectura uti opinor neceſſaria. *Fab*. Nihil ego muto; quanquam minus ſit contemnendum, quod putabat *Heinſius*:

Quod fuimus lauda, non damna
quod jam ſumus.

Scheffer.

VIRI CLARISSIMI

FRANCISCI GUYETI ANDEGAVENSIS NOTÆ

IOHANNIS SCHEFFERI ALLOCVTIO

AD

LECTOREM.

UT intelligas, Lector benevole, cui has Notas debeas, misit eas vir Clarissimi nominis doctrinaeque, Dn. Emer. Bigotius *ad Nobilissimum Dn.* Nicolaum Heinsium *Parisiis, cum de instituto nostro cognovisset. Qui deinde pro humanitate sua nobiscum communicavit. Adscripserat eas Cl.* Guyettus *Codici suo, apud* Seb. Cramoisy Parisiis Anno 1630. *edito, unde fit, ut cum loca quaedam dubia in editione illa non compareant, de iis prodere sententiam suam omiserit. B. V.*

AD LIBRUM PRIMUM.

II. *FAuce*] Alias, *face. Fauce improba*, id est, *fame. Tò face* hic locum habere non videtur.

III. *Inquinassent*] Id est, *dedecorassent. Corripere cœpit*] Id est, *corripuit. Martialis.*

Portentum est, quoties cœpit imago loqui.

Hoc est, quoties loquitur imago.

IV. *Hàbitu*] Τῇ ἐσθήτι, *veste. Immiscuit*] Lege: *formoso immiscuit se pavonum gregi.*

V. *Nec quem*] Scribo: *nec quem petebat potuit adeo attingere.*

VI. *Convicio*] Id est: τῇ καταβόησει, *convocium, convicium.*

X. *Necopinum*] Id est, *imprudentem*, οὐ προσδοκῶντα.

XII. *Auriculas*] Placet hic τὸ *auritulus*, κατ' ἀντίφρασιν dictum. *Clamore subito*] *Clamorem subitum. Adficiuntur*] *Adfiguntur*, Codex *Danielis*. Placet. *Fuissem*] Scribe, *fugissem metu*: ex lib. *Dan.*

XIV. *Utilla*] Scribo: *utilia mihi quam fuerint*, ex lib. *Daniel. Gaudet*] *Gaudent*, *Dan.* cod. *Fere*] *Sera dant pœnas turpes.* cod. *Daniel. Tum demum*] Hi duo versus videntur addititii. *Probatur*] Scr. *probatur ingenium quantum.*

XV. *Hic*

XV. *Hic quum*] Hoc est, *illic, ibi. Quorum stultitiæ*] *Quorum stultitia quæstus imprudentiæ est. Mala videre*] Forte; *indere*, fuit *nidere*, ex quo *videre*. Idem *Avienus* in Præfat. ad Theodos. *Verum has pro exemplo fabulas & Socrates divinis operibus indidit, & poëmati suo Flaccus aptavit, quod in se sub jocorum communium specie vitæ argumenta contineant. At illa*] Sub. *inquit. Fugere*] Adsuevisti, scil.

XVIII. *Commendasse*] *Commodasse*, Daniel. exemplar.

XIX. *Actis*] Id est, *exactis*.

XX. *Cubile capit*] Sub. canis altera.

XXVI. *Crocodilus*] Primam in *Crocodilus* corripuit *Iuvenalis*, itidem *Horatius*. *Martialis* produxit Lib. 5. Ep. 93.

XXVIII. *Lagonam*] A λάγυνος, λαγύνα, unde *lagona* ου in ο converso. Fit & *lagæna* à λαγύνα, non *laguna*, vitandæ homonymiæ causa, à *lacus*, *lacuna*, & *laguna*, quod Italismo remansit.

XXIX. *Pullis escam*] Sc. ut pulli escam carperent. *Hosti*] Scribendum videtur, *Hostis dolorem damno m. s.*

XXX. *Distringunt*] Id est, στίζουσι, κατανίζουσι, περιξύουσι. *Asinis demisso*] Id est, porrecto.

XXXII. *Reliquis*] *Reliquis*, seu *relicuis* τετρασυλλάβως pronunciandum, ut apud *Plautum*, & *Terentium* semper.

AD LIBRUM SECUNDUM.

I. ÆSopi genus] *Genus*, id est, scribendi *genus Æsopium*, id est, docendi methodus per fabulas. Autor infra init. Lib. 5. *quare Particulo quia caperis fabulis, quas Æsopias* &c. *Narrandi locus*] Scribendum videtur; *narrandus logus*. Æsopi logorum à *Platone* fit mentio. *Bonas in partes*] Nota phrasin, pro, *bonam in partem*. *Prædator*] Homo scil. λῃστής. *Et quæ debetur*] Scribendum videtur: *est, quæ debetur*. *Tergore*] Scribo *corpore*.

III. *Ætatis mediæ*] Ordo construct. Ætatis mediæ mulier non rudis tegebat annos cuidam, dissimulans eos elegantia. Τὸ *ætatis mediæ* male refertur ad τὸ *cuidam*. *Pingi*] An *fingi*, id est, coli, ornari?

V. *Direpit ad cubile*] Scribo, *derepit*, id est, deorsum repit.

VI. *Et prospicit*] An, *despicit*, id est, subjectum, subjacens spectat? an *præspicit*, præ se spicit, id est, prope se spectat? ut *præ oculis, præ manibus habere, præsto esse*, &c. Τὸ *præspicio* quærendum. *Erat destricta*] Ἔσταλτο. *Alveolo*] Τῇ σκάφῃ. *Come officium*] id est, *faissant le bon valet*. *Alapæ*] id est, libertas. *Mecum*] id est, apud me.

VII. *Propter volans*] Sub. *inquit*.

VIII. *Comes*] Ordeo onustus mulus. *Cædem*] Mulionum scil. *Ferro*] Spiculis. *Spoliatus*] Sub. *auro mulus*.

IX. *Voluisti tibi*] Sub. *fieri*, ἐλλειπτικὴ φράσις. *Corruptos*] An, *ruptos*, ut *rupta mula*, *Martialis*? an, labore nimio confectos? placet posterius. *Aranea*] id est, araneæ telas. *Araneum*, *aranei*, ἀράχνιον, τὸ.

X. *Æterna*] *Ænea basi*, vel *extrema basi*. *Alter*] id est, Æsopus. *Nec hac invidia*] Sequentia omnia delenda. *Plures*] Qui plures, cum unus sit Æsopo secundus? Adde, quod Thracem se profitetur Phædrus Præf. Lib.3. *Habebit*] Sed seque. fab. Thracem esse se, nec patriam deserere velle profitetur. *Animus sentit*] Ex inferioribus sumptum, id est, Lib.3. Præf. *Liber animus sentiat vim carminis*. Sed illic apposite, hic secus. *Doctus illis occurrit labor*] Ex eadem fabula expressum: *Docto labori praponens lucrum*.

AD LIBRUM TERTIUM.

I. *ARtium*] Id est, Musarum. *Sin autem minus*] id est, non. *Servitus*] sub. *Æsopi*, id est, Æsopus servus. *Porro illius*] id est, Æsopi. Ad superiora illa refertur: *librum exarabo tertium Æsopi stylo*. *Semita*] Scribendum forte: *ego porro illius semitam feci viam*. Hunc locum *Martialis* imitatus videtur Lib.7. Ep.60.

Et modo quæ fuerat semita, facta via est.

Prior lectio sic exponenda erit, ego de semita illius feci viam. Sed emendatio nostra placet magis. *Sejano*] *Sejanus*. Hæc ob συγχρονισμὸν Sejani & Phædri à quopiam Grammatico conficta, & huc intrusa videntur. *Forsan*] Scribendum, *fors*. Versu exigente, id est, forsan. *Mihi solemnis*] Transpone, *solemnis mihi*. *Induxi te*] O Eutyche. Hi duo versus suspecti.

II. *Qualem te dicam*] Scribo, *quam te dicam? quam bonam*. Τὸ *qualem* glossema est τοῦ *quam*. Τὸ *quam* omissum fuit à librario, quod frustra repetitum videretur. *Hoc quo pertineat*] id est, qui me noverit, dicat me mirum juvenem fuisse, qui talis sum senex.

III. *Solet à despectis*] In Tyberium Rhodis exulem. *Alii onerant*] Προκελευσματικὸς. *Læserant*] *Læserunt* scribendum videtur, correpta penultima, ut *tulerunt* apud *Virgilium*, *abierunt* inf. Lib. 5. F. 8.

V. *Reliquas*] Τετρασύλλαβον, ut supra. *Præstatur*] id est, *efficitur*, *redditur*.

VII. *Dolone*] Id est, acuta proboscide.

VIII. *Est conditio*] Sc. *parata*. *Pulmentarium*] Hoc est, pulmentum, προσφάγιον. *Si quo est*] An scribendum: *age si quo erit abire a. e. l.*

X. *Cathedra*] In el estrado. *Stratum*, locus tapetibus stratus, in quo mulieres nobiles desidere solent in Hispania *Martial*. Lib.11. Ep.63. *Iuvenalis* Sat. 9. De cathedra strata.

—— *& strata positus longaque cathedra*
Munera fœmineis tractas secreta Kalendis.

Martial. *Cum cathedralitios portet tibi rheda cinædos*. Vide vet. Schol. in hæc verba. p. 222. *Suppositum*] An *suspensum*? ἐπέχω. *Suppositum*, τῷ ὑποθέματι, *impositum*. His speculum suppositum fuit, eo scilicet, ut se in eo intuerentur. Non enim forte inspexerant, ut supposuit interpolator.

Pueri-

Pueriliter] Hic versus insititius videtur, & facile abesse potest, imo & autoris sensui repugnat, cum dicit, *forte inspexerant*. Eo enim speculum in cathedra matris suppositum fuit, ut in eo se pueri intuerentur. *Quid enim*] id est, cur non, quare non. *Acro* ad 1. Sat. *Horat. Rem*] *Rem faminarum* id est, quæ ad feminas pertinent.

X. *Ponis*] Id est, fundas, κτίζεις.

XI. *Iudicet*] An scribendum, *judices*. Placet. *Elevem*] An scribendum, *eleves*, id est, extenues, minuas, ob vetustatem, an *elevent*? *Memoria*] Nota ætatem Phædri, id est, tempus, quo vixit. *Servans diligentius*] Quia prætextati sine pædagogis. Vid. *Plut.* de audit. *Familia*] Servorum. *Tonsum*] Mos prætextatorum. *Repræsentavit*] id est, subito sibi ipse pœnam facinoris irrogavit. Il se paya comptant du crime, qu'il avoit commis. *Supplicia repræsentare* habet *Curtius*, id est punire. Metaphora ducta est à pecunia, quæ repræsentatur, qui se paye comptant. *Quod bona possideat*] Id est, quod sit dives. *Stant*] ἀντίστανται. *Adjuvaret*] Ut adjuvaret se, judices jurejurando præstito. *Fidem*] id est, religionem jurisjurandi, periclitantem ob facti ambiguitatem. Inf. F. 14. *Sed ne religio peccet imprudens mea. Error*] Ambiguitas criminis. *Limasset*] id est, limis oculis inspexisset. A limus, limo, collimo, id est, visum dirigo in scopum. Onomast. *Collimare*, στοχάζεσθαι. A linea, collineo ducta sunt, ejusdem significationis. Idem Onomast. *Collinio*, καταστοχῷ. Item, *limus*, παραβλώψ. Vulgo παράβολος pro παραβλώψ. *Limare* est diligentius intueri, inspicere, ab eis dictum, qui limis ictum sagittæ destinant.

XIII. *Gallinacius*] Pro, *gallinaceus*, posterioris latinitatis consuetudine, Italismus. *Cupidus vidisset*] An, *cupidus te invenisset hic*. Phædrus scripsisse videtur, *ô si quis pretii cupidus te vidisset hic*. Ex quo trajectione factum est primum, *vidisset te hic*, & postea *tes*, ex quo demum *tui*. *Hoc illis*] Hoc ad autorem Phædrum spectare videtur. id est, Narro patrono meo, qui meritum meum non intelligit, id est, non novit.

XIV. *Alueos*] *Aluos* scribendum videtur, ut *gl. vett.* Habent, & *Virgil. exesa arboris alvo*. V. G. *Vetus alvus, idem est, quod alveus*. Gl. Græcolat. σμῆνος *alvus*. Gl. ph. *alvus, alveus*, γαστὴρ κύτος. Sic enim scribendum vid. *Illa*] Vespa. *Sustulit*] id est, *tulit*. *Pactam fuci*] Et hæc ad autoris tempora, seu auctorem potius spectare videntur. *Partam fidem*, id est, judicium, arbitrium amicorum communium super controversia plagii. *Fuci*] id est, plagiatii, ignavi homines, qui versus meos sibi vendicarunt. *Hos ego versiculos feci, tulit alter honores*.

XV. *Retensum*] Laxatum. *Victor sophus*] id est, sapiens philosophus. *Aliquando dari*] An scribendum, *sic lusus animo debet aliquando dari*? quid? si, *ludus*. *Horat. animo dare ludum*. ἐπέχω.

XVI. *Quum crearer*] Εἰρωνικῶς. *Potestas*] id est, actio voluntaria.

XVII. *Oppetit*] id est, incurrit, ἐπέρχεται. *Oppetere pestem, mortem* &c. *Ramo*] An, *cavoque muro*. Tò *cavo ramo* non placet. Ex *muro* factum *rumo*, ex quo *ramo*. *Sonare cithara*] An scribendum, *sonare citharam*

ram quos putes Apollinis? quid? si, *sonare cithara quos putes Apollinem. Egressa cavo*] Scribo: *noctua egressa è cavo.* Posset & sic legi: *cupide advolavit egressa cavo noctua.* Sed placet prius.

XVIII. *Honore fructum*] An scribendum: *honorem fructu ne videamur pendere.* Pendere. id est, expendere, destinare. *At mehercule*] Scribo: *At me narrabit hercule quod quis voluerit.* Τμήσις. *Sapiens dicere*] An scribendum *dicere*, secunda persona præsentis, id est, merito sapiens haberis.

XIX. *Plumis*] id est, pinnis. Gl. græcol. πτερὸν, *prima*, *pluma*, *ala* aliæ, *pluma*, πτίλον. *Recidat*] Forte scribendum, *reccidat*, ut *reddunt*, *rettulit*, *rettudit* inf. & similia. Vide Indic. *Gyfan.*

XX. *Animum rettulit*] id est, animo reputavit, consideravit. *Adluserit*] id est, joco strinxerit.

XXI. *Quæstus*] à la queste.

AD LIBRUM QUARTUM.

I. *Condidit cura*] id est, studium. *Mustela quum*] De Tiberio in Capris. *Retorridus*] id est, recoctus, vafer. *Muscipula*] à muscipulum, muscipula, ut supra, araneum, aranea. *Sic valeas*] id est, non valeas, quia farina non es.

II. *Alta vinea*] id est, arbusto.

III. *Potius*] Sub. *esse.* Ordo: *Hæc fabula admonet, potius esse lædi impune, q.*

IV. *Fidem advocavit*] An, æquum & bonum, æquitatem, τὸ εἰκὸς. id est, ex æquo & bono unicuique illarum mater distribuit, quod moribus conveniens erat. *Quæ luxu trahit*] id est, potrici.

V. *Quorum in tabernis*] Insitivus versus videtur.

VI. *Distringis*] id est, carpis, vellicas, laceras. glo. ph. *distringis*, περιξύεις. Gl. græcol. περιξύω, *rado*, *derado*. *Stringo*, *destringo*. *Sustine*] id est, fer, ne abjice. *Involvens*] An, *evolvens? Falsoque*] id est, contra rationem temporum. *Iustoque vindicavit*] Suspectus versus. *Cato*] id est, censor. *Majorem*] Sub. eâ, quam exhibes. *Cælum vituperant*] Nota proverbium,

VII. *Argumento*] Εἰκόνι, similitudine, figura. *Quæ res esset cibi*] id est, χρῆμα. id est, si quis cibus esset. *Captas*] id est, tentas, conaris.

VIII. *Simulac*] Τὸ *ac* additamentum est. *Simul venit*, recte est. Ut *Cicero*, *Livius*, Auctor infra F. 14. *Qui simul offendit ad fortunam, frangitur.* Item inferius: *simul rogavit, esset an dulcis liquor.*

X. *Spiritu*] id est, vita. *De flamma*] Vide *Servium* in illud Æn. 12. *qui fulmina sanguine sancit.* *Argumentum*] ὑπόθεσις. *Qui repperit*] id est, fabulæ auctor. An, Æsopus?

XIII. *Affictione*] An, *affrictione?*

XIV. *Idem Prometheus*] Ergo de Prometheo fabula superiore mentio facta fuerat.

XV. *Feminæ*] Livia Augusta.

XVI. *Finxit consolandi*] Scribendum videtur: *finxit hoc solandi gratia.*

